DE SANAN

DIS TOTIVS HVMANI

corporis eiusdemq; partium tam internis quàm externis malis libri V. accurata diligentia conscripti, Leonharto Fuchsio medico autore.

Obiter etiam in nuncupatoria epistola impudentissimum plagium Gualtheri Riffi Argentoracensis detegitur.

Accessit quoque rerum & verborum Index locupletissimus.





LVGDVNI, APVD GVILIELMVM ROVILIVM.

M. D. XLVI.

AMPLISSIMO, HVMANISSIMOQVE PATRI,

ac Domino D. Ioanni Gudino Abbati in Marchtall, Domino suo unicè colendo, Leonhartus Fuchsius medicus S. P. D.



NNO ab hinc tertio, amplißime Pater, perbreuem quandam medendi rationem, quod id ipsum ut faceremus à nobis studiosi aliquot efflagitarent, conscripsimus, ac subinde in multa exemplaria transcriptam publicauimus. Quæ sanè tam incredibili plausu à nostræ arti initiatis est comprobata & excepta, ut breui admodum tempore quotquot apud typographum extabant exempla distracta sint. Quare cùm non deessent qui alteram æditionem urgerent, Ioannes Oporinus, uir singularis eruditionis & iudicij, ut priorem ab initio ad finem usque retexerem, & in ea si qua minus placerent resecarem, aut nonnulla pro arbitrio adijcerem, maiorem in modum à me petijt. Quum uerò hunc ipsum æqua à nobis postulare intelligeremus, committere non potuimus quin confestim quod tantopere contendebat, præstaremus. In manus igitur sumptis quæ initio concinnauimus, ea summa diligentia reformare, ac ueluti recoquere cœpimus. Quod dum facio, non tantum operarum incuria & negligentia commissa errata, quæ sanè non pauca fuerunt, è medio tolluntur, uerumetiam quàm plurima quæ non satis arriserunt

Secundæ huius æditionis occasio.

Quid huic editiōi præter priorē accesserit.

nobis mutantur, integráq; capita multa accedunt, ut refingendo ij libri quos De sanãdis corporis eiusdemq; partium malis adornauimus, nouam planè faciem acceperint. Sed nolo hoc loco nostrã operam nimium prædicare, quod quisq; facilè, collatione utrobiq; facta quantum accesserit, & ut altera hæc editio priori sit melior & splendidior, cognoscere poterit. Hoc tantum dixisse satis sit, neminem pecuniæ suæ iacturam facturum, qui alteram editionem sibi comparare uoluerit. Præter enim capita multa admodum, quæ in priore prorsus desiderantur, integer quoq; Liber Quintus De sanandis tumoribus præter naturam nunc accessit. Quare igitur complura sint ac minimè contemnenda quæ iam adiecta sunt, perfacilè tantillæ pecuniæ iacturam sarcient. Dedimus præterea operam diligentem, ut sublatis paßim barbaris uocibus, quas tamen data opera in priore locum habere uoluimus, pro ijs bonas uel Græcas uel Latinas substitueremus. Aut si quo in loco id nobis præstare non licuit, ut ijs tantum uteremur, quas Actuarius & alij posteriores Græci usurparunt. Nam ut singula medicamentorum nomina ijs quibus in nostris De componendorum ac miscendorum medicamẽtorum ratione libris usi sumus responderent, curauimus. Quare hoc etiam nomine posterior editio charior esse debet. Quæ certè initio nobis præfanda fuerunt, ne parũ æqui iudices nos in hac retexẽdi ratione studiosorum pecuniæ insidiari, atq; adeò typographi auaritiæ, à qua tamẽ hunc longißimè abesse omnes norunt, inseruire uoluisse iudicarent, æstimantes nos ex aliorum ingenijs, qui non rarò nullis neq; mutatis neq; adiectis, aureos tamen montes in librorum inscriptione polliceri nihil uerentur. Verùm prolixiore nobis excusatione minimè opus esse cẽseo, quòd ex cæteris nostris lucubrationibus quas retexuimus, quid hic etiam præstiterimus,

mus, abundè constare queat. Cæterùm ut de altera editione cogitaremus, nõ parum etiam iniurijs cuiusdam Gualtheri Riffi Argentoracensis, hominis omnium quotquot sol ille uidit, impudentißimi, compulsi sumus. Nam quum is fuci instar alienis insidietur laboribus, nec ullum bonum Latinum scriptum à nostri ordinis hominibus elaboratum relinquat, quin idipsum statim simulatq; prodijt arripiat, & in Germanicum sermonẽ conuersum, nulla penitus illorum qui eorundem authores sunt, facta mẽtione, pro suo edat: à nostris etiam manus abstinere haud potuit. Superiori nanq; anno libros quatuor quos De medẽdi ratione, itemq; tres alios quos De compositione medicamentorum inscripsimus, uerbum uerbo exprimẽs pro suis sceleratè edere nõ abhorruit. Quod tamen mihi nemo unquam persuadere potis fuisset: nisi ipse collatis suis conuersionibus cum nostris, hoc ipsum euidenter deprehẽdissem. Quis enim ullo tempore Germanum hominem tam præfracta, omni exhausto rubore, audacia ac temeritate præditum conspexit, ut cum alienos sibi integros libros impudenter ac sine fronte arrogare nihil puduerit? Nec ulla planè ratione sceleratum hoc suum facinus tueri potest. Nam utcunq; in præfatione Enchiridij fateatur, se sua nõ solum è ueteribus, sed & recentioribus præcipuis & probatissimis medicis deprompsisse: tamen quum ad uerbum omnia è nostris cõuerterit & transcripserit, nostri mẽtione prorsus intermissa, ex plagiarij crimine elabi nõ poterit. Quod multò minus ut illi liceat, in libello cui titulum indidit, explicationem mixturæ seplasiariorum, permittemus. Nam illic nulla neq; mei neq; aliorum facta mẽtione, tanquam in surdo theatro constitutus, sine omni pudore aliena pro suis edere nihil metuit. Vt igitur tandem impudicam Gualtheri impudẽtiam reprimeremus, atq; eundem ne reliquas quoq; nostras lucu-

Alia huius secũdæ editionis occasio.

brationes furtiuis suis manibus attrectaret arceremus, eos quos De medendi ratione conscripseramus libros retexere uoluimus. Hac siquidem ratione satis amplam me nactum esse occasionem uidebam, ut plagiarij illius furta inter præfandum toti orbi detegerem, quo subinde moueret cornicula risum, furtiuis nudata coloribus. Vt enim peculiari libello eiusdem improbitatem retunderemus, nihil opus esse, nec idipsum mereri furta manifesta, existimabam. Quanquam si perrexerit deinceps nostra sibi ut antea uendicare, ne tum quidē proprio scripto illius furtum insectari grauabimur. Et sanè non defuturos etiā alios quosdā puto, qui iniquè laturi sint, quòd eorum scripta inepta sua conuersione cōtaminare, & impudenter sibi arrogare uoluerit. Nam ut de priuata iniuria sileam, quis rogo æquo animo ferret sic profanari ab eo medicinam, ut, si liceret, hanc etiam ab imperitissimis rusticis ac mulierculis exerceri uellet? quasi uerò medicina ipsa artium omnium difficillima, citra linguarum aliarumq; artium adminicula rectè tractari poßit. Parum secū reputat asinus ille, quòd plus periculi sit ab eius farinæ medicis imperitis ac idiotis, quàm ab ipso morbo. Sed quum homo ille ἐγκέφαλον οὐκ ἔχει, minimè mirum si cum insanis insaniat, furoriq; uulgi faces ministret. Optamus igitur illi meliorem mentem, ut in se descendens, intra suam pelliculam se cōtinere discat: ne si leonina indutus denuò in publicū prodire contendat, quod Cumano olim accidit asino, aures illi promineant, quas, utcunq; annitatur, occultare haud poterit. Redeat itaque ad Seplasium hortor, & illic, ut olim, pharmaca potius quàm bonorū uirorum scripta cōmiscere pergat. Relicto igitur apud Seplasiarios suos Gualthero, quæ reliqua sunt persequemur. Ego cū libros nostros quos olim De medendi ratione concinnaueram, sic retexuerim, ut nouam

Plus periculi esse ab imperitis, medicis, quàm a ipso morbo.

uam

uam iam quasi formam induxerint, nouum etiam exigere patrocinium iudicaui, præsertim ijs temporibus ubi à prædatoribus istis nulli libri satis tuti esse possunt. Quum uerò de patrono aliquo idoneo inueniendo anxio & solicito animo essem, nemo omnium cui potius quàm tibi hos meos labores dedicarem, occurrebat. Nam in eo rerum statu eò propemodum uentum est, ut omni patrocinio artes bonæ harumq; cultores destituti sint. Olim quidem Reges ac principes toti in hoc erant, ut bonarum artium studia fouerent, ornarent, tuerentur. Nunc ex illo ordine qui literas magnifaciant, quiq; ut in hoc quo iam sunt splendore conseruentur, atque adeò ad posteros propagentur soliciti sint, pauci aut ferè nulli reperiuntur. Longè enim diuersa illorum sunt studia, quàm ut literarum curã sustineant, aut ad se saltem pertinere credãt. Hic enim totus in eo est, ut imperij sui fines dilatet, nunquàm nõ ultra progredi cupiẽs, parum scilicet attẽtus quomodo eos quos nũc tenet rectè gubernet, sicq; in ijs singula administret, ut illic pacis artes, atq; adeò pietas ipsa atq; iustitia floreat. Quasi uerò nõ maior sit cõmoditas, ista ratione quæ habes tueri ne subinde amittas, quàm perpetuò aliena cõsectari. Nam magna ex parte accidit, ut dum mouendis bellis aucupamur aliena, nostra interim, quæ pacis cõseruatione retinere potuissemus, amittamus. Alius est, qui sic otio & uoluptatibus diffluat, ut omnẽ curã Reipu. abiecisse uideatur. Quare neq; quo in loco sint artiũ bonarũ studia, per quæ pietas, religio, pax & tranquillitas cõseruantur, cognoscere studet, sed Sardanapali instar muliebres tantum delicias cõsectatur. Est qui uenationibus tantopere delectetur, ut officij sui parũ memor, præ ijs omnia cõtemnat. Quo sanè uitio maximè dolendo, quotquot hodie ferè sunt Principes obnoxios esse constat: ut fatale esse crederem, nisi perspectum habe

Literæ earundẽq; cultores hodie ppemodũ omni sunt destituti patrocinio.

Principum nostri temporis studia.

haberē idipsum prauæ educationi potius esse adscribēdum. Nam quum statim ubi per ætatem licet animi Principum ab omni alia cogitatione ad unam colendam uenationem traducantur, nihil mirum, cur amor ille quē mox ab ineunte ætate contraxerunt, ad senectutem usq; pertinaciter hæreat atque duret. Quòd si uerò tantum operæ & curæ parentes, aut alij qui eorundem curam agunt, ponerēt, ut animos optimis tum disciplinis tum moribus imbutos ad gubernacula adferrent, quantum illos à studijs doctrinæ & humanitatis ad aulicas delitias auocāt, multò minus malorum hodie Principū esset. Quis igitur hanc prauā Principum nostri temporis educationem non deploraret? præsertim si secum animo reputet, quàm liberaliter instituti sint ueteres Principes, educatione doctrinaq; puerili? Quis enim est qui nesciat, qualis Cyri Persarum regis παιδεία fuerit? quàm probè ab Aristotele philosopho excellentiss. institutus sit Alexander Magnus? Vtinam hodie etiam sint Principes, quos tantorum regum exemplum moueat, ut prolem suam sic educare curent, ut in ea aliqua in primis sit numinis ueneratio, & nō uulgaris erga omnes bonas disciplinas, quarum ope respublica gubernatur, amor. Sic enim facile uitia queuis, ad quæ statim simulatq; scholas deseruerunt, eos effrænata & furiosa nobilitas pertrahere conatur, euitarent. Sed iam ad id unde digreßi sumus, reuertamur. Sunt item ex Principibus, qui in extruendis magnificis molibus firmißimisq; arcibus totum uitæ tempus terunt, putantes se ista ratione sua optimè muniuisse & firmasse, parū memores quòd mirificæ illæ moles modico terræmotu labefactari, ac subitò cōcidere, aut fulminis ictu tormentorumq; æreorum ui demoliri, aut incendio deflagrare poßint. Quantò autē plus ad eam rem momēti adferāt pacis artes, iustitia, moderatio animi, aliæq; uirtutes Principe uiro

digna,

dignæ, non animaduertunt. Sed quis posset omnium Principũ inutilia studia, quæ illorum animos à cura cõseruationis bonarum artium atq; pietatis auocant, epistola cõplecti? neq; ut idipsum conemur, necessarium esse existimo, quum in cõfesso sit nullibi esse maiorẽ literarum artiumq; omnium contemptum, quàm in aulis Principum. Quum itaq; in his ipsis uix tutum satis patrocinium literarum cultores inueniamus, ad uestri ordinis homines nobis cõfugiendum erit. Bona siquidẽ nobis spes est, fore ut uestri officij memores, literarum desertarum patrocinium promptè sitis suscepturi, hoc potissimũ tempore, quo quasi fatali necessitate ingens imminet monasterijs calamitas, si non esse quod debẽt uoluerint. Nulla enim alia de causa monasteria ipsa à maioribus nostris fuisse constituta, quàm ut essent scholæ sacrarum literarum, & aliarũ disciplinarum Ecclesiæ utilium, in quibus pueri ad tempus inclusi, atq; adeò à cæteris cogitationibus uacãtes, optimis tũ disciplinis, tum moribus instruerẽtur, notius esse puto, quàm ut à me longius dici debeat. Vnica igitur nũc cura ijs qui præsunt monasterijs sit, ut primùm illi, quos alunt, monachi sic instituantur, ut in ijs non uulgaris sacrarum in primis, aliarumq; artium eluceat eruditio. Deinde ut reliquas suas fortunas ad excitanda & fouenda nunc penitus deserta studia, liberaliter & prolixè profundant. Sic enim efficient, ut primùm Ecclesiæ Christi nunquã sint defuturi idonei pastores & ministri. Neq; etiã hac ratione deerunt uiri boni & literis exculti, qui Rempub. probè & laudabiliter administrent. Et quod omnium maximum est, eruditorum hominũ sibi cõciliabunt summã gratiam, qui sublatis nunc abusibus, qui sensim sub pietatis specie in monasteria irrepserunt ne illa subinde ab ijs qui bona ecclesiarum occupare, inq; suum uertere usum manibus pedibusq; conantur, funditus euertantur, suis

Monasteria cur olim constituta.

scriptis ac prudentissimis consilijs impedient. Nam ut nemo uir bonus & peritus temere superstitionibus alijsq; abusibus patrocinari uolet, ita etiam ut quorundam iniquum sanè institutum, qui bona ecclesiarum & monasteriorum non tantum usurpant, sed & dißipant, probet, fieri haud potest. Quum iure etiam cautum sit, ne illa quæ sacris publicis'ue usibus dicata sunt, ullus ad se princeps rapere cogitet. Quare si quid in ijs perperam administrandis ac insumendis peccatum est, hoc corrigat potius, & ut in meliores usus conuertatur, curet. Et certè non sine optimo cõsilio maiores nostri tot ac tanta ecclesiarum esse bona uoluerunt, ut ex ijs scilicet fouerentur nõ quidẽ impietas & superstitio, sed in primis pastores & ministri uerbi Dei, deinde uerò literarũ studia & eorundẽ cultores. Quare si, ut cœptum est, in monasteriorũ aliarumq; ecclesiarum bona furore quodam graßari plerisq; impunè licebit, de religione atq; studijs ipsis actum erit. Neq; enim ista ratione futuri sunt unquã, qui sacris discẽdis operam dare strenuã, aut reliquas cõsectari artes, quibus Respublica gubernatur, uelint. Nã cùm sublata uiderint bonarum artium præmia, ad ea potius se studia cõferẽt, unde se suosq; cõmodè sustentare & alere poßint. Et certè nunc puto satis elucere, quid subinde futurum sit cùm ecclesiæ bona prorsus fuerint dilapidata. Quis enim nõ uidet nũc esse tãtã eorũ qui sacra tractant penuriã, ut etiã opifices nulla neque linguarũ neq; aliarum artium peritia adiuti, ad munus longè difficillimũ docendi uerbum Dei admittãtur? Vt nihil mirum sit, quum imperiti homines paßim in sacris tractãdis adhibeantur, tot prodigiosa in Ecclesia quotidie oriri dogmata. Quare optandũ, ut tandẽ Deus regum & principũ animos huc flectat, ut bona quæ sunt ecclesijs dicata, in usum optimũ & Reipub. Christianæ maximè utilẽ cõuertãt: sic enim

plus

plus pietatis, minusq; monstrosarũ doctrinarum in ecclesia erit. Atqui ipse cũ paucis aliquot Abbatibus tua spõte facis, ut ecclesiæ tuæ bona in longè optimũ usum cõferas. Nam ut ex aliorũ prædicatione cognoui, nullis sumptibus parcis ut monachi tuæ cõcrediti curæ sic instituãtur, ut illorum, ingrauescente pastorũ penuria, aliquis in ecclesia usus esse poßit. Vides enim in eo esse nunc statu rem Christianã, ut propediẽ sint ecclesiæ aliquot cariture pastoribus, nisi è monasterijs, tanquã scholis sacris, illi qui Dei uerbũ diligenter doceant, mittantur idonei ministri. Quare pro tua prudentia summa intelligis, nõ in hoc condita esse monasteria ut illic saginentur tantum corpora, sed potius ut in ijs ad publicum usum foueãtur uiri pietate, religione & eruditione haud uulgari præditi. Verùm nõ es contẽtus tuis sic prospexisse, ne illis desint qui animos eorundẽ optimis tum moribus tũ disciplinis imbuant, sed & omnes quotquot in aliqua sunt eruditionis opinione, maxima beneuolentia cõplecteris eorundẽq; studia pro uirili foues, ornas ac tueris. Qua quidẽ ratione perpetuam ac nunquã interiturã laudem tibi cõparas. Sola siquidẽ laus, quã doctrinæ cõseruatio parit, immortalis existit. Pergas igitur, ut cœpisti, studia bonarum artium tegere ac tueri: sic enim non solũ Christo seruatori nostro gratũ præstabis officiũ, sed & efficies ut docti omnes te certatim in cœlum laudibus efferant. Quod ad me attinet, cõfisus de tua in omnes nostri ordinis humanitate & beneuolẽtia, nihil dubito quin lucubrationes has nostras de Sanandis corporis eiusdemq; partiũ malis inscriptas, hilari & exporrecta fronte sis accepturus. Quare si spe nostra, quã de te cõcepimus quidem optimam, frustrati haud fuerimus, ad maiora nomini tuo consecranda nos extimulabis. Christus te sospitem & incolumem conseruet. Tubingæ, Cal. Augusti. Anno M. D. XLII.

RERVM AC VOCVM TOTO HOC OPVSCVlo memorabilium, Index.

Atram

Epilep

FINIS.

LEONHARTI FVCHSII DE MEDENdis singularum partium corporis humani à summo capite ad imos vsque pedes malis, Liber primus.

De Alopecia & Ophiasi. Cap. I.



ΛΩΠΕΚΙΑ *Græcis malum est capitis, in quo areas deciduus capillus efficit. Sic autem appellatam ferunt, quod hæc ipsa uulpibus crebrò accidat. Siquidem* ἀλώπηξ *Græcis uulpem significat. Latini peculiari destituti uoce cum Græcis Alopeciam nuncupant. Barbari autem, ut crebro aliàs, immutatiotione unius literæ nomen deprauantes, Alopiciam appellant.* Alopecia.

ὀφίασις *Græcorum medicis malũ, existit quod capitis partem læsam serpentis instar, quæ* ὄφις *Græcis est, glabram ostendit. Latini itidem ut Græci hoc malũ Ophiasin uocant. Arabicam uerò sectantes medicinam Barbari Tyriam: hac enim uoce illi omnes serpentes, potissimum uerò uiperas intelligunt. Vtrunq; passionis genus à uitiatis humoribus prouenit. Quemadmodum enim plantæ nonnullæ humoris defectu inarescentes contabescunt: aliæ uerò alienis naturæ ipsarum humoribus occursantes pereunt: sic etiam capillis accidit.* Ophiasis. Tyria. Causæ.

dit. Vel enim ex defectu humiditatis, qua nutriuntur, uel ex eiusdem prauitate corrumpũtur. Porrò quales hi sint uitiati

Dignoscendorum uicorũ notæ

humores, ex cutis capitis colore cognosces. Nonnullis enim mutata albidior apparet, nõnullis nigrior, aut pallidior. Candida cutis pituitam, atra melancholiã, pallida flauam significat bilem. Ad uitiosi deniq; humoris speciẽ certius dignoscẽdam, non leue adiumentum præcedens uictus ratio afferet: præsertim intelligenti, quí nam ciborum pituitæ, & quí nã

Victus.

atræ flauæq; bilis succum coaceruẽt. Porrò cùm malũ ex uitiatis humoribus procreatum sit, necesse erit ut uniuersa uictus ratio sit ex ijs cõstituta, quæ bonos succos gignunt: potissimum uerò cibos & potus tales esse cõuenit, qui optimũ succum creare possunt. Quorum cognitio petenda ex libris Galen. De alimen. facul, inscriptis, & libello de cibis bo

Curatio.

ni & mali succi. In primis, quod ad curandi rationẽ attinet, totius corporis purgatio moliẽda, medicamento aut pituitã ducente, aut flauam bilẽ, aut atram exhibito, cõiectura redũdantis humoris, ut paulò antè ostẽdimus, ex cutis colore facta. Si enim is cãdidior, quàm pro naturæ habitu sit, pituitosi humoris purgationẽ adhibebis: sin pallidior, eiusmodi bilis purgationem, haud secus quàm si nigrior cõspicitur, quæ nigram detrahẽt bilem, offeres. Pituitosos autẽ humores, præsertim è capite, hiera ex colocynthide purgare cõsueuit, quæ describitur à Paulo Aegineta lib. 7. cap. 8. sub nomine Hieræ Archigenis. Hiera quoq; amara, quæ à Gal. lib. 7. therap. meth. & lib. 1. De comp. med. secund. locos, cap. 1. describitur, mirificè cõfert: nigro scilicet interdũ adiecto ueratro, ubi atræ bilis humorem expurgare uolueris: interim scãmonia, si flaua

Catapotia ex aloe.

bilis purgãda erit. Quinetiam ex aloë catapotia cõmodè sic affectos purgare solẽt. Habent uerò, teste Alexan. Tralliano lib. 1. cap. 1. pulpæ colocynthidos ʒ 1. aloës, scãmoniæ, singul.

ʒ 2. suc

ʒ 1. succi absinthij ʒ 1. Conteruntur autē singillatim omnia, mixtaq; simul absinthij succo excipiūtur, & in catapotia redigūtur. Ex drachma uerò una cōficiuntur undecim catapotia, unaq; uice deuorātur. Vsus hodierno tēpore Hieræ picræ triplex est. Primū enim sub forma pulueris in uino, aut iure gallinaceo, aut alio cōuenienti liquore assumitur. Dandi modus est drachma una. Secundo sub specie catapotiorū deuoratur, id quod crebrò accidit. Tertio eclegmatis in modū formata exhibetur. Hac forma passim in omnibus officinis præparata habetur. Cæterùm post totius corporis purgationē apophlegmatismis, quæ masticatoria hodie barbara uoce nominantur, pituitā è capite per os ducere oportet. Cōficiūtur ex sinapi, hyssopo, staphide agria, pipere, origano, radice pyrethri, carpesijs, & similibus. Valet autē hoc potissimū, quod habet: Piperis lōgi, nucis moschatæ, sing. ʒ ß. Seminis staphidis agriæ, pyrethri, singul. ℈ 2. sinapi, origani, utriusq; ℈ 1. Trita excipiātur mastiche aut melle, aut cera, fingāturq; pastilli forma lupinorū māsiles, quorū unus ad horæ ferè unius medietatē cōmanducetur. Possunt etiam prædicta, postquam trita sunt, in linteolum deligata cōmanducari, ut copiosè in libris nostris De comp. med. monstrauimus. His peractis, ad localia uocata medicamēta ueniēdum erit, quæ discutiendi attenuandiq; uires habeāt. Inter ea autē calidissimum est euphorbium. Eo minus calidum thapsia, post hāc uerò sinapi & nasturtium. His succedūt sulphur, nitrum, uterq; elleborus, erucæ semen, oleumq; laurinum. Quinetiam pix liquida, muriū stercus, anserinus adeps, sed magis ursinus, amygdalæ amaræ totæ ustæ, herinacei terrestris cutis, & thus acerrimo aceto subactum, quemadmodum copiosè docet Galenus lib. 1 De comp. medicam. secundum locos, cap. 1. Ante tamen nunc commemoratorum medicamentorum usum capillos nouacula

Hieræ picræ usus triplex.

Apophlegmatismi.

Pastilli māsiles.

Localia.

cula tollere oportet, ac deinde patientem cutem per linteolũ neq; asperum, neq; molle nimis confricare, obseruareq; quantum ruboris huic ex eiusmodi frictione accedat. Si enim per modicã frictionẽ statim rubefiat, morbus sanatu facilis erit. Sin uix post longam atq; multam frictionem rubescat, difficilem tum paßionẽ, tum curationẽ ominaberis. Medicamẽta uerò quæ capiti illinuntur, ad hũc qui sequitur modum cõponuntur. Vnum quod accipit seminis erucæ, nasturtij, nitri, singul. ʒ 1. ß. thuris in aceto acri & ualido macerati ʒ 1. Sulphuris uiui ʒ 1. ß. adipis anserini, ursini, utriusq; ʒ 1. olei laurini ℥ 3. Tritis & cõmixtis omnibus fac linimẽtum. Aliud paulò ualidius, quod habet euphorbij, thapsiæ, utriusque ʒ 1. ellebori utriusq;, sing. ʒ ß. seminis nasturtij, erucæ, amygdalarũ amararũ cum corticibus ustarũ, sing. ℈ 1. sinapi ℈ ß. oleorũ nardini, laurini, utriusq; ℥ 2. ceræ quod satis est fingatur unguentum, quo caput aßiduè illinatur. Sunt autem hæc præsidia in calido aëre adhibenda, & maximè si fieri poßit in loco insolato aura carẽte. Si uerò hyems fuerit, in hypocausto, aut balneo medicamẽtis ijs uti satius est. Præ omnibus uerò cauendum, ne dum ualida medicamẽta admouẽtur, cutis ultra quàm cõuenit concalescat: id quod tum ex colore ipsius, tum digitorum tactu deprehẽdes. Color nanq; in ea rufus magis apparebit, digitorũq; ipsam cõtactu satis esse calidã cognosces. Horũ itaq; animaduersionẽ habere oportet: periculum enim iterum atq; iterum repetito eorundẽ usu, cutem exuri. Quare ad molliora transeundum est. Inter simplicia & paratu facilia medicamẽta hæc potißimum alopeciæ cõferũt. Abrotonum, cui acetum commixtum sit. Non leuis momenti auxilium adferunt stercus caprinum, earundemq; ungulæ crematæ, si cum aceto illinantur. Quin & rosmarinum pluribus diebus, cum aceto maceratum, alopeciæ succurrit. Benefacit

Linimẽtũ.

Vnguẽtũ.

Quo in loco applicãda medicamenta.

Simplicia & paratu facilia medicamenta.

etiam uerbenaca recta cum aceto trita & illita. Cortex deniq; raphani melle solutus, itemq; cortices ceparũ unà cum cepis tritis illiti prosunt. Equinos dentes cremato, & ex aceto utitor. Marrubium uiride tritum, illine. Perdicio herba, quam parietariam uocãt, trita cum folijs aßiduè locum perfricato. Plura alia paratu facilia medicamenta, habet Galenus lib.1. De compo. med. secundum locos, cap.1.

De defluuio capillorum Cap. II.

HOc malũ raritatẽ cutis, inopiamq; substantiæ capillos generãtis cõsequitur. Relaxatio enim seu raritas meatuũ cutis, causa est cur pili nõ firmiter hæreãt. Humoris uerò cuius beneficio pili oriũtur, inopia, pili primũ extenuantur, dein etiam excidũt. Notis nihil opus est ad mali cognitionẽ, quòd primo statim obtutu ac cõspectu deprehẽdatur. Curãdi ratio eorũ qui sic afficiuntur, non eundẽ scopum cum alopecia obtinet. In ea enim ut uitiosus humor consumatur, primarium scopum habemus: in defluuio uerò capillorum, ut capitis habitum corroboremus, & boni succi allationẽ moliamur, cutemq; ad densitatem & raritatem mediocrem reuocemus. Quapropter humectantibus medicamẽtis, aliquod mediocriter adstringens miscere oportet, quale est ladanum, quod utraque in se moderata obtinet, quæ huic symptomati conueniunt, calorem uidelicet moderatum, & adstrictionem ei respondẽtem. Quamobrem oleo mixtum, quo illini poßit, defluentium capillorum symptoma sistit. Verùm cuiuis constat, antequam medicamento utaris, capitis frictionem præcedere oportere, & multitudinis pilorum resectionẽ. Si uerò anni tempus permittit, etiam perfectam ablationem: sic enim ob frictiones & illitus, robusta & calida cutis reddetur, & moderatam densitatem, eam scilicet quæ secundum naturam est,

Causa. Signa. Curatio.

est, acquiret. Caeterùm consueuit haec paßio magna ex parte ijs antea qui aegrotarunt, accidere: rarò autē citra morbum: magisq; requirit uictus rationē, & refectoriū, & salubrem. Multiq; citra medicamentū perfectè & celeriter sanati sunt. Cibis itaq; humectantibus boniq; succi ac coctioni nihil aduersantibus ab omni salsugine & acrimonia alienis tum utendum erit. Porrò medicamenta talia sint, quae cutem mediocriter densent, ita tamen, ut ne simul eam refrigerēt: quippe uehementer adstringētia, omnino etiā refrigerant, & affluxum nutrimēti repellūt, quo minus quā par est suppeditato, capilli defluunt. Huc itaq; medicamentorū ratio dirigenda, ut sanguinem qui affluit, non solum non prohibeant, sed etiā promoueant: sensim autē & leuiter cutē contrahant, luxatamq; ac rerefactam cōstringant. Tale autē, ut diximus, suapte natura est ladanum, quod quia cerae similē consistentiā obtinet, liquorem quendā desiderat conuenientē & largum, ut capiti, illini poßit. Praestat autē huiusmodi liquorē similē esse ladano, hoc est, ex cōtrarijs facultatibus mixtum adstrictoria nimirum, & contrahente. Eius generis est oleū lentiscinū, suapte natura tale existens, quale & ladanum. Nullum itaq; medicamentum, Galeno etiā teste in fluentibus capillis praestantius eo, quod ex ladano & lentiscino mixtum est. Manifestū autē cuiuis esse arbitror, rasis craßius esse medicamentū admouendum, tonsis autem liquidius. Nam quod comas nutrire non cōueniat, donec aliquis curetur, euidens esse omnibus puto. Porrò si magnū fuerit capillorum defluuium, & magnam raritatē cutis capitis factam esse cōijcias, haud absurdum fuerit in praesentia myrtinum oleū in uicē lentiscini ladano miscere. Est autē dimidia ladani pars cum integra olei myrtini parte commiscenda. Licebit etiam aliquando in aetate frigida, atq; adeò temperamento capitis natura frigido, & hyberno

Ladanum.

tempo

tempore, calefactoriæ facultatis adhibere oleũ, quale est nardinum. Ladanũ uerò in duplici uase liquefacito, & ubi liquefeceris, cum nardino spicatum oleũ admisceto. Atq; hæc quidem medicamẽta unà cum refectoria & salubri uictus ratione abundè sufficere uidentur. Verùm ne studiosi aliquid desiderare queant, aliqua iam dictis, eaq́; paratu facilia, adijciemus. Verbenacã rectam uirentẽ cũ radicibus in omphacinũ oleo conijcito, atq; ubi per plures dies insolaueris, oleum excolato, eoq́; singulis diebus utere. Quòd si uirens defuerit, aridam unà cum radicibus cõtundito, & per angustißimum cribrum cõcernito, deim oleo cõmixto ut strigmẽti craßitudinem accipiat, in uas æreum reponito, atq; ubi computruerit, pro oleo similiter utitor, nulli enim remedio cedit. Ladani & absinthij æquales partes, baccas iuniperi decẽ linteolo illigato, & in oleo ad dies quinq; macerato, ex eoq́; caput illinito, & neq; capilli defluent, neq; furfures habebunt. Ladani partes duas, adianti partem unam, uino & myrtino oleo excipe, & utere. Nigellam urito, aquaq́; subactã illinito. Huius enim usus ad eliciendos pilos mirificè probatur, siue capiti, siue mento: in primis autem, si superciliis adhibeas. Paratu facilia medicamenta.

De porrigine. Cap. III.

Porrigo malũ est quod Græci πιτυρίασιν uocãt. Qui hodie factitant medicinã, furfures appellant. Fit, cùm tenues ac furfuraceæ squamulæ ex capitis cute, nulla relicta exulceratione, decidũt. Prouenit hoc symptoma uitioso quopiã humore, salsáue pituita, aut bilioso et melãcholico sanguine caput subeũte. Notæ ex ijs quæ iam diximus manifestæ. Victus ratio talis sit, quæ crassos & uitiosos humores nõ generet, nec flatus pcreet. Sint itaq; boni succi cibi, qbus uescũtur ægrotãtes: coctionis autẽ probæ in primis cura habẽda est. πιτυρίασις. Furfur. Causa. Notæ. Curatio.

Deamb

Deambulationes lenes plurimæ, manè & uesperi optimæ sunt. Vinum prodest album & tenue. Ira, indignatio, mora in sole, & uehemens refrigeratio uitanda, omnia item quæ caput replent. Si uniuersum corpus uitiatis humoribus plenum fuerit, initio illi antequam localia adhibeãtur, medicamentis pituitam maximè ducẽtibus uacuandi erunt. Dein prauos humores in capite malum hoc procreantes, medicamentis discutiendi & extergendi facultate præditis absumere oportet. Sunt tamen qui iam dictis medicamentis etiam adstringentia quædam, hoc quidem consilio ut per ea patiens particula corroboretur, ne facilè in seipsam influẽtes serosos humores recipiat, sed resistat, eosq; repellat, admiscenda esse putent. Abstergent autem à capite porriginẽ, amygdalæ amaræ decorticatæ cum aqua aut aceto affricatæ, quumq; exaruerint capilli calida abluendi sunt. Maluam agrestam, quam alio nomine althæam uocant, in aqua marina donec decima pars relicta fuerit, coctã terito & affricato. Nitri spumam, & atramentum sutorium, calcantum Græci appellant, æquis partibus cum uino, ter aut quater in mense affricato. Hoc adeò efficax est, ut neq; in posterum porrigo regeneretur. Cimoliæ & sulphuris uiui æquas portiones contritas illine, tum lupinorũ decocto lauato. Lithargyri, olei rutacei, aceti partes æquas inungito. Radicis cucumeris syluestris decocto utere. Scillam assato, & ubi flaccescere cœperit succum exprimito, & oleo commixtum illine. Syluestrem staphida oleo eliquatam illinito.

Porriginẽ abstergentia.

De phthiriasi. Cap. IIII.

φθειρίασις. Pediculatio.

Φθειρίασις pediculorũ in capite aceruatim generatio est. Latini pediculationẽ, & morbũ pedicularem nuncupant. Accidit hoc malum ex multis calidis humoribus, non

non tamen ad tantam caliditatem progreßis, ad quãtam perueniunt acres & serosi humores. Vnde manifestũ fit, in profundo cutis affectum pediculationis fieri, ubi etiam animalia hæc gigni possunt: non in cutis superficie, in qua porriginẽ consistere diximus. Notis ad eius mali cognitionẽ nihil opus est. Medicamẽta malũ hoc requirit desiccatoria, & quæ ex alto trahere & euacuare possunt, magis utiq; quàm ea quæ porrigini conueniunt. qualia sunt, quæ sequuntur. Staphidi syluestris partes duas, sandarachæ, hoc est, ut hodie uocant, arsenici rubei, nitri utriusq; partem unã, cum aceto & oleo ueteri capiti illine. Rhoën obsoniorum similiter cum oleo illinito. Oxylapati radicem cum oleo, eodem modo. Elleborũ albũ, staphida syluestrem, & nitrum pari pondere cum oleo in balneo utitor. Aut cum aqua marina, aut meraca muria perfundito. Quòd si nuditas pilorũ adsit, syluestrẽ staphida cum oleo & aceto illinito, aut alumen tritũ cum oleo. Confer etiã caput lauare lupinorum, aut tamaricis decocto, aut aqua tepida cũ aceto. Hederæ succũ cum melle mixtum, uel helxinem, quam parietariam nominant, dormituris illinire prodest. Oleum quoque laurinum, aut raphaninũ inunctum auxiliatur. Lupinorũ insuper & baccharũ lauri decoctum pediculationi medetur, si ijs caput detergatur. Paulus mirificè probat staphida syluestrem, ex aceto & oleo tritã inunctam. hac quæ se quod uoluit semper assecutum esse tradit.

Causa. Notæ. Curatio. Sãdaracha

De achoribus. Cap. V.

Αχῶρες Græcis ulcuscula cutis capitis sunt, tenuißimis cutẽ foraminibus perforantia, per quæ glutinosa fertur sanies. Plinius ulcera capitis manantia dixit. Nostra ætas à tinearum in uestibus similitudine, capitis tineas appellat. Vt enim hæ multo eoq; tenui morsu & erosione uestes perforant

ἀχῶρες. Manantia capitis vlcera. Tineæ capitis.

Causa. forant, sic capitis cutẽ achores. Generatio huius mali ex humore mixto est, qui partim tenuem serosumq; ac mordacem, partim uerò crassum succũ in se habet. Tenuis itaq; humor, utpote mordax, primum quidem ad scalpendum ipsos cogit, progressu uerò temporis ad pruritum tum tumor augescit, tum foramina circa ipsum erumpunt. Paulus pathos hoc ex nitrosa salsaq; pituita creari tradit. Si humores qui excernũtur tenues admodum cõsistentia fuerint, biliosas: sin à tenuitate absint, & crassi ac glutinosi fuerint, pituitosas potius superare sanies portendent. Victus ratio in hoc malo ex cibis boni succi cõstare debet. Omnia deniq; acria & salsa uitanda, perinde atq; crassa & glutinosa. Curandi ratio à uacuatione humorum qui malũ hoc generant, auspicanda. Si itaq; adhuc influxerint humores totius corporis præmittenda purgatio erit haud secus quàm in alopecia. Dein caput per os & nares purgandum sic enim influxus humorũ prohibebitur. Cæterùm si malum exiguum fuerit, sola localia uocata remedia, citra totius corporis euacuationẽ suffecerint. Conueniunt autẽ ipsis, propter craßitiẽ & lentorẽ humoris eos generantis, medicamẽta quæ hunc incidunt, quæq; facultatẽ discutiendi & reprimendi necessariò obtinẽt. Incipientes tamen achores, ubi corpus uniuersum excremẽtis caruerit, cũ adstringentibus reprimentibusq; tantum curare licebit, ut sunt myrti baccæ, rubi folia illita, plantago, salicis folia, polygonum, & similia. His igitur quæ mixtas facultates habẽt, atq; adeò affluentes humores reprimũt, eos uerò qui in parte patiente cõtinẽtur cõcoquunt ac discutiunt, in morbi augmento potißimũ utẽdũ erit. Acetũ itaq; ex incidẽtiũ ordine existens, ultra hoc quòd discutit, præcipuũ quiddã in se habet, quo reprimit, ac quod influit depellit, utpote quòd substantia sua modicè calidũ est, plurimũ uerò frigidũ, & partium

Notæ. Victus. Curatio. Acetum.

tium tenuiū. Hoc ipso sanè medicamēta metallica nominata, aliàs aliud imbues atq; dilues, moderata quidē in qbus incipit & adhuc exiguū est malū, fortia uerò in maioribus & diuturnioribus, fortiora autē in inueteratis iā & ægerrimè curabilibus, achoresq; sanabis. Tollēdi uerò prius capilli sunt, antequā medicamēta admoueātur, à leuioribusq; semper inchoandum, præsertim si dolor simul cum ipsis adsit. Derasis igitur capillis, caput bis ter'ue, aut etiā sæpius die fouendum aqua calida, in qua myrti baccæ sint decoctæ, uel rubus, uel bryonia, uel lenticula, uel amari lupini, uel asparagi radix. Quū uerò plus saniei emanat, rectè illinuntur salicis folia cū aqua, uel lenticula cum melle. Vnguenta uerò parabis è lēnia terra, spodio, pōpholyge, spuma argenti, cadmia, adianto & rosaceo. Prodest etiā fœnogræci decoctum, affrictum, malua cum uino & farina hordeacea subacta. Item melilotū cū farina fœnogræci & uino impositū. Quòd si ex ijs malū non quiescat, medicamētū ex charta siccū, aceto dilutū, illinendū Galenus enim sola charta exusta & aceto diluta locū patiētem illimens, atq; uno & item altero die usus, nōnullos perfectè sanitati restituit. Cōuenit autē hoc medicamētū ijs maximè, qui duræ sunt carnis. Præterea sunt medicamenta uiribus omnino robustißima, adeò ut etiā achoras ex craßis & lētis humoribus obortos, cōtumaciterq; cuti infarctos euacuare queāt, atq; id adeò ualidè, ut etiā si scirrhosum quid habeant, idipsum uacuare ualeāt: licet ipsum cutis habitū in eiusmodi prauitatē ducant, ut id quod influit corrumpāt, etsi benignū fuerit. Talia sunt sal, uini fæx usta, sandaracha, quā uulgo arsenicum rubeum nominant, calx uiua, fel calidorum & siccorum animantium, & id genus alia. Cæterùm quæ optime discutiunt, sunt lilij radix affricta, rosmarinum cum uino & aqua, & lupinorum amarorum, aut syluestris cucumeris radicis Discutientia.

dicis decoctum affrictum, rutæ folia, farina fœnogræci cum nitro, thus ex aceto illitum, malicoriū cum oleo laurino illitum. Reliqua ex lib. primo Galeni De comp. med. secundū locos petenda erunt.

De dolore capitis. Cap. VI.

κεφαλαλγία.
Causæ.

Dolorem capitis eū, qui non est inueteratus, non curādo an ꝑ se accidat, aut alterius affectus symptoma & comes sit, Græcorū medici κεφαλαλγίαν, barbarāuero sectantes medicinā, Sodā nominăt. Huius quidē cōplures sunt causæ. Nunc enim ex sola simplici intēperie citra humores accidit, nūc uerò ex horū qualitate oritur. Interdum etiā ob plenitudinē humorū, quā πλῆθος Græci uocāt, generatur. Interim quoque ex stomachi uitio capitis dolor excitatur. Quādoq; etiam à causa externa, προκαταρκτικὴν Græci appellant, utpote ardore solis, frigore, ebrietate, & ictu. Vehementißimi aūt capitis dolores ex caliditate & frigiditate nascūtur, præsertim quū inæquales extiterint: moderati, qui ex siccitate proueniunt. Humiditatē uerò per se nullus cōsequitur dolor, nisi calori, aut frigori, aut humorum plenitudini, aut acrimoniæ cōiuncta fuerit. Pari modo si ob redundantes, uel in omnibus capitis partibus, uel una quacūq; tandem, uel duabus, humores capitis dolor contingit, uehementior quidē è calidis & frigidis, moderatior uerò à siccātibus citra cōspicuā caliditatē & frigiditatē oboritur. Humectantes, quantū ad qualitatē ipsorum attinet, nullū penitus dolorē inuehunt: etenim propter plenitudinem instrumentalium partiū morbos procreant: nullū autē similariū, in quibus solis affectus ex intemperie simplici gignuntur. Qui uerò ex plenitudine nascūtur affectus, citra quidem obstructionem, caput grauāt: cum obstructione autem, siquidē ea moderata fuerit,

Notæ.

Humiditas per se nullum efficit dolorem.

fuerit, moderate dolorifici: sin uehemẽs, ualide dolorosi sunt. Quòd si etiam mordacem qualitatẽ humorũ plenitudo habuerit, secundum hanc quoq; dolorẽ augebit. Alias notas, quibus causæ capitis dolorẽ cõciliantes deprehenduntur, ex sequentibus petent studiosi. Nos enim ut omnia dilucide tractentur, ordine singulos affectus capitis dolores excitantes prosequemur, initio à calida intemperie sumpto.

De dolore capitis ex calore nato. Cap. VII.

PEr calorẽ hoc in loco intẽperiẽ calidã nudæ qualitatis citra humorẽ intelligimus. Generatur magna ex parte à solis ardore: omnes enim homines soli æstiuo diutius immorati, capite incalescũt. Ex motu itẽ immodico, balneis, flãmæ uicinitate, ira, furore, calidis affectib. & odoramẽtis. Qui ex ardore solis, quẽ Græci ἔγκαυσιν uocant, caput dolent, eorũ cutis tactu calida est, & primo statim iniectu manus aridior apparet, oculiq; rubent. Frigidis tum perfusionibus, tum inunctionibus gaudẽt & iuuantur. Reliquæ causæ è sermonibus ægrotãtis cognosci possunt. Euitãdus in hoc genere doloris capitis aër calidus, qui nullũ perflatũ recipit, calidisq; uaporibus refertus est. Deligẽdus cõtrà qui natura frigidus est, aut qui nostra industria sic præparatus sit è floribus ac germinibus frigida facultate præditis p aream sparsis, & humi fusis ac proiectis, rosis scilicet, uiolis, nympheæ floribus, uitiũ capreolis, ruborũ ramis, et id genus alijs. Præterea aërẽ, aqua frigida de uasis in uasa trãsfusa, refrigerare expedit. Cibus sit exiguus, & natura frigidus, qualis est lactuca, portulaca, ptisana hordei, aut eiusdẽ alica, oua sorbilia, panis ex aqua, pulli colũbarũ cũ omphacio, agrestã hodie factitantes medicinã nominãt, cocti. Pisces itẽ petrosi, & lac amygdalarum

Calore. Causæ. Signa. ἔγκαυσις Victus ratio. Aer. Cibus.

 larum

Potus. larum cũ furfuribus decoctũ. Pro potu aqua utendũ est, nisi sint quibus uẽtriculus propter aquæ potũ subuertatur: tum enim præstat uti uino aquoso, & bene diluto, aut aqua in qua parũ cinnamomi decoctũ sit: cui si lubet serapiũ intybi satiui latioris, endiuiã appellãt, & acidũ simplex nominatũ, aut oxosaccharũ admiscebis. Cæterũ somni & quietis cura in primis habẽda est ægrotãti. Coitũ euitet, aluiq́; excremẽta, ac lotiũ minime retineat: sed ab ijs sese statim à somno, si fieri potest, exoneret. Exercitationes, frictiones, solem balneaq́; fugiat. Irã, furorẽ, aliasq́; animi pturbationes corpus calefaciẽtes, prsus nõ admittat. Proinde uitari debet clamor, cõtentio, omnisq́; mẽtis perculsio, & in bona animi firmitate degendũ. Porrò dolorẽ capitis à calore ortũ curant quæcũq; citra manifestã adstrictionẽ refrigerãdi facultatẽ obtinẽt. Inter ea autẽ optima censenda, quæ tenuiũ partiũ substãtia prædita sunt. Initio itaq; nihil præstãtius, quàm oleo rosaceo probè apparato caput pfundere. Quòd si illi parũ aceti adiectũ fuerit, lõgè maiorẽ, et penitius penetrãdi uim induet medicamentũ. Proximũ à rosaceo chamæmelinũ locũ habet, in ijs maximè corporibus, qui uehementi refrigeratione non indigẽt: ut sunt corpora muliebria, eunuchorũ, puerorũ, & eorũ qui molli carne præditi sunt, albumq́; colorẽ habent. Si uerò uehementiori refrigeratione opus erit, semperuiui, aut lactucæ, aut portulacæ, aut polygoni, aut uuæ acerbæ & immaturæ, aut solani, aut seridis, aut psyllij succũ, aut id genus aliũ refrigerãdi facultatẽ obtinentẽ adijcere conuenit. Parabuntur itaq; medicamenta, quæ capiti adhibẽtur, in hũc modũ: Olei rosacei ℥ 4. liquoris stillaticij rosarũ ℥ 1. ß. aceti optimi ℥ ß. misce. Aliud, quod recipit liquoris stillaticij semperuiui, lactucæ, solani, singulorũ ℥ 2. liquoris stillaticij chamæmeli ℥ 1. ß. aceti ℥ 1. Commisceantur singula, & in ijs fascia

Somnus. Excrementorum expurgatio. Exercitia. Animi perturbationes. Curatio.

Admotio medicamẽtorum qualis esse debeat.

made

madefiat, quæ iuxta frontē ubi pilosa eius par desinit, atq; tē pora ipsa, capiti imponatur. Porrò medicamentū hoc occiput haud tāgat: neq; enim citra molestiā refrigerantia sustinet, ꝓpterea quod isthic medullæ spinalis initiū existat. Per sincipitis autē regionē ob laxitatē coarticulationis iuxta coronalē suturā, & ob oßiū tenuitatē & raritatem, facilè tum caliditas, tū frigiditas omniū quæ sibi adhibētur medicamentorū intro distribuitur. Quare siue refrigerare aliquādo caliditatē ex æstu solis, alijsq; ex causis contractā, siue calefacere frigiditatē oporteat, idonea est capitis iuxta sinciput regio. Cæterùm refrigerabis, æstiuo potißimū tēpore, quæcūq; adhibere uoles, aquæ admodū frigidæ imponens: aut si huius copia nō detur, niuē aut glaciem uasculo circūponens. Hoc præsidiū, etiā si humorū aut uaporū copia ad caput impetū fecerit, præclarè auxiliatur. Eadē quidem ratione alijs oleis refrigerandi ui præditis uti licebit, ut est cotoneorum, uiolaceū, nymphex, quod nenupharinū hodie uocāt. Neq; alienum ab instituto nostro erit linimentum, quod in hunc cōficitur modū: Lenti cremoris, mucilaginē barbari nomināt, seminis cotoneorum & seminis psyllij, utriusq; ℨ 3. succi portulacæ ℨ 1. ß. succi solani ℨ. ß. olei rosacei ℥ 1. Misceātur, & informetur linimētū. Poteris etiā adiecta cera aut acceßione aliorū medicamētorū fingere unguentum ad eum modū. Vnguenti populeôn ℨ 1. oleorū uiolacei, rosacei, singulorū ℨ 3. florum nymphex aridorū, rosarū rubearum, singul. ℈ 1. ceræ quod satis est, fiat unguentum, quod fronti & tēporibus illinatur. Neq; temere etiā quispiam embrochis è rosis, uiolis, floribus nymphex, folijs salicis, uitis, portulaca, hordeoq; cōpositis utetur. A' stupefacientibus tamē, utpote quæ nō citra offensam refrigerent, & ab ijs quæ cū eo quod refrigerant manifestè adstringūt abstinendum, nisi idipsum neceßitas exigat.

Linimentum.

Vnguētū.

Embroche.

Stupefacientia.

Quare si quando necessitas postulet, parum quiddam ex eis refrigerantibus miscendum est. Huius gratia mãdragoræ & papaueris succi caueri debent. Solani etiam succum, aut neutiquã miscemus, aut prorsum exiguũ, quod nos in linimento superiori fecimus. Ita & mali granati, & mali cotonei, & mespili succi eo quòd adstringãt fugiendi. Ad hãc tamẽ rem malorum granatorum acidorum succus præstantior est, ut qui magis refrigeret. Hactenus quidẽ medicamẽta quæ inter initia mali côueniũt, cõmemorauimus. Mox deinde mitigãtia cõcoquentiaq; medicamenta reprimẽtibus admiscere oportet. Fingatur itaq; embrocha eum in modum. Florum rosarum, uiolarum, utrorunq; m̃. f. foliorum salicis, chamæmeli, meliloti, singulorum m̃. i. seminis maluæ ℥ i. hordei decorticati ℥ i. Coquantur singula in aquæ lib. 2. donec tertia pars absumatur, & fiat embrocha. Tandẽ ex discussorijs medicamentis aliquod adijciendum, quorum catalogum habes in libro nostro primo De compositione medicamẽtorum, paulatim detractis ijs quæ repellunt. Porrò intra corpus, si dolor capitis ab exercitijs, ira, & huiusmodi est ortus, assumi debent medicamẽta, zulapium uiolaceum, rosaceum, condita eorundem, antidotus quæ manus Christi uocatur, & alia eiusmodi hodie usitata, quibus refrigerandi facultas inest.

Embrocha

De dolore capitis ex frigore contracto. Caput VIII.

Causæ.

PEr frigus accipe intemperiẽ frigidam nudæ qualitatis, citra alicuius frigidi humoris affluxum. Hæc autẽ contrahitur ab ambiente nos aëre frigido, potißimum ubi quis aperto capite in eo diutius uersetur, & ab improuida frigidorum omnium admotione. Signa eorum qui caput ob frigiditatẽ dolẽt, contraria planè sunt ijs, quæ ex calore oriuntur.

Notæ.

In capite enim tum nullus sentitur calor: facies etiã ipsorum incõtracta, & minimè arida, decolor tamẽ existit. Oculi denique non rubẽt, sed contrà sub tumido pallore deformantur. Frigidis nec gaudent, nec iuuantur. Qui sic dolent, aërem caueant frigidum, & morentur in calido. Lactis præterea in cibo usum, piscium, & aliorum omnium quæ possunt refrigerare, deuitent. Ouis sorbilibus carnibus auicularũ, & ijs similibus uescantur. Dandũ ijs uinum tenuium partium, quod tantum abest ut noceat, ut etiã plurimum conducat, eò quòd calefaciendi extenuandiq; facultate præditum sit. Motu corporis utatur, gestationeq; in equo, quod utraq; calorẽ excitent. Balnea quoq; illis calida prosunt. Somnus quidẽ ijs cõfert mediocris, ideoq; plus eis uigilandũ erit, quã dormiendũ. Tristitiã graues cogitationes aliasq; eius generis animi perturbationes fugiant. Cæterùm in admouẽdis capiti remedijs, cerebri natiuum temperamentũ unice considerandũ erit: hoc enim tale existit, ut neq; uehementer calida, neq; etiã admodum frigida ferat medicamenta. Galeno autẽ autore, rutaceũ oleum calidum sincipiti superfusum, perfectè hominẽ liberare potest. Quòd si uerò uehementiore sit opus calefactione, piper aut euphorbium oleo inijciatur, aut aliquid olei de piperibus uel oleum de euphorbio rutaceo commiscendum. Instar rutacei, laurinum & irinum olea prosunt. Prædictis omnibus alia quædam calida medicamenta adijcere licebit, ac unguentum in eum parare modum. Oleorum irini & rutacei, utrorunq; ℥ ß. maioranæ, betonicæ, piperis singu. ℈ 1. euphorbij grana 5. ceræ quod satis est, fingatur unguentum. Eo & simililibus non solum frontẽ, uerumetiam narium meatus inungere oportet. Haud inutiliter adhibebuntur etiã embrochæ è floribus meliloti & chamæmeli, maiorana, origano, betonica, sampsucho, saluia, laurinis folijs, stichadæ, & similibus

Victus ratio.

Curatio.

Vnguẽtũ.

Sacculi. libus in aqua decoctis paratæ. In quē usum sacculi quoq; applicari capiti possunt, qui accipiunt: Foliorum lauri, serpilli, maioranæ, singul. m̄. ß. florū rosmarini m̄. 1. rutæ m̄. ß. garyophyllorū, stichadis, singu. ʒ 1. pulegij, calaminthæ, sing. ʒ 1. ß. Trita demittātur in sericū, aut linteolū purissimū ac tenuissimum, formeturq; sacculus, qui calefactus, acetoq; prius irrigatus capiti admoueatur. Neq; temere etiam quis orbiculo odorifero (pomum hodie uocant) in hunc modum composito utetur. Styracis calamitis ʒ 2. garyophyllorum, maceris, ligni aloës, singul. ʒ ß. lauandulæ ʒ 2. galliæ moschatæ ʒ 1. ß. moschi, ambar, utriusq; grana 3. Tritis & cribratis omnibus cum stillaticio maioranæ liquore, & stactæ, quam storacem liquidam Arabes & horum sectatores barbari medici appellant, quod satis est: fingantur orbiculi odorati.

Orbiculus odoriferus.

De dolore capitis è siccitate aut humiditate orto. Cap. IX.

Siccitas & humiditas, se solis dolorē nō inferunt.

PEr siccitatem hoc in loco intemperies sicca nudæ qualitatis accipienda uenit, perinde atq; humiditatē intemperiem humidā ex nuda qualitate procreatam. Harum autē neutra se sola, nisi accedat, uel caliditas, uel frigiditas, dolorē capitis excitare potest. Quod grauissimus autor Galenus cap. 5. lib. 1. De symptomatum causis, in eum scribēs modum confirmat: Porrò, inquit, uehementes eueniunt in tactu à naturali habitu transmutationes, ob uiolentum calidi frigidiq; occursum, atq; ob eas res, quæ cōtundere, secare, extendere, aut erodere possunt. Nam siccitas, humiditasq;, nisi calori frigori'ue cōiungantur, occursu suo uim inferre nō cōsueuere. Hæc ille. Rationem eius, quod diximus, proptè ex ijs quæ ibidem idem Galenus scribit, quiuis colligere poterit. Nam cùm nulla res, nisi eius occursus sit uehemens ac repentinus, dolo

dolorem excitare queat, humiditas autem & siccitas nullam uiolentam aut molestam sensionem in corporibus sensu praeditis efficere possint: imbecillior enim earundē est alteratio, atq; adeò sensim irrepēs, quòd magis sint passiuae quàm actiuae: ideoq; dolorē nullum inferre capiti possunt. Atq; hinc est quod Galenus ac alij ueteres Graeci medici in suis libris nullā doloris è siccitate & humiditate orti, mentionē faciant. Nos tamen hic earundē intemperierum meminimus, non quòd solas excitare posse dolorē capitis putemus, sed ut haberēt etiā studiosi medicamentorum copiam, ubi è calore & siccitate, humiditaté ue, aut è frigore & siccitate humiditaté ue coniunctis dolorem capitis excitari contingeret. Porrò dolor à siccitate fit ab aëre ambiēte sicco, medicamētis siccātibus fame, exercitijs, coïtu, & animi perturbationibus. Ab humiditate itidē, à medicamentis humectantibus aëre ambiēte humido, balneis, aquae calidae, & alijs quae suprà modū humectāt. Causae.
Deprehenditur siccitas, si pauca, aut nullae penitus è naribus excremēta, aut humida profluxerint, si oculi cōcaui fuerint, multaeq; praecesserint uigiliae. Cōtrà humiditas, ubi multus ex naribus mucus ꝑmanarit, si oculi tumidi fuerint, & laborātes multū dormiant. Qui ob siccitatē dolent, ij in aëre uersentur humido, uescanturq; cibis humectantibus, & boni succi, uitellis ouorum, testibus gallorum, ac eorundem iusculis, phasianis, ꝑdicibus & alijs quae plurimum nutrire & humectare possunt. Vinum bibant tenue, aquosum tamen. Somno utantur quoad fieri potest largiore. Fugiant motum corporis, ac quiete potius, otioq; utantur aegri. Coïtus, fames, sitis, & omnia quae exiccare nata sunt, euitanda. Lauacra quae humectare possunt, ut sunt Galeno libro 3. De tuend. uale. teste, dulcium calefactarum aquarum, si tepidiores fuerint, non parum commoditatis aegrotanti afferent. Laetetur deniq; Signa.

niq;, & omnes alias animi perturbationes uitet. Si propter humiditatē dolor accidat, cōtrariā uictus rationem adhibere expedit, nimirum exiccantē, quā quisq; ex ijs quæ nunc diximus, & subinde in alijs locis cōmemorabimus, facilè cognoscet.

Curatio. In dolore capitis à siccitate nato, adhibendum oleū uiolaceum, amygdalinum, quod scilicet è dulcibus est confectum amygdalis. Inungendū uerò his nō solū synciput, imò naribus etiā hæc ipsa instillāda. Prædictis oleis rectißimè cōmiscentur pinguedines ad hunc uel similē modum. Oleorū uiolacei & nymphea, utriusq; ℥ j. pinguedinis uitulinæ, gallinæ, butyri recentis salis expertis, sing. ℥ ß. Misceātur singula, fiatq;

Linimētū. liminentum. Proderit nō parum embrochas è uiolis, maluis, alijsq; herbis humectandi facultate præditis cōfecisse. In capitis dolore ab humiditate excitato, contraria planè curandi ratio adhibenda erit. Quæ etiā uariabitur, prout uel calor, aut frigus humiditati coniungetur. Remediorum uerò copiā ex ijs quæ deinceps dicemus, studiosi petent.

De dolore capitis ex plenitudine. Caput X.

HActenus de curādis doloribus capitis qui ex nuda qualitatum alteratione proueniunt, egimus nunc de eo qui

Plenitudo. è plenitudine oritur disseremus. Plenitudinē autē uocamus in præsentia, id quòd Græcis πλῆθος καὶ πληθώρα nominatur: quæ fit, Gal. lib. 1. De comp. medi. secundum locos, cap. 1. teste, quatuor humoribus proportione adauctis, aut solo sanguine: idem enim est, quum syncerus sanguis in uenis nūquā reperiatur, quin semper aliquid bilis, uel pituitæ, aut serosi humoris illi cōmixtū sit. Hoc itaque aucto, reliquos quoque omnes humores increscere, pro sua quenq; portione necesse est. Proinde nihil prohibet dolorē hunc capitis de quo nobis

πληθώρα.

sermo

sermo est, uocare ex sanguine dolorem. Proportione itaq;, *quod Galenus hic* ἀνάλογον, *& alibi* ὁμοτίμως *uocat, humores quatuor in plethora seu plenitudine augentur, adeò ut sanguis, qui copia sua reliquos nunquã nõ uincit, semper in ea præcellat, dein pituita, tertio flaua bilis, & postremũ atra proportione illi respondeat.* Dolor is capitis ab omnibus quæ plenitudinẽ in corpore procreare possunt, ut sunt cibi et potus boni succi copiosè assumpti: exercitiorũ, balnei, sudoris, & aliarum uacuationũ naturaliũ & artificialiũ neglectus. Facies & oculi rubent, uenæ tenduntur, adeò ut non solũ maiores, uerumetiã minores, & quæ prius sensum effugiebãt, nũc uisu cõprehendãtur. Pulsus magnus & uehemẽs. Vrina subrufa & crassa. Venæ tẽporũ pulsant. Dolor subsequtur capitis grauatiuus. Versetur in aëre frigido & sicco. Vitet carnes, oua sorbilia, & eiusmodi quæ copiosè nutriũt. Vtatur ptisana hordeacea, aut hordei alica. Oleribus frigidis, intybo satiuo utroq;, endiuiã & scariolã hodie appellant, portulaca, lactuca, & similibus uescatur æger. Fugiat uinum, bibat decoctum cinamomi, aut hordei. Exercitetur mediocriter, fricetur, freq̃uẽti utatur balneo, ita tamẽ, ut corpus prius uacuetur, ægerq; minimè febricitet. Somnus sit mediocris. Gaudeat & lætetur, omnisq; reliqua animi perturbatio absit. Curãdi ratio statim à sanguinis mißione auspicetur. Incidenda autẽ erit uena in cubito exterior, quam humeralẽ alio nomine, & hodie cephalicã uocãt, eius scilicet partis, in qua dolor potißimum uiget. Siquidem hæc uena capiti cõtinuata est, & non solum per eam à patiente particula in contrariũ auellere, uerumetiam uacuare licet. Id quòd non solum Hippocrates, & post hunc Galenus, uerumetiam Rhazes, non contemnendæ autoritatis inter Arabes scriptor, libro suo nono, quem Almansori inscripsit, capite 1. docet. Et nos in libro

ἀνάλογον ὁμοτίμως.

Causæ.

Notæ.

Victus ratio.

Curatio. Venæ sectio.

Rhazes. libro tertio Difficiliũ quæstionũ, hoc ipsum manifestißimis argumentis demonstrauimus. Quòd si uerò ætas, aut uirtus imbecilla uenæ secādæ consiliũ interturbarit, cucurbitæ affigendæ erunt: nō quidē capiti, sed partibus illi continuatis, & cōiunctis. Id quod Galenus lib. 13. Thæ. meth. cap. 13. confirmat, ubi sic scriptũ reliquit: Dũ adhuc generãtur paßiones, minimè ijs partibus quæ laborare incipiunt, sed quæ illis sunt cōtinuatæ, cũcurbita imponi debebit, auellendi in cōtrariũ causa. His iam peractis, refrigerantia & adstringentia medicamēta capiti adhibebũtur, de quibus abũde supra, capite nimirũ 7. dictũ est, ut nunc ea repetere nihil attineat. Cæterùm aluus quoq;, ut in hoc malo aperta sit in primis, medicus curabit: quapropter si sua sponte excrementa corporis nō deiecerit, hoc uel simili decocto subducatur, quod accipit: Florũ bugloßi, cirsij (borrachinē nominãt) rosarũ, uiolarũ, singulorũ m̄ ß. Seminum quatuor cōmuniũ frigidorũ maiorum excorticatorũ, singul. ʒ 2. myxorũ, sebesten appellant: prunorum damascenorũ, singul. numero 12. uuarũ passarũ, oxyphœnicωn (tamarindos uocant) utriusq; ℥ 1. corticũ myrobalanorũ flauorum, citrinos hodie nominãt: cæruleorum, Indos appellant: cepulorũ, chebulos uocãt: empeliticorum, emblicos nuncupant: belezicorũ, belliricos, appellãt: singulorum ʒ 3. glycirrhizæ rasæ ℥ 1. fumariæ, adianti (capillũ Veneris nominant) utriusq; m̄ 1. tamaricis, hemionitidis (scolopēdriam officinæ uocant) utriusq; ʒ 3. foliorũ senæ, polypodij, utriusq; ℥ ß. agarici optimi ʒ 2 ß. zingiberis ʒ ß. Coquantur omnia in aqua fontana sufficienti, donec dimidium absumatur: dein colentur, & manibus exprimantur. Ius subinde decocti sacchāro quod satis est dulce reddatur, cumq; albuminibus ouorum spurcitia omnis euerratur, fiatq; potio depurata, de qua æger appetēte diluculo ℥ 4. bibat. Quòd si res ipsa ualidius

Localia cōprimentia.

Decoctum purgans.

ualidius exigat medicamentum, tum præstiterit ℥ 4. iuri nominati iam decocti addere, rhabarbari scenitici seu meridionalis redacti in puluerem ʒ 1 ß. spicæ ʒ ß. Aut in iisdem dissoluere Casiæ fistularis ℥ 1 ß. aut mellis aërij, quod alio nomine Mannam appellāt ℥ 1. Aut antidoti diaphœnicōn ʒ 3. In eundem usum conducit exhibere serapium uiolaceum, & oxysaccharum. Posthæc capiti adhibenda sunt remedia, quæ morbi reliquias discutere ualent: ut est altheæ semen, fœnumgræcū, chamæmeli & meliloti flores. Olea præterea chamæmelinum, anethinum, & iis similia. Ex quibus deinceps medicus pro arbitrio suo & ægroti linimenta, unguenta, emplastraq; componet, ad eum modum qui in superioribus capitibus expositus est. Discutientia.

De dolore capitis è biliosis humoribus. Cap. XI.

HOc genus doloris capitis fit ab omnibus, quæ corpus uniuersum, atq; adeò caput, præter naturā calefaciūt & exiccāt, adeoq; bilem flauam procreant: qualia sunt Galeno lib. 2. De tempe. cap. 8. teste, solicitudo, ira, dolor, labor, exercitatio, uigiliæ, abstinentia, & inedia. His accedit uictus ratio ex biliosis cibis, allio nimirum, porris, ac similibus constans. Notæ eorū qui sic dolent similes iis, quos ob calorem, solis potissimum æstum, dolor affligit: sed maior ipsis morsus accedit, & faciei pallor. Interim etiam oris amaritudo, siccitas oculorum, linguæ & narium adest. Præterea malum hoc ætati uigenti, & temperaturis calidioribus, uitæq; solicitæ, & iis, queādmodū paulò antè cōmemorauimus, qui flauā bilē coaceruant, accidere solet. Aeger moretur in aëre frigido, & humido, qui arte etiam, ut supra cap. 7. ostensum est, parari potest, si ædium pauimētum assiduè humore irroretur: Causæ. Signa. Victus ratio.

irroretur: aut flores ac germina, quæ frigidæ humidæq; facultatis sunt, per aream spargantur. Vniuersa quidem uictus ratio humidior sit. Cibis itaq; uescatur humidis & boni succi, lactuca, portulaca, piscibus exiguis ac saxatilibus. Potus sit aqua, aut cinnamomi decoctum. Vino autem in totum abstineat. Quiete utatur, & somno largiore. Balneũ quoq; huic temperatum, unctionesq; cõferunt. Lætetur, & omnes animi perturbationes declinet. Porrò curandi ratio statim à biliosi humoris uacuatione auspicanda, quòd scilicet is ipse tenuis & mobilis sit, atq; adeò euacuationi perinde atq; pituita propter suam craßitiem minimè reluctetur. Quòd si uerò biliosus humor aliquã corporis partẽ quietus obsederit, atq; adeò incandescat, eamq; partẽ exurat, & calefacientia medicamenta (qualia sunt omnia ea quæ purgant) respuat, ante bilis purgationẽ exhibẽda erunt, quæ eius calorẽ ac feruorẽ restinguant atq; cõcoquãt, hoc est alterẽt. Neq; enim cõcoctio, de qua nũc nobis sermo, aliud est, quã humoris morbũ efficiẽtis à natura alteratio. Talia itaq; medicamenta ante purgationẽ eousq; diluculo ieiunis præbenda, donec in urinis decens apparuerit concoctio. Nam hac ratione bilis cocta, & ueluti subacta, ac edomita, naturæq; obsequens reddita, absque molestia minoriq; negotio ad conuenientia loca euacuationis à purgante medicamento trahetur. Non est igitur ut inficias eamus, bilem quæ aliquam partem corporis quieta obsidet, exigere concoctionem, ut educi è corpore queat: sed hoc constanter negamus huic opus esse, quod putauit Auicenna, & hunc hodie sequentes medici ferè omnes, ut craßitiem adipiscatur. Sic de humorum cõcoctione 1. Aph. 22. lo-
« quitur Hippocrates, dum ait: Concocta medicari, atque mo-
« uere non cruda, modo non turgeant: plurima uerò non turgent. Sic etiam Galenus, & post hunc Alexander Trallianus

Curatio.

Bilis quidẽ interdũ vt vacuet, cõ modè coctionẽ exigit, nunquã aũt vt crassitiem adipiscatur.

Concoctio quid.

lib. 1.

lib.1.cap.16.ubi ex professo de dolore capitis è bili prognato agit, & Actuarius in lib. De cõp.medi. cap. de flaua bile purganda, de bilis concoctione loquuti sunt, ut copiosißimè cap. 20. nostræ Methodi seu rationis perueniendi ad ueram medicinã diximus. Sed ad institutum nostrum reuertamur, ac medicamenta aliquot quæ biliosos humores cõcoquere possunt enumeremus. Tale est quod accipit: Serapij uiolacei ℥ 1. serapij nympheæ ℥ ß. liquoris stillaticij intybi satiui utriusq; rosarum, utriusq; ℥ 1. Misceantur omnia, & appetente diluculo à ieiuno bibantur. In hunc usum exhiberi possunt Zulapia rosaceũ & uiolaceum, decocta è seminibus cucumerum, cucurbitæ, portulacæ, intyborum satiuorũ radicibus eorundẽ & cichorij, rosis, uiolis, nymphea, lactuca, prunis damascenis, zisiphis, myxis, & similibus. Cæterùm uacuatur biliosus humor per absynthij dilutum, uel aloën, uel hieram picram per se datam, aut cum modica scammonia, aut catapotijs quæ ex aloë constant. Neq; ab instituto aberrabit, qui decoctum purgans, quod superiore capite commemorauimus, bibendũ præbebit, in eo ʒ 1. antidoti è succo rosaceo, aut è psilio dissoluens. Proderit etiam exhibere rhabarbari dilutum, quod recipit: Rhabarbari selecti ʒ 2. spicæ ℈ 1. Concidantur singula minutatim, & macerentur in stillatitij liquoris intybi satiui latioris, cassuthæ, buglosi, sing. ℥ 1. uini optimi ℥ ß. horis duodecim, dein ualide exprimãtur & colentur, adiectis antidoti è succo resaceo, è psilio, singul. ʒ 1. ß. Cõmixtis omnibus fiat potio purgãs. Vti quoq; licebit catapotijs aureis uocatis, alephanginis, è rhabarbaro, è hiera simplici, & similibus quæ in libro nostro secundo De usitata cõponendorũ medica. huius temporis ratione ordine recensuimus. In delicatis nõ temerè quis hoc utetur bolo, qui accipit: Diacrydij ℈ ß. maceris, cinamomi, mastichis, singul. grana. 2. sacchari uiolacei, Purgatio. Dilutũ rhabarbari.

d nympheæ,

nymphæ, utriusq; ʒ 1. sacchari quod satis est, fingatur bolus. Noc absurdum etiam erit clysteribus uti, in hunc uel similem modū paratis. Maluæ, altheæ, intybi satiui utriusq;, uiolarū, sing. m̄ 1. hordei integri ʒ 1. seminū quatuor cōmuniū frigidorū minorū, sing. ʒ 3. Coquātur omnia in aqua fontana ad tertias, et colo trāsfundātur. Dein accipe iuris decocti et colati lib. 1. medullæ casiæ fistularis ʒ 1. hieræ picræ ʒ ß. olei uiolacei ʒ 3. mellis uiolacei ʒ 1. salis ʒ 1. ß. cōmixtis omnibus fiat clyster. Post biliosi humoris uacuationē ea adhibeantur medicamēta, quæ caput refrigerare ac roborare possūt, quorū multa cap. 7. huius lib. cōmemorauimus. Quòd si uigil supra dū æger fuerit, synciput oleo nympheæ, & de papauere inungēdū erit. Prædictis ut interdū parū accedat opij necesse erit, ut saltē hac ratione, si aliter nō liceat, somnus conciliari queat. Galenus in hūc usum trigoni pastillū, q à Paulo lib. 7. cap. 12. describitur, ut scilicet eo frons imungatur, cōmendat.

Bolus purgatorius.

Clyster.

Localia.

De dolore capitis è pituitosis humoribus. Cap. XII.

GEneratur ab omnibus quæ pituitam in capite procreant, aëre frigido & humido, cibis ijsdem qualitatibus præditis, piscibus lacte, oleribus, fructibus, ocio, somno à satietate, & id genus alijs. Dignoscitur capitis grauitate, faciesq; si alba & humida fuerit. Si deniq; æger somno facile teneatur, piger est, sensibus minimè uiget, & excrementis caput redundat. Aër in quo æger uersabitur, calidus & siccus sit natura: aut si haberi eiusmodi non poßit, arte per odoramenta nonnulla, nempe cinnamomū, thus, gariophyllos, lignum aloës, & similia paretur. Carnibus uescatur magna ex parte aßis, & odoramentorum acceßione conditis. In potu utatur uino tenui. Motu mediocri, & alijs

Notæ.

Victus ratio.

quæ

quæ cap.8. cõmemorauimus. Curandi ratio à pituitosi humoris extenuatione auspicabitur. Quapropter ea, quib. extenuandi & incidendi uis inest exhibebũtur, præsidia: cuius farinæ sunt mel rosaceum, oxymeli simplex, compositum, & scylliticum, serapiũ è stichade, liquores stillaticij hyssopi, betonicæ, maioranæ, saluiæ, & eiusmodi. Paretur igitur medicamentum quod accipit: Oxymelitis scyllitici ℥ 1. serapij è stichade ℥ ß. liquoris stillaticij hyssopi, apij, maioranæ, singul. ℥ 1. Commisceantur, fiatq; potio. Quòd si serapiorum & stillaticiorum liquorum usus displicuerit, licebit hoc uel simili decocto uti, quod accipit: Radicum fœniculi, petroselini, apij, singul. ℥ 1. radicum pæoniæ ʒ 2. seminũ anisi, fœniculi, seseli: siler montanum officinæ uocant, singul. ʒ 3. stichadis, origani, serpilli, maioranæ, calaminthæ, bethonicæ, saluiæ, singul. m̃ ß. cinnamomi selecti, maceris utriusque ʒ 1. ß. Decoquantur tãtisper in aqua iustæ quãtitatis, dũ medietas relinquatur. Ius decocti colo trãsfundatur, & sacch≈aro suaue reddatur, atque subinde oui albuminibus depuretur, adijciaturq; serapij ex hyssopo, oxymelitis simplicis, utriusq; ℥ 3. Cõmixtis omnibus fiat potio. Porrò extenuatis, & ad eductionẽ præparatis humoribus ea quæ purgandi pituitam uim obtinent medicamenta propinanda ueniunt. In quẽ usum pilulas has deuorabit æger, quæ recipiũt: Pilularũ cochiarum ʒ 1 ß. pilularum è hiera composita ʒ 1. pilul. alephanginarũ ʒ ß. agarici in pastillorũ formã redacti ℈ 2. myrobalanorũ cepulorũ ℈ 1. turbit optimi ℈ ß. stichadis, zingiberis, utriusq; gran. 5. masticheſ gra. 7. seminũ pæoniæ numero 3. castorei grana 4. cũ stillaticio lauãdulæ liquore fingãtur catapotia ꝑ singulis drachmis undecim. Cõpetit uerò hoc malo affectis nõ semel, sed bis aut ter purgare: q̃d' crassi et tenaces humores repẽtinæ ac subitæ purgationi

Curatio

Pituitæ extenuatio.

Decoctum pituitã extenuans.

Purgatio

Pilulæ.

non confestim obtemperent, pedetentim uerò & identidem purgãdo cõcocti facilius purgatorijs medicamentis obediũt. Conferunt etiã clysteres, non solum propter euacuationẽ eorum quæ in intestinis cõtinentur, uerumetiã propter reuulsionẽ eorum quæ ad caput feruntur. In hunc igitur usum decoctum paulò antè descriptum cõducet, si eius iuris accipiãtur ℥ 12. & in ijs dissoluãtur benedictæ laxatiuæ ℥ ß. antidoti indi maioris ʒ 3. diaphœnicon ʒ 2. mellis rosacei ℥ 1. oleorum laurini, rutacei, utrorunq; ℥ 1. ß. salis fossilis saxei ʒ 1. Misceãtur singula, & fiat clyster. Vacuato itaq; uniuerso corpore, ea quæ caput expurgare possunt adhibẽda erunt medicamẽta, è quorum numero sunt apophlegmatismi, quorũ exempla è capite primo huius libri petes. Purgatur etiam caput per succos maioranæ, bliti, brassicæ, & similiũ, de quibus in lib. 2. de Vsitata nostri temporis medicamẽtorũ cõponendorum ratione, cap. 25. diximus copiosè. Possunt & hoc nomine exhiberi gargarismi è stillaticijs liquoribus hyssopi, betonicæ, origani, hiera picra, & oxymelite compositi, uel in eum modum, qui accipit: Radicis pyrethri, piperis longi, utriusq; ʒ 1. ß. seminis staphysagriæ ℥ ß. maioranæ, pulegij, hyssopi, origani, betonicæ, singul. m̃. ß. Decoquãtur omnia in aqua iustæ quantitatis ad tertias. Iuri decocti colato adijce mellis rosacei ℥ 1. ß. oxymelitis scyllitici ℥ ß. Commixtis uniuersis fiat gargarismus. Præterea sternutamentorum quoq; hoc in malo locus erit, quæ accipiunt: Maioranæ ʒ 1. nigellæ ʒ ß. garyophyllorum, piperis albi, carpesiorũ, singul. ℈ 1. nucis moschatæ, struthij (condisi officinis uocatur) castorij, ellebori albi, singul. ℈ ß. Terantur singula, & in tenuissimum redigantur puluerem pro sternutationibus ciendis. Ditioribus aliquid moschi & ambar, utriusq; nimirum grana 2. cõmisceantur. Naribus deniq; odoramenta calida adhibere cõuenit,

Clyster.

Capitis expurgatio.

Gargarismi.

Sternutamenta.

uenit, aut orbiculum aliquod odoriferum arte paratũ, quale est quod cap. octauo cõmemorauimus. Errhina quoq; (barbaris nasalia uocãtur) indita naribus mirificè cõmodare ægrotantibus solent, quæ recipiunt: Seminis staphydis agriæ, pyrethri, piperis candidi, singul. ʒ ß. nigellæ, struthij, utriusque ℈ 2. ellebori albi ℈ ß. Tritis singulis cum resina terebinthina & modica cera fiant errhina pyramidis formã referẽtia. À capitis purgatione conueniunt inunctiones, embrochæ, sacculi, & id genus alia medicamenta suprà capite octauo producta, quibus eius quod reliquum est à purgatione totius corporis, discutiẽdi uis inest. Intra corpus adhibebũtur haud inutiliter carpesia saccharo obducta, antidota diambar, diamoschi, aromatici rosacei, diacumini, dianthon, theriaca, mithridatios, diacori, sacchara maioranæ, rosmarini, betonicæ, cũ serapio è stichade. Præ alijs autẽ hæc potißimũ antidotus conferet, quæ accipit: Specierum antidoti è gemmis, diãthios, utriusq; ℈ 1. carpesiorum, maceris, utriusq; ʒ ß. ligni aloës, garyophyllorum, seminis fœniculi, singul. ℈ ß. cinamomi selecti ℈ 2. stichadis ℈ ß. sacchari candidißimi in stillaticio florũ pæoniæ & lauandulæ liquore liquefacti ℥ 6. fingantur orbiculi aut morsuli, pro ægrotantis arbitrio. Non ignoramus practicarum (ut uocãt) scriptores nonnullos, ijs quæ nunc commemorauimus subijcere Caput de dolore capitis ex humoribus melancholicis nato, præter tamen decorum ac neceßitatẽ, cum hæc omnia quæ ab illis dicuntur, rectius ad Caput de Melancholia transferenda ueniant.

Errhina.

Morsuli.

De dolore capitis è ventriculi vitio orto. Cap. XIII.

HActenus capitis primarios primogeniosúe dolores ut curare oporteat monstrauimus: nunc reliquum est,

ut eorũ qui per cõsensum accidunt curationes tradamus, initio sumpto ab eo qui à uentriculo malè se habẽte excitatur.
Causæ. Is autẽ magna ex parte accidit, ubi exiguus quispiã in eo, & præsertim in ore eius, humor acris coaceruatur, à quo uapo
Notæ. res praui excitati sursum ferũtur. Cognoscitur mordaci dolore, quẽ qui ita dolẽt percipiũt, & nausea, quæ tũ ore potissimũ uentriculi patiẽte, infestare ægrotantẽ solet. Porrò qui sic caput dolẽt, ij si diutius famẽ & mediã ferunt, magis offendũtur. Augetur enim ipsis propter mediã eiusmodi humo
Curatio. ris malitia, & prauitas. Curare eos qui sic infestãtur oportet, nihil remediorum capiti adhibentes, quũ nullũ peculiare caput sustineat malũ, sed ab humorum in uentriculo prauos excitantiũ uapores ascensu molestetur. Noxios igitur uentriculi humores quàm celerrimè uacuare oportet. Euacuantur autẽ, qui in ore illius cõtinẽtur, facile his qui ad uomitũ procliues sunt, aquæ calidæ potu. Qui uerò ægrè uomũt, difficilius: adeò ut etiã nonnulli digitorũ, aut pinnarũ immißione ad uomitũ uentriculum irritantes, nihilo plus proficiunt. Porrò ad os uentriculi ob naturalẽ suam leuitatem flaua & pallida bilis prompte effertur. Pituitosus autem, aut acidus, aut salsus, in spacio & amplitudine magis totius uentriculi, quàm in ore ipsius firmatur. Optimum autem fuerit, in fundo uentriculi ipsos contineri. Facile enim relicto uentriculo, ad intestina delabuntur. Peßimus fit affectus, ubi uitiosi humores in uentriculi tunicas sic immerguntur, ut uix elui poßint. Si itaque in tunicas uentriculi receptus fuerit humor, optimum remedium est hiera picra medicamentũ. Hoc uacuato, cibis subinde boni succi & uentriculo cõmodis utẽdum. Et cùm ad prauorum humorum in uentriculo redundãtiam, tum concoctricis facultatis imbecillitas, tum oris uentriculi infirmitas plurimum conferant, danda erit opera, ut

concoct

cõcoctrix facultas, itemq; os uentriculi per ea medicamenta quibus adstringendi ac roborandi facultas inest firmetur. Quorum omnium copiam suppeditabit liber tertius, in quo ex professo de uentriculi uitijs tractabimus.

De dolore capitis ex ebrietate. Caput XIIII.

EBrietatem parit maximè uinum natura calidum, uaporosum, merum, & largum. Generant autem calida temperamento uina dolorẽ capitis, quia uaporibus caput omnino replent, quandoq; etiam humoribus temperatura calidis. Causæ. Notis ad dignoscendum hoc pathema, nullis opus est, cùm è sermonibus ægrotantis facilè cognosci mali causa poßit. Notæ. Curandi ratio duabus potißimum rebus perficitur, nimirum euacuatione, & refrigeratione. Itaque si uinũ crudum adhuc permanet, & in uentriculo fluctuat, ut aqua tepida epota uomat qui caput dolet iubebis. Quòd si etiam post concoctionem caput doleat, refrigerãtibus, & uapores qui ex alto ad caput feruntur reprimentibus medicamentis utendum est: quale rosaceum est per se, & cum aceto, aut cũ hederæ & braßicæ succo. Quin & ipsa Braßicæ folia in aqua calida, macerata, & capiti circundata illigataq;, naturaliter ebrietati resistunt. Eiusdem etiam decoctæ esus in id efficax est. Amaræ etiam amygdalæ quinque aut septem ieiuno oblatæ, ebrietatem arcere creduntur. Præsentem quoque ebrietatem extinguunt, centaurij minoris decoctum, Aëtio autore, cornu ceruinum, uerbenacæq; rectæ semen, ex aqua potum. Curatio. Habenda deinceps cura est somni & quietis: quod ubi factũ fuerit, per totum diem ad uesperam in balneo dulcis aquæ lauare: ubi laueris, cibis boni succi, non tamen calfacientibus nutrire oportet. Sunt autem huiusmodi, ptisanæ succus, Victus ratio.

ſorbitio ex alica, panis ex aqua, oua ſorbilia, & lentis iuſculum, præſertim humidiore uentriculo præditis. Ex oleribus lactuca boni ſucci eſt, & refrigeratoria: braßica uapores deſiccat. Cæterùm potu omnino aquæ utendũ eſt in ijs qui eius potu aſſueti ſunt, aliasq; habẽt uentriculũ æſtuoſum ac exuſtum. Verùm quia nonnullorum uentriculus propter aquæ potum ſubuertitur, malũ granatum ipſis cõcedẽdum eſt, aut ſolum per ſe, aut cum alica ſubacta, probè cocta, calida. Vuæ præterea paſſæ, & pyra, aliqua quidẽ cruda, aliqua uerò cocta, ut malũ cotoneum, ſtomachum corroborãt. A' palmulis abſtinere conſilium eſt, ut quæ proprietatẽ quandã habent capitis dolorem inducẽdi. At ſi neq; poſt hæc probè dormire poßint, ad balneum poſtridie quàm citißimè ducendi ſunt, & aqua calida eis frequenter in balneo ſuperfundenda. Deinde ubi dormierint, aut omnino interpoſito tempore quieuerint, rurſus ad balneum deducendi ſunt, dein ueluti pridie nutriendi. Quòd ſi mediocriter habeant, & aquam bibere nequeunt, permittẽdum eſt ut aquoſum uinum bibãt. Cibi etiã, ubi mediocriter ſe habuerint, dentur gallorum teſticuli & alæ, piſces ſaxatiles, & tenera carne præditi, columbarumq; pulli. Porrò conſtat omnibus, ſatius eſſe & ipſos, & omnes qui caput dolent, augeſcente adhuc & uigente dolore, quieſcere: remittente uerò & declinante, idoneis locis deambulare. Apta uerò ſunt ijs qui calefieri deſiderant, calidiora: qui refrigerari, frigidiora. Et ante cibum quidem pluribus deambulationibus utendum, à cibo autem paucis & lentis. Oportet uerò neque comedere multum, neque ſtatim deambulare, ſed poſt duas aut tres, aut etiam plures, horas. Quòd ſi aliquando ex uaporibus & humoribus in caput ſublatis reliquiæ quædam relinquantur tenuibus meatibus impactæ, & ob id etiam capitis dolor perſeueret, à roſaceo quidem deſiſten

Palmulę capitis dolorẽ inducũt.

Generalia pręcepta in uictus ratione obſeruanda.

ſten

stendum est, utendum uerò primùm chamæmelino moderatè calido, postea irino: maximopere enim huiusmodi affectus iuuant. In balneo autem caput aqua perfundatur, nō solum ut aliquid eorum quæ intra ipsum habentur, discutiatur: uerum somni etiam conciliandi gratia. Quapropter etiam secundum, aut tertium ad uesperam balneum apparandum est, acceptis ab eo lactucis ex aceto. Post hæc die subsequenti ea quæ caput magis calefaciunt applicabuntur, miscendo irino oleo, nunc nardinum, nunc costinum, nunc alia eius generis olea & unguenta. Hac igitur ratione capitis dolores ex uino curantur.

De capitis dolore ex ictu vel casu. Caput XV.

NAscitur sæpè capitis dolor ex ictu aut casu, quod ubi accidit, tum à uino, & carnibus, omnibusq; cibis plenioribus solidioribus'ue abstinere oportet, præsertim si ægrotantes febricitent. Ptisanæ uerò succus, lutea ouorum, ius maluæ elixæ, lactucæ intuba, & cucurbitæ ijs sunt exhibēdæ. Præterea quies, corporisq; tranquillitas cōuenit. Abstinendum etiā à sole, balneo, clamore, distentione, & à cibis acidis, acribus, & salsis. Quòd si itaq; ictus aut casus uulneris, uel cōtusionis causa fuerit, scopi plures erūt inuentionis remediorū. Vnus sanè, qui propter uulnus existit, cuius causa glutinātibus medicamentis, & inflammationē arcentibus uti cōuenit, postquā ulceris labia fibulis impositis cōmissa fuerint. Secūdus qui ob cōtusionē, & tertius qui dolorum causa adhibetur: qui quandoq; in ipsis solis ictis particulis fiunt, plerūq; uerò etiā ad uicinas partes extenduntur. Nam membrana, quæ caluariā ambit, et cutis quæ huic extrinsecus circuntenditur, utraq; propriam substantiam continuam habens,

Victus ratio.

Curatio.

bens, per totum caput extensa est: & ob id sanè sæpè caput ipsum dolere contingit, præsertim si ictus usq; ad mēbranā os caluæ ambientē penetret: quem membrana caluariā ambiē te diuisa rasaq; curare oportet, ratione qua caro producitur. Quòd si per communionē membranæ caluariam ambientis, quam per suturas cum dura membrana habet, etiā intra caluariam ipsa inflammatio distribuatur, eiusmodi capitis dolor periculo non uacat. Cæterùm non raró accidit in casu ex alto, aliquam cerebri aut mēbranarum eius particulā abrūpi: quod ubi cōtigerit, etiā amplius capitis dolor inualescit, ipseq; totus affectus curatu difficilior, & periculum præsentius & uehementius est. Optimū igitur in ijs, nisi ætas pro-

Venæ sectio. hibeat, & facultas uitalis imbecilla appareat, curationis initium à sanguinis mißione moliri. Incidenda autē erit humeralis uena, quæ è directo loci patientis sita est. Quòd si pro-

Clyster. pter ætatem, aut uirium imbecillitatē, aut etiam ambo simul, sanguinis detractionē tentare prohibeamur, per clysterē aluum uacuabimus, tum ut huius excrementa euacuentur, tum ut humores qui ad patientes partes ferri cōsueuerunt reuellantur, atq; inde auxilijs ad inflammationem commodis utemur.

Localia. Conuenit autem imprimis congruis capitis irrigationibus uti, ex lana nimirum oleo dulci imbuta, capiteq; ex ea cōtecto, ne scilicet neruorum origo cerebrum ipsum refrige-

Embrocha retur. In quē usum embrochæ etiā probantur. Sin membrana cerebri fuerit conuulnerata, probè hanc conglutinat calaminthæ succus instillatus, et milij farina arida inspersa. Deinde butyrum rosareum, adeps suilla salis expers, uetusta, mixta & tepida superfusa. Animaduertēdū autē, ubi crassæ cerebri membranæ nudæ rosaceum offertur, quemadmodum in ijs quibus aliquid ex capitis osse excinditur, accidit, solum ipsum modicè tepidum adhibemus. Quum uerò citra denu-

datio

dationem, per capitis iuxta sinciput partem, sana & integra existente caluaria, rosaceum ad cerebri membranā perueniere uelimus, acetum ei ut eò perducat miscemus. Cuius item rursus uehemens uirtus tum per uiarum transitionem, tum per rosacei mixturam exoluitur. Cæterùm cutis capitis, aut quæ post eam est mēbranæ caluariā ambientis inflammationes, citra quidē uehementē dolorem obortæ, per modici sanè aceti ad rosaceum admixtionē iuuari possunt: lædentur autem, ubi magna fuerint, doloremq́; uehementem induxerint. Rosaceum denique cum aceto, incipientibus: in uigore uerò consistentibus, rosaceum solum adhibemus. Quēadmodum etiam in ijs quæ in scirrhum abeūt, absinthium ac pulegium ei permiscemus. At uerò quæ citra indurationem decrescunt inflammationes, laxantibus medicamētis indigent. Quorum omnium in ijs quæ post dicemus exempla inuenies.

De dolore capitis in febribus. Caput XVI.

QVòd si febriētes capitis doloribus affligūtur, accurata perpensione cōsiderandū erit, num capitis dolores statim initio cū febribus inuadāt, aut postea febribus increscētibus oriantur. Nam si nō cōfestim cū febre dolor capitis irruat, sed interea tēporis dum scilicet febris ipsa prope iudicationem uenit, tunc nulla penitus remedia quærantur, quòd is uomitum, aut sanguinis è naribus profluuiū decretorium portendat, quemadmodum copiosè Hippocrates in libris Prognosticorum, & post eum Galenus lib. 3. de Crisibus, & lib. 1. ad Glauconem, capite ultimo, tradūt. Si uerò simul cum febribus inuadat, à uaporibus, aut humoribus ob febris magnitudinem fusis, ac uelut efferuescētibus ad caput elatis, atq; ob partis imbecillitatem, accidit. Quare si ab Venæ sectio.

humo

humorum copia oriatur dolor, uena secunda est post primã aut secundã remißionẽ, si nihil prohibeat, præsertim in corporibus boni habitus, multiq; sanguinis. In cõtrarium etiam trahendum, atq; adeò reuellendum erit acribus clysteribus, quorum exempla petes è capite de apoplexia, & nexibus, & frictionibus in partibus inferioribus plurimis. Cucurbitulæ etiã occipitio aut ceruici affigendæ. Capiti uerò admouendæ sunt irrigationes, quæ ab eo uim repellendi obtinẽt, ac deinde euacuantibus, postremò uerò corroborãtibus utendũ. Repellunt autẽ oleum rosaceũ, & alia quæ supra capite septimo sunt cõnumerata. Vtendũ uerò ipsis in calidioribus habitudinibus ac hora æstiua frigidis, & cũ modico aceto: in frigidioribus autẽ ac hyeme, tepidis. Si febris uehemẽs fuerit, uigiliæq; crebræ ægrotantẽ infestauerint, è capitibus papauerum, sedo, & id genus alijs qbus refrigerandi, & somnũ cõciliandi uis inest medicamẽtis paratis irrigationibus utendũ erit, qualis est quæ accipit: Florum uiolarũ, nymphee, rosarum, utrorũq; m̃.1. hordei decorticati ℥ 1. capitũ papaueris ℥ ß. semperuiui maioris m̃. ß. Coquantur omnia in aqua iustæ quãtitatis ad tertias, & fiat embrocha. Vbi cerebrũ abundè refrigeratũ fuerit, ea subinde adhibẽda sunt, quæ caput calefacere denuò, atq; adeò euacuare atq; discutere reliquias humorũ poßũt. Quapropter chamæmelino oleo, anethino, irinoq; utẽdũ, aut decocto chamæmeli, altheæ, et similiũ. Et si tenaces ac craßi fuerint humores, serpillũ, aut pulegij comã, uel calaminthæ, uel mentæ, uel sisymbrij, in ijs decoquere cõuenit. Postremũ caput per rosaceum oleum, & similia, nempe betonicã, chamæmelum, ac melilotum, corroborandum ac firmandum erit. Porrò non solũ in ijs qui ex febribus caput dolent, sed etiã & omnibus alijs circa caput obortis paßionibus, cauere oportet hæc quæ sequuntur, uiticis semen, absinthij

Reuulsio.

Localia.

Repellentia.

Embrocha

Euacuãtia.

Roborantia.

Dolorẽ capitis excitantia.

thij succum, lactis potionẽ, eruum, myrrham, thus, hæderæ corymbos, crocum, peucedanum, cyclaminum, & styracem, quod natura sua capitis dolorem ac grauitatem inducant.

De cephalæa. Cap. XVII.

Κεφαλαία diuturnus & ægrè cedens, ac contumax capitis dolor Græcis dicitur, qui ob exiguas occasiones maximas habet exacerbationes, adeò ut neq; strepitũ ferat ægrotus, neq; uehementiorẽ uocem, neq; lucis claritatem, neq; uini potionẽ, neq; caput replentia odoramenta, neq; motum: sed in quiete & tenebris propter dolorum magnitudinem cupiat decumbere, ut cui uideatur caput ueluti à malleo feriri. Nonnulli etiam tanquam cõtundantur, aut distendantur ea quæ circa caput sunt, sentiunt: non paucis uerò usque ad oculorum radices dolor progreditur. Cæterùm hoc malũ sanè nonnunquam continuos dolores habet, nonnunquã uerò exacerbationes & intermißiones uel ordinatas, uel inordinatas. Iam quidã ex eis cerebri membranas dolitant, quidam uerò membranam tantum caluariam ambientẽ. Fit à plenitudine, aut humorum uaporum'ue acrimonia intra uel extra caluariam contentorum, inflammatione, & capitis imbecillitate. Dolores itaq;, qui cum grauitate inuadunt, plenitudinem indicãt: qui uerò cum erosione infestant, aut humorum, aut uaporum acrimoniam: qui cum pulsu, inflammationem: qui cum tensione, si quidem citra grauitatem & pulsum obueniant, flatus crudi & flatulenti copiam demonstrant: cum pulsu uerò membranosi corporis inflammationẽ. At si cum grauitate distentio fiat, copiam humorum intra membranas contentam. Ac dolores quidem in superficie hærentes, membranæ os caluæ ambientis paßionem significant. Qui uerò in alto ac profundo affligunt, cerebri membranarum. Quibus

[Margin: κεφαλαία. — Causæ. — Notæ.]

bus enim affectus intra caluariam est, ijs ad oculorum radices dolores procedunt: eo quòd oculorum tunicæ à cerebri membranis habeant ortum. Quòd si etiam putris humor calidior euaserit, cum febre caput dolent: febricitant autem omnino, & qui ex inflammatione dolent. Porrò qualis in hoc malo esse debeat uictus ratio, facilè ex superioribus de Capitis doloribus capitibus colligi à quouis studioso potest. Consultò itaque hanc, ne temerè idem sæpè repetamus, prætereiuimus. Curãdi ratio, ubi humorum uaporum'ue copiam causam esse deprehenderis, si quidem ex totius corporis plenitudine generata sit, ab uniuersi corporis uacuatione auspicanda erit. Vena itaq; in hac corporis satietate incidẽda primũ cubiti externa, eiusdẽ quidem lateris, quam humeralem uocant, idq; faciendũ si uires patiantur, aut aliud quippiam non obstet. Acrioribus quoque clysteribus uti conuenit. Inde si adhuc sanguis redundare uideatur, etiam è naribus, uena adaperta, quantum satis esse uidebitur, detrahes. Mox hiera, cuius uim exacueris intenderisq;, exhibenda est. Porrò si caput uelut imbecille existens, ea quæ sursum feruntur excipit, materiam initio in totum corpus reuellere oportet, atq; ita particulæ patienti mederi. Reuulsio autẽ fit clysteribus, extremorum deligaturis, & pluribus inferiorum partium frictionibus. Hieræ quoque intensioris usus commendatur. Post totius uerò corporis uacuationem, tutò ad ea quæ caput euacuant accedes, deinde ad ea quæ firmant, ac robur addũt. Caput uacuant apophlegmatismi, & quæ naribus induntur medicamenta, ἔῤῥινα Græci uocant, ut est succus cucumeris syluestris, elaterium appellant, cum lacte infusus, uel etiam aridum elaterium inspiratum, succusq; cyclamini & porri, & alia quæ supra cap. 12. commemorauimus. Repellit autem oleum omphacinum, hoc est, ex immaturis

Victus ratio. Curatio. Venæ sectio. Clysteres. Purgatio. Reuulsio. Localia. Vacuãtia. Repellẽtia

maturis oliuis expressum, & rosaceum per se, & cum aceto illitum, & quæ sunt similia, de quibus in præcedētibus capitibus abundè diximus. Cæterùm adhibebis remedia tepida, ubi copia humorū frigidior & crudior fuerit: frigida, ubi calidior & biliosior extiterit. Post hæc, quæ discutiunt medicamenta, sunt admouēda, ut est oleū chamæmelinū, anethinum, & ijs similia supra à nobis comemorata. Si quidem craßior humorum copia fuerit, serpillum, aut pullegij comā, aut calaminthes, aut mētæ in oleo elixabis, ac copiā uacuabis. Hæc autem ipsa etiam robur particulæ adijciunt, quapropter his ipsis ad perfectam usq; curationē uti oportet. Omnium uerò maximè discutit, & strenuè corroborat uerbenaca recta, præsertim uiridis: imò & arida, cum radicibus & serpillo pariter oleo cōcoctis. Si uerbenaca per se in oleo decocta caput perfuderis, omni capitis dolori diuturno ob frigus oborto, aut ex craßis humoribus medeberis. Maximè autē prosunt sub aquario uase nascentes aselli, si oleo incoquantur. Discutientia.

De hemicrania. Cap. XVIII.

Hemicrania malū est dolorificū in dimidia capitis parte, nunc dextra, nunc sinistra ortum, quòd sutura secūdum longitudinē eius extensa distinguitur. Hoc plurimū per circuitus exacerbatur, ac quibusdam extra caluariam, quibusdam in profundo capitis, nonnullis iuxta temporū musculos dolor sentitur. Causa doloris huius uaporum, aut humorum siue multorum, siue calidorum, siue frigidorum, uel per uenas, uel arterias, uel per utrasq; influxu: interim quidem ipsis solis partibus caluariæ internis, hoc est, cerebro, & eius membranis recrementa sua foras propellētibus interim partibus corporis, quæ infra caput sunt uitiatos uapores aut humores sursum mittētibus. Notæ qbus uapores aut humores Hemicrania. Causæ. Notæ.

copiosi

copiosi calidi aut frigidi deprehēduntur, è capitibus superioribus studiosis petēdæ erūt. Porrò quo in loco capitis paßio fuerit, ex ijs quæ in capite de cephalæa diximus, cognosces. Quibus hoc adijciendum erit, quòd si mēbrana caluam ambiens patitur, tum adeò uehementer dolent, ut ne manuum quidē contactum facilè ferant, adeò ut ne cutis quidē ipsa omnino à paßione immunis sit. Victus rationem promptè ex ijs quæ in præcedentibus capitibus cōmemorauimus, mediocriter etiā docti cōstituent. Præcipuè tamen uitabunt ægrotantes, ea quæ uaporum acrium copiā sursum ad caput mittere possunt, ut sunt allia, cepe, sinapi, raphanus, & similia.

Victus ratio.

Curatio.

Qui hemicraniam curare aggreditur, is principiò num sanguinis mißione, aut corporis purgatione indigeat æger cōsideret. Si enim ob plenitudinē malum ortū fuerit, humeralis uena (quā hodie cephalicā nominant) quæ è directo patiētis particulæ est, incidēda erit. Sin propter unius humoris redūdantiā hemicrania inuaserit, per cōuenientia medicamenta is humor purgabitur, ut in superioribus monstratū est capitibus.

Localia.

Vniuerso corpore uacuato, ad capitis ipsius localia uocata præsidia ueniendū, ac uel per propriæ manus digitos, uel linteum dimidia frontis pars, & ea præsertim quæ circa tēporum musculos est, fricādo calefacienda, atq; id ante accessionis tēpus faciendum. Post acceßionē medicamētis à ueteribus medicis hemicranicis appellatis utendū. Si calor multus in doloribus percipitur, ijs quæ aliquid habēt refrigeratoriū: si ille nō adest, ijs quæ uehemēter calefaciunt. Vtrisq; autē aliqd corroborans, quod adstrictoria facultate præditū sit, misceatur.

Vnguentū.

Optimū uerò in frigido affectu remedium erit hoc unguentū, quod accipit: Oleorū anethini, irini, sing. ℥ ß. piperis albi, serpilli, utriusq; ℈ 1. ß. castorij ℈ 1. euphorbij ℈ ß. ceræ quod satis est, fiat unguētū, quod dimidiæ frōtis parti, &

ti, & musculo temporis illinatur. Mirificè etiam in hoc ma-
lo confert hoc tepidum in aurem infusum, quod recipit: Olei
dulcis ℥ i. euphorbij ℈ i. His commixtis, gutta una in au-
rem instilletur. Plus autem & minus euphorbij adijciẽdum,
prout corpus acri aut hebeti sensu præditum fuerit. Quadã
etiam naturæ proprietate euphorbium aceto dilutũ, ac latere
dextro dolente sinistro applicatum: & contrà sinistro dolẽ-
te dextro illitum, hemicranicis maximè cõferre Aëtius pro-
didit. Idem etiam posse lumbricos terræ tritos, & cochlearũ
carnes lateri patienti illitas tradit. Sunt qui persicorum nu-
cleos tritos, ac illitos parti malè affectæ miricè conferre me-
moriæ prodiderint. Quòd si uerò à calidis humoribus aut ua
poribus dimidiæ partis dolor accidit, ea sanè auxilia quæ su-
prà De capitis dolore ex calore & biliosis humoribus orto
memorauimis, adhibebuntur.

De vertigine. Cap. XIX.

QVod σκότωμα Græcis est, hoc Latinis uertigo dici- σκότωμα.
tur. Quare barbari, qui hoc malum corrupta uoce
scotomiã uocant, uehementer errant, dum differ Vertigo.
re inter se hæc duo uocabula tradunt. Est autem uertigo, ubi
obtenebrationes hebetudinesq; oculis obuersantur, & omnia
circumagi & rotari uidẽtur. Oritur hoc pathema interdum Causæ.
cerebro primogenia paßione laborãte: interdum etiã, quum
oris uentriculi consensu laborat. Cerebrum uerò patitur, ubi
crassus & lentus humor ipsum occupat, à quo uaporosus
spiritus ab imbecilli calore resolutus, in cerebri partibus in-
ordinatè mouetur. Ori autẽ uentriculi consentit, quãdo pro-
pter uitiosos humores in eo aceruatos, uaporosa exhalatio
ad cerebrum fertur, spiritum animalẽ in illo rotans ac cir-
cumagẽs. Qui hoc malo laborãt, ijs à quacũq; leui occasione Notæ.

præ oculis tenebræ apparent, adeò ut nonnunquã cadãt ægrotantes, maximè ubi in circum rotẽtur. Siquidẽ illis ab una rotatione euenit id, quod alijs à pluribus accidere solet. Proinde hebescũt siue aliũ quempiã, siue rotam, aut id genus aliud quippiã, aut ipsos quoq; in aquis uortices circũagi uiderint. Visibilis enim spiritus rotæ agitatæ, alijsq́; iam dictis occurrens, eodem motu circumuehitur, atq; ita turbulẽtus, inæqualis, inordinatusq; humoris & spiritus motus redditur. Vbi ex primaria cerebri paßione uertigo dependet, tum aurium sonitus, uehemens dolor capitis, grauitasq; præcedunt: item olfactus, atq; alterius cuiusq; sensus à capite prodeũtis oblæsio. Patiuntur autẽ tum potißimum, quum sub sole æstuauerint, uel aliam ob causam calefacto capite humores dissoluti circumaguntur. Vbi uerò ab ore uentriculi oritur, stomachi morsionẽ, καρδιωγμὸν Græci nominant, & nauseam præsentiunt. Aeger, quod ad uictus rationẽ attinet commoretur in aëre puro & lucido, deuitet autẽ craßũ et nebulosum. Cibis uescatur boni succi, ac concoctu facilibus, flatuq; omnino carentibus, carnibus perdicum, caporum, phasianorum, gallinarum, uitulorumq́;: piscibus deniq; saxatilibus, & eiusmodi, quæ nullo negotio concoqui queant. Vitanda omnia à quibus uapores sursum feruntur. Bibendũ uinum aquosum, albũ, tenuißimum, non admodum antiquum, aut hydromeli. Exercitium sit mediocre. Somnus diurnus uitetur. Nocturnus sit prolixior. Caueat sibi æger ab animi perturbationibus. Non intueatur res in gyrum actas & rotatas, aut celeriter motas, neq; in præcipitijs ambulet: hæc enim singula malũ exacerbare ualent. Porrò, quod ad curandi rationẽ attinet, uertiginosos in acceßione odoramẽtis, frictionibus, & id genus alijs excitare cõuenit. Virium autẽ attestante robore, si nibil aliud obstiterit, uena humeralis secanda est, siue principium morbi siue

Victus ratio.

Curatio.

Venæ sectio.

bi fuerit, siue etiã processerit. In sanguinis uerò missione obseruandum, ne confertim sanguis uacuetur, propterea quod à quacunq; leui occasione æger facile concidat. Pluribus itaq; detractionibus per certa interualla utentes, cõgruam mensurã explebimus. Quòd si uerò sanguinis missionem quidpiã prohibuerit, aluus subducatur, semper redũdãti humori medicamentum adaptando. Mirificè uerò confert primùm per acrem uacuare clysterẽ, nõ solum propter eorum quæ in intestinis cõtinentur uacuationem, ut suprà quoq; monuimus, uerumetiam ob reuulsionem eorum quæ ad caput feruntur, cuius quidẽ exemplum in capite de Apoplexia proferemus. Præmissis itaq; uniuersi corporis euacuationibus, capiti localia adhibebuntur præsidia, inter quæ non postremum locũ occupant cucurbitulæ cum scarificatione occipitio admotæ. Postea apophlegmatismis, gargarismis, & sternutamentis utendum est. In nares deinde anagallidis succus, aut cyclamini infundendus. Nitrum uerò cum nigella tritum, & oleo antiquo mixtum, per nares egregiè purgat. Deinceps æger ad balneum ducendus, ac caput embrocha ex medicamentis discutiendi facultate præditis composita, irrigandum. Quòd si uerò caput in balneo supra modum incaluerit, rosaceo & aceto sæpè fouendum est, atque refrigerandum. Si igitur per hæc præsidia malum cessauerit, subinde ualidioribus abstinendum: sin perstiterit, capitis arterias in temporibus circa aures incidere oportet, uentre tamen prius aut medicamento, aut clysteri purgato. Vt autem incidendæ sint arteriæ, ex Paulo Aeginata disces, qui idipsum perspicuè lib. 6. capite 4. tradit. Neque temerè cauterium hoc occipiti post aures accommodabitur, quod accipit: Cantharidum adiectis capitibus alis & pedibus ℥ 1. fermẽti acris ℨ ß. Cũ aceto & uino è sublimi ignis cõmercio distillato subigãtur, & admoueãtur.

Localia. Cauteriũ

Vertiginis à cōſenſu uētriculi curatio.

Vertigo autem à uentriculi oris conſenſu uomitu curari poteſt, qui hoc moueatur medicamento, quod accipit: Anethi m̃.1. ſeminum raphani & raporum, utriuſq; ʒ 2. radicis raphani ℥ ß. Ebuliant in aqua iuſtæ quantitatis, donec pars tertia abſumatur. Ius decocti coletur, & addantur ſubinde Oxymelitis ſcylitici ℥ 1. ß. Commixtis omnibus fiat potus, qui à comeſtione ſtatim exhibeatur. Proderit etiam deuorare catapotia ſtomachica uocata, & ſimilia. Dentur frequenter à cibo quæ os uentriculi conſtringunt, atque adeò ne uapores ſurſum ad caput ferantur impediunt: ut ſunt diacotoneon ſine ſpeciebus, cotonia ipſa, pyra adſtringentia, & eiuſmodi, de quibus ſuo loco ſatis copioſè dicemus.

Vomitus vt irritand⁹.

De phrenitide. Cap. XX.

Phrenitis quid.

Φρενῖτις, Galeno lib. 2. de Sympto. cauſsis autore, eſt cerebri, aut eius membranarū inflammatio. Sunt autē phrenitidis, eodem Galeno lib. 4. De Patientibus locis cap. 4. teſte, ſpecies ſeu differentiæ tres, prout ſenſus interiores, qui ex illius ſentētia totidem ſunt, nempe imaginatio, cogitatio, & memoria, læduntur. Quippe ſunt phrenetici quidam, qui cogitatione manente illæſa, ſenſibus atque adeò imaginatione deprauatè mouentur, ueluti Theophilo medico ægrotanti, cuius Galenus in libro de Sympt. diffe. meminit, eueniſſe conſtat. Is enim quum alioqui prudēter ſe gereret, & diſſereret, atq; eos qui tum præſentes erant exactè noceret, tibicines tamen quoſdam arbitrabatur eſſe in angulo cubiculi, in quo decumbebat, eoſq; tibia canere & pulſare, & ſe illos uidere putabat, alios quidem ſtantes, alios autem illic ſedentes, atq; ita continenter canentes, ut neq; noctu, neq; interdiu quicquā remitterēt. Proinde aſsidue clamās, iuſsit eos à cubiculo expelli. Hic uerò ubi conualuit, quicquid ſinguli eorum qui ipſum uiſita-

Phreniti-dis ſpecies tres.

Prima.

Theophilus medic⁹.

uisitabant, uel dixissent, uel egissent, narrabat. Denique uisorum quæ de cantoribus apparuerant, probè meminit. Eiusmodi phrenitidis speciem in seipso adulescentulo adhuc expertus est etiam Galenus, quod lib. 4. De patiēt. locis cap. 1. cōmemorat. Quum enim per æstatē ardente febre laboraret, & festucas atro colore ex cubili eminere, & floccos similiter in uestibus esse putabat, quos auferre tentans, nihilq; sub digitis eductum inueniens, accuratius uehementiusq; id efficere conatus est. Audiēs itaq; duos ex amicis, qui tum aderāt, dicentes: Vides'ne hūc iam & floccos euellere, & festucas colligere? statim intellexit idipsum quod dicebant se fecisse. Quum uerò sic animo constaret, ut rationalis in eo facultas non uacillaret, rectè (inquit) dicitis: proinde ne phrenitis me arripiat, auxilio estote. Ex quibus iam planum fit, neque in Theophilo, neq; in Galeno cogitationem, rationem'ue oblæsam fuisse, sed solam imaginationem. Alij rursus de ijs quæ oculis offeruntur rectè, quātum ad sensitiuam notitiam imaginationem'ue pertinet, iudicant: cogitando uerò ac ratiocinādo à naturali iudicio aberrāt. Hoc pacto patiebatur phreneticus ille, cuius meminit Galenus locis iam citatis, qui quū Romæ domi cum lanifici puero contineretur, surgens à cubili, obseratis intus ianuis, uenit ad fenestram, per quam & ipse uideri, & prætereuntes uidere potuit. Itaq; ex uitreis uasis singula ostendens interrogauit, iuberent'ne ut ea proijceret. Illi uerò ridentes plaudentesq;, ut ea proijceret, rogabant: tum ipse deinceps omnia arripiens eiecit, at illi magnis acclamationibus riserunt. Postea iuberent'ne puerum quoq; proijci, quum eos interrogasset, atque id illi iußissent, ilico ipsum deiecit, quem ab alto cadentem uidentes suppresso statim risu, accurrerunt, & confractum iam puerum sustulerunt. Hic sanè singula uasa suis nomēclaturis probè nominauit,

Galenus.

Secunda.

uit, unde intelligi potest neq; imaginationem circa illa fuisse læsam, neq; nominum memoriam deletã, sed solam cogitationem à naturali iudicio deuiasse. Sunt præterea qui simul & sensus & cogitationis uitio, quod memoriæ etiam sequitur abolitio, laborãt. Tali delirij specie per pestilẽtiam correpti sunt illi, quos Thucydides lib. 2. belli Peloponnesiaci scribit omnium quæ antea nouerunt oblitos fuisse, ita ut non solum suos familiares non agnoscerent, sed ne seipsos quidem. Quæ ideo prolixius à nobis commemorata sunt, ut hinc primùm discerent huius nostræ artis studiosi, plures esse quàm unum interiores sensus. Neq; enim aliàs imaginatione illæsa amitteretur cogitatio, aut contrà integra cogitatione, imaginatio oblæderetur. Dein ut locis horũ sensuũ instrumenta distare intelligerent, quod scire nõ parũ in medendo, ut rectè præsidia adhibeantur, prodest. Quum enim imaginatio, quam alij sensum cõmunẽ appellant, priorẽ cerebri partẽ occupet, cogitatio mediã, memoria uerò posteriorẽ, necesse erit ut medicus pro cuiusq; facultatis abolitione, conuenientibus locis applicet remedia. Cæterùm oritur phrẽitis ex sanguine exuperante, uel bilioso humore cerebrum, uel eius mẽbranas occupante. Quòd si bilis ipsa ex qua malũ nascitur, perusta fuerit, grauissima ac cæteris omnibus perniciosior phrenitis accidit. Quos phrenitis inuadit, hos febris cõtinua, & amẽtia infestãt, plurimaq; parte somnus difficilis, & uigiliæ comitãtur. Interdum etiã somnus turbulẽtus accedit, ut consurgant ægri, exiliãt, furibundè uociferent, uerba sine ordine & sensu effundãt, interrogãtibusq; nihil certi, aut maiore cũ tumultu aut temeritate respondeãt, præsertim ubi aliquis antea fuerit mãsuetus. Nonnunquã occiput dolor infestat. Oculos deniq; habẽt cruẽtos, uehemẽterq; squalidos, & sæpè perfricãt: interim aridos, interim lachrymãtes. Lingua eorũ est aspera,

Marginal notes: Tertia (beside "nem à naturali iudicio"); Causæ (beside "applicet remedia"); Notæ (beside "cidit. Quos phrenitis").

& ex naribus sanguis destillat. Floccos prætereà auellũt, & festucas ex stragulis ac uestibus carpunt. Pulsus ad hæc exiguos, languidos, & quadãtenus duros & neruosiores obtinent. Spirationẽ quoq; (ut in pronosticis autor est Hippocrates) rarã habẽt. Porrò quibus sanguineus humor malum fecit, ij cum risu insaniũt. Quibus uerò flaua bilis, ferociter & immaniter sæuiunt, ita ut coërceri nisi uinculis nequeant, omniumq; quæ dicũt faciuntq; obliuiscũtur, adeò ut laborãtes aliqui, quum matellã petunt, meiere tamẽ negligunt. Aut quum lotium emittunt, matellã ipsam tradere haudquaquam meminerũt. In uictus ratione sic se gerat æger: Decumbat in loco tum aëris, tũ luminis tẽperati, uarijsq; picturis carente: in quẽ amici quidẽ gratißimi ingrediãtur, qui tamẽ inopportunè non interpellent, & nonnunquã blandè & leniter alloquantur, nonnunquã acerbius increpent. Cibus primùm esto ptisanæ cremor, aut alica hordei, aut panis medulla cũ aqua mulsa, aut melle rosaceo sæpius lota. Oleribus uescatur, intubo, lactuca & malua elixis, eiusq; generis alijs, quæ refrigerare atq; humectare possunt. In morbi inclinatione pisces squamosi & saxatiles dari possunt. Mala quoque punica, cerasaq;, si multus intus cõficiat feruor offerẽda. Potus sit cinnamomi aut hordei decoctum, cui admixtum sit serapiũ uiolaceum, rosaceum, aut nymphee, quod nenupharinũ barbara uoce appellãt. Hæc autẽ non confertim, hoc est copiosè & celeriter, ingurgitãda, sed parcius & per interualla exhibẽda, quum alias exiguo utãtur potu. Hinc est quod rectißimè Hippocrates lib. 1. Prænotionũ, & lib. 6. Epid. par. 2. aph. 6. βραχυπότας nominet. Porrò ubi cõcoctionis notæ in lotio apparuerint, & febris uẽhemẽtia remiserit, atq; uires non satis robustæ fuerint, uinum tenue & aqua dilutum, quod ὀλιγοφόρον Græci nuncupant, dandum. Quod tutius certè

Margin notes: 1. Præsag. 27. — Victus ratio. — Cõfertim. — βραχυπόται. — Vinũ ὀλιγοφόρον.

certè fit in ijs qui sani hoc bibere cōsueuerunt, & uentriculū natura imbecillum ac frigidū obtinent. In quiete deniq; ægri quo ad eius fieri licet retineātur: si diuites fuerint, famulorū adminiculo, sin pauperes, uinculis. Nā inordinata motio uires cōuellit. Balneum quoq; dulcis aquæ, modò corpus squalidum & aridū sit, cōfert: idq; si tepidum adhibeatur. Neque enim mali quātitas, tantum, quantū ipsa nocet ariditas, ac uigiliæ immodicæ. Quare cùm balneū prædictū humectet & refrigeret, quod alibi abundè demonstrauimus: nō solum siccitatē, uerumetiā immodicas uigilias mentisq; alienationem unà cum febre profligare potest. Nō est tamē, quod sæpè antea monuimus, nisi prius uacuato corpore, eo utendum. Præterea suprà modum officiūt phreneticis animi perturbationes: proinde nihil quod mœstitiam inferat, aut bilē creet, ijs permittendum est. Cæterùm quod ad curādi rationē attinet, si ægri uires non obstiterint, protinus sanguis mittendus erit: quod nō sit aliud salubrius, neq; præsentius auxiliū. Secāda uerò cubitiuena exterior, quā humeralē uocāt, aut, si ea nō appareat, media, & quātum tulerint uires educēdū. Non tamē usq; ad animi deliquium, ut nōnulli magno cū errore statuūt: præstat enim minus auferre quàm oportet, propter plurimā in illis factam ex uehementi motu resolutionem. Prospiciendum quoq; diligenter, ne clam brachij uinculum æger soluat, aut adimat. Postea rectam etiā in fronte uenam incidere licebit. Quòd si uerò ætas uenæ sectioni obstiterit, tum cucurbitulæ cum scarificatione occipitio & spinæ admouendæ erūt. Quæ hoc etiam nomine conducunt, quod ad cerebrum humorum defluxum in contrarium auellunt. In hunc sanè usum confert maximē clysterium usus, qui accipiunt: Foliorum maluæ, uiolarum, intubi satiui angusti folij, lactucæ, singul. m. 1. hordei decorticati ℥ 1. myxorum (sebesten uocant) numero 11. semi

Balneum. Animi affectus. Curatio. Venæ sectio. Cucurbitulæ.

11. seminum cucurbite, melonum, cucumeris, singul. ʒ 3. Coquantur in aqua iustæ quãtitatis tantisper, donec tertia pars absumatur, & colo transfundãtur. Deim accipiantur iuris decocti ℥ 12. medullæ casiæ fistularis recens extractæ ℥ 1. ß. mellis rosacei ℥ 1. olei uiolacei ℥ 3. salis ʒ 1. ß. Cõmixtis omnibus, fiat clyster. Si uolueris ut uehementius purget, adijciẽda erit hieræ picræ, aut compositionis è succo rosaceo ℥ ß. Ad humorum à capite auersionẽ non parum conferunt uincula extremis corporis partibus iniecta: item pedum frictiones cum sale & aceto, idq́; genus alia. Caput autem rosaceo, uel oxyrhodino tepidioribus irrigare oportet. Inflãmato enim cerebro, uel membranis eius frigiditas tuta nõ est, sicut neque uehemẽs caliditas. Siquidẽ frigiditas meatus cõstringit, neq; sinit excrementa è capite discuti: at ingens caliditas feruorẽ cõgeminat. Aestate itaq; rosaceum exquisitè tepidum adhibendum cum pauco aceto: hyeme autẽ mediocriter calidum. In hunc usum etiam adhibere licebit succum solani, plantaginis, aut illarum & similium herbarum stillaticios liquores. Si paßio ipsa uehemẽtior fuerit, caput faciemq́; aßiduè oleo in quo capita papauerum decocta sunt fouebis. Odorata quoq; naribus obijciemus, rosas, uiolas, nymphee, flores, caphuram, & eiusmodi. Nares quoq; ipsas intus, aut frontem succis prædictorum medicamentorum illinemus. Nam sopire ac stupefacere principem facultatem oportet, cerebrum nimirum, quod supra modum incaluit, refrigerãdo. Si uigiliæ quoq; admodum uigent, quæ somnũ conciliare poßunt, qualia multa suprà commemorauimus, non temerè adhibebuntur. Inter alia uerò hoc non parum conducet unguentum, quod recipit: Vnguenti populeon ʒ 2. olei uiolacei ʒ 3. seminis hyoscyami, corticis radicis mãdrag. utriusq; ℈ ß. opij gra. 2. croci gra. 3. aceti parũ, ceræ albæ quod satis est, fiat un-

Vincula.
Frictiones.
Localia.
Somnifera.
Vnguẽtũ.

Embrocha tũ, quod tẽporibus illinatur. Embrocha etiã hæc tepida capiti admouenda, quæ accipit: Florum uiolarum siccarum, rosarum rubearum, nympheæ, singul. m̃ 1. ß. hordei excorticati ℥ 1. seminis papaueris albi ʒ 2. seminis lactucæ ʒ 3. Decoquãtur singula in aqua fontana iustæ quãtitatis ad tertias, fiatq́; embrocha. Sub puluinari etiam calices papaueris, aut poma mandragoræ supponenda. Discutientia. Postremum ubi morbus iam resedit, mitiorq́; factus est, id quod tertio die ut plurimum accidere solet, discutientia medicamenta, quæ morbi reliquias dißipare possunt, adhibenda. In quẽ usum iam commemoratam embrocham admouere licebit, adiectis tamen antea floribus chamæmeli, anethi, meliloti, altheæ, & similibus. Sunt qui hoc tempore gallinas, aut catulos per medium fissos non temerè apponant. Alij calidum arietis pulmonẽ, uel recẽs ex animante acceptum, uel aqua feruenti calefactũ admoueãt. Porrò si diuturnum iam malum fuerit, in oleo serpillum decoquere conuenit. Galenus quoque libro 11. & 13. Ther. method. castoreo utendum esse (phlegmone iam scilicet inclinante) docet: quòd nimirum non continuò locis circa cerebrum, sed oßibus interuenientibus occurrat. Inest autem ei medicamento & partium tenuitas, quòd ipsum ijs, (quorum per densa propugnacula transmitti uim oportet) sit accommodum: ut his de causis castoreum phreniticis etiam magno cũ fructu adhiberi ualeat. Phrenitici ubi sese recolligẽt, ebrietatem, ocium, ciborum corruptiones, & in primis solis æstum cauebunt.

De lethargo. Cap. XXI.

Lethargus quid. Λήθαργος malum est phrenitidi contrarium, nempè marcor, & inexpugnabilis penè dormiendi neceßitas. Veternus. Aliqui Latinè ueternũ interpretantur, Hoc uitio correptis,

omnium

omnium rerum obliuio accidit, ut uerbis nulla suppeditetur materia: hinc etiam nomē nactum est λήθη enim obliuio est ἄργη uero captura, uel ἀργὴς iners: ut λήθαργος nō sit aliud nisi iners obliuio, aut malum obliuionē inducēs. Causa eius est pituita, quæ frigore nimio, ac humore cerebrum imbuit, & in somnum impellit. Lethargicos comitatur febris lenta, putrescit enim in hoc malo pituitosus humor, Gal. lib. 13. The. meth. teste, cum profunda in somnū delatione. Pulsus ijs magni rariq; sunt, & undosi. Spiratio ipsa nimis rara & imbecillis. Somnolenti præterea sunt ppetuò lethargici, desidiosi, & ignaui. Vix & tarde quocunq; modo interpellentur, respondēt. Oculos quandocūq; ad uociferationem aperiūt, & denuò claudunt, ad soporemq; reuertuntur. Obliuiosi, & dementes. Oscitant crebrò, & hiante ore aliquādiu persistunt, tanquam claudere id obliti. Sæpè ad meiendum uocati, porrectam matulā manu tenentes, meiere obliuiscuntur. Deijciūt per aluum magna ex parte liquidiora. Nonnullis cōtrà uenter indurescit. Vrinā reddunt iumentis similem. Quidā ex eis tremiscunt, & undiq; sudant. Cubile in quo decumbit æger, splendidū, lucidum, & tepidū sit. Cibi sint attenuantes, incidentes, exiccantes, qui cōdiantur apio, aniso, cumino, pipere, cinnamomo, garyophyllis, & id genus alijs odoramentis. Ex auibus æger uescatur mōtanis auiculis, pullis gallinaceis domesticis, perdicibus, turdis, merulis, & similibus. Oleribus utatur, porro, asparagis, fœniculo, oreoselino, & eiusmodi. Cremore deniq; ptisanæ aut auenæ, uel alica cum oxymelite, uel salibus, uel pulegio. Potus sit hydromeli, aut uinum aquosum, tenue & albū subadstringēs. Cæterùm si uires permiserint, & nihil aliorū obstiterit, Gal. lib. 13. The. meth. suadēte, sanguinē statim initio mittere expedit. Sin minus, clysteribus acribus aluus eluenda, quorum formulas in capite De apoplexia

Causa.

Notæ.

Victus ratio.

Curatio.

Localia. plexia reperies. Dein oxyrhodinum capiti admouẽdum: repellendus enim à capite humor est, quisquis is fuerit, eodem Galeno teste. In quem usum etiam frictiones cum pyrethro, pipere, sale & aceto, ligaturæq; extremitatum conueniunt. Excitatoria. Odoramenta quoq; excitatoria admouẽda, ut est castoreum, funiculus extinctæ lucernæ, pix humida, bitumẽ, chalbanum, sulphur, sagapenum, cornu ceruinum, abrotanum, & peucedanum, & succus laserpitij. Extrema cruraq; pungere, nõnunquã pilos etiam in ipsis uehemẽtius euellere oportet, quo excitentur. Licebit etiã in aceto thymũ, pulegiũ, & origanũ, aliaq; eius generis incoquere, ac naribus ægri admouere: quo uapor ad cerebrum delatus, humorum craßitudinẽ dissecet. Palatum etiã ualentibus & acribus medicamentis, uerbi gratia, sinapi cum melle, antidoto mithridati, theriaca, & puluere pyrethri, inungendum. Conariq; oportet, pituitam indidem affixam digitis eijcere. Sternutamenta. Ad ijs uerò etiã sternutamentis utemur: Si admiserint, apophlegmatismorum etiã usus erit. Apophlegmatismi. Quòd si ijs malum non discutitur, caput radendũ, deinde fouendum est sale, milio, & similibus in sacculis adhibitis. Fomenta. Ad hæc sinapismo uti in capite prodest, ex caricis & sinapi ex aceto cõtritis (ut in lib. 3. De comp. medic. monstrauimus) cõfecto. Cucurbitulæ. Postea cucurbitulas occipiti affigere cũ plurimo igne oportet, circa primam & secundam uertebras, partim leues, partim cum scarificatione. Castorium etiã capiti illinẽdum. Quin etiã idipsum, quod docet Alexãder Tralianus cap. 20. libri primi, potui dare cum oxymelite expedit. Nam uno hoc medicamento nonnulli miserrimè toto corpore impediti, sanitati sunt restituti. Præterea ad naturæ excretiones frequenter solicitare oportebit, tum clysteribus tum ijs quæ urinã mouent. Pubem oleo rutaceo, cui sit adiectum paululum castorij, aspergere conuenit. In potu etiam danda, quæ

craßi

craßitiem attenuare,& incidere ualent,ut est apij, fœniculi, adianti,& similium decoctum. Nam ut deglutiant, crebrius admonendi sunt,eiusmodi potiones:ideoq; ut per bombylium ori saltem instillentur,curabimus.In diuturnis lethargis, ubi uires suffecerint,danda hiera est ex colocynthide, sternutamẽtaq; ex elleboro albo, struthio, pipere, & castorio, aliaq; (quorum paulò suprà facta est mentio) medicamenta admouenda. Porrò ubi morbus inclinare inceperit,gestatio statim continua utilis est,& balneum, quod supra modum conferre hoc tempore solet. Siquidẽ Alexander Trallianus refert se cognouisse quendam, qui grauißimo, lethargo laborauerit, adeò ut se leuari non sentiret. Is post duodeuiginti morbi dies balneum ingressus, tantum sensit auxilij, ut à somno statim expergisceretur,aliosq; attente intelligeret,& ipse uerba expedite faceret, familiares omnes agnoscens. Quòd si uerò balnei æstũ propter uires imbecillas ferre haud poßit, saltem domi in solio aquæ calidæ lauandus erit. Cauendum tamẽ,ne aqua caput ægrotantis perfundatur. Smegmate autem mordaciore in balneo detergendus, ut uini fece usta, sinapi,pyrethro,pipere,lauri baccis, calce uiua, & similibus, quibus duplum nitri addendum. Historia.

De caro. Cap. XXII.

Κάρος malũ est,quod sensuum, uniuersarumq; motionum priuatio,spirandi tamen facultate manente illæsa,cõsequitur. Arabibus Subet appellatur. Differt à lethargo, Aëtio teste,quia lethargici interrogati respondent, neq; omnino muti decumbunt. Caro autem laborantes somni quidem profunditate occupantur: at si stimulantur, etsi sentiant, nihil tamen dicunt, neq; oculos aperiunt. Præterea, ut Paulus annotauit, febris carum præcedit, eaq; uehementior: lethargum

Caros qd. Subet. Differẽtia cari à lethargo.

gum subsequitur. Item carus alijs symptomatis superuenit: sæpè enim febrium acceßionibus, comitialibus, cerebri compreßionibus, nunc quidem osse, hoc est caluaria, coarctato, nunc uerò mēbrana anteriorē cerebri uentriculū custodiente, compressa. Lethargus autem propriā quandā consistentiam obtinet. Distat etiam ab apoplexia, quòd in hac spiratio uehementer opprimatur, sicut quispiam etiā magno conatu uix spirare poßit. In caro autem spirandi facultas, ut testatur Galenus lib. 4. De patient. locis cap. 2. haudquaquam lædatur. Fit caros ab humore frigido, crasso, ac omnino uiscido cerebrū occupante. Signa ex ijs quæ paulò antè cōmemorata sunt, facilè colligi possunt. Siquidē somni profunditate occupantur, oculiq; in hoc malo ꝑpetuò conniuent. Cæterùm uictus ratio & curatio eorum qui caro laborāt, cum lethargicorū planè conuenit, nisi quòd ad maiorē incisionem attenuationēq; declinamus. Stomacho etiam cataplasmata & alia medicamēta, quæ calefaciunt, & corroborant, sunt adhibenda, quòd is pituita, quæ illum refrigerat & humectat, refertus sit. Quorū formulas describemus lib. 3. cap. 1. De uentriculi imbecilitate.

Ab apoplexia.

Causa.

Notæ.

Victus ratio & curatio.

De catocha & catalepsi. Cap. XXIII.

Catocha & Catalepsis.

Cōgelatio.

KΑτοχὴ καὶ κατάληψις. Græcis occupatio, detētio & deprehensio Latinis dici potest. Recentiores medicinæ scriptores congelationē nominant. Est autem subita detentio & occupatio, tum mentis, tū corporis sensu ac motu priuati, ægro in ea corporis figura permanēte, in qua fuerit correptus, siue sederit, siue iacuerit, siue clausis, siue apertis oculis perstiterit. Quapropter medium quoddā inter phrenitidem & lethargum malum est. Nam magna ex parte à melancholico humore, ut paulò pòst dicemus, euenire solet. Quare ratione frigiditatis cum lethargo conuenit: siccitatis

autem

autem ergo, cum phrenitide. Hinc est quòd hoc uitio affecti, neque planè phreniticis aßimilentur, neque etiam lethargicis. Accidit hoc malum nonnunquam ob sanguinis copiam, ut autor est Aëtius, in caput irrumpentem, ipsumq; implentem. Is idem commemorat, se olim hoc malum conspexisse in sanguineo adolescente, qui quum dies tres exegerato neq; cōniuens, neque ad obiectas minas oculis nutans, neque respondens: quarta autem ingenti sanguinis è naribus eruptione facta, protinus omnes turbulentias receßisse. Fit etiam frequenter, eodem teste, à melancholico, hoc est, frigido & sicco humore, cerebri posteriora potißimum molestante. Inuadit hoc mali hominem subitò, qui uoce sensuq; priuatur, nihil audit, nihil respondet, respiratio nulla ferè apparet, sed quasi mortuus decumbit. Pulsus est exiguus, languidus, & uehementer densus. Aluus & urina detinentur, aut certè parum reddunt: idq; non siccitatis prorsus ratione, quod æger humido interdum plurimo abundet, sed propter insensibilitatem. Facies aliàs subrubescit, cùm scilicet à sanguine procreatur: aliàs uerò liuet, quando nimirum à melancholico humore malum ortum fuerit. Porrò oculi in hoc malo immobiles planè manent ueluti congelati. Differt autem à caro, quia Galeno lib. 4. De patiētibus locis, cap. 2. teste, ut in hoc palpebræ perpetuò clauduntur, sic in catoche interdum apertæ manent. Distat etiam à lethargo, etsi enim utrūque malum fiat à uehementi refrigeratione, tamen in lethargo, ut testatur Galenus libro 2. Aph. comment. 3. refrigeratio immixta est humiditati, in catalepsi uerò siccitati. Victus ratio pro causarum ratione uariatur. Aeger uerò interim singulis diebus, interim uno interposito nutriri debet. Quare quum paßio hæc uehementer sit periculosa, si aut cibo aut potu erretur, operam dabit medicus, ut se in ui-

Causæ.

Notæ.

Discrimen inter catochen, & carum.

Victus ratio.

ctus

ctus ratione adhibenda prudenter gerat. Alimenta autē sint ptisanæ cremor, & huiusmodi. Aqua uerò pota infestißima est: flatum enim auget, fluctuationes cit, lienem attollit, neq; sitim restinguit: potus autē sit mulsa, quæ multum bullierit.

Curatio. Quod ad rationē curādi spectat, si facies rubescit, atq; adeò æger sanguine abundare uidetur, & uires ualidæ fuerint cubiti uenā exteriorē secare ne differas. Postea si caput calidius appareat, ea quæ refrigerant adhibebis. In hunc usum papaueris caliculos in oleo decoquere oportet, ac eo caput imungendū. In reliquis, quibus scilicet facies liuescit, primo clysteribus aluus abluenda est ex floribus buglosßi, capno, thymo, epithymo, radice polypodij, folliculis senæ, & ijs similibus compositis, quorum formulas infrà in cap. De melancholia producemus. Quòd si aluus sic nō obediat, ellebori nigri radicē tum quoq; incoquere nō alienum erit. Caput autē oleo in quo serpillum coctum fuerit, aut liliaceo, aut anethino, aut simili imungēdum. Idq; tum potißimum faciendum, ubi caput frigidius esse appareat. Porrò si in urina craßities affuerit, dandum etiā anethi, apij, calaminthæ, & aliorum quibus extenuandi facultas inest decoctum. Reliqua quæ ad curādi rationem necessaria sunt, partim ex capite De phrenitide, partim ex eo quod De melācholia inscribemus, partim etiam ex eo quod De lethargo est inscriptum, petenda erunt.

De comate. Cap. XXIIII.

κῶμα, sopor. Κῶμα malū est, quod Latinis sopor, aut grauis & profundus somnus dici potest. Significat autem coma non simpliciter longum somnum, quod nonnulli putauerunt, sed Galeno libro 2. Aphoris. comment. & lib. 3. Epid. commēt. 3.

κῶμα simpliciter. autore, δυσδιέγερτον, hoc est, eū à quo quis ægrè & difficulter excitatur. Quare κῶμα simpliciter, & sine alicuius adiectio

adiectione, uel etiam cum adiectione illa ὑπνῶδες κῶμα, eodẽ Galeno lib.5.Epid.cõment.1.autore, est malum, in quo ægri uigilare nequeũt, nec apertos habent oculos, sed conniuentes, altoq; somno detinentur. Cum hac uerò adiectione ἀγρυπνον κῶμα, hoc est, uigilãs sopor, Galeno comment.3. libri tertij Epid. teste, est malum in quo ægri apertis oculis uigiliare nõ ualent, sed cõniuent spe somni conciliandi, & uigiles tamẽ manẽt. Hinc ut coma soporiferum à comate uigilante discernamus, necessarium erit. Coma soporiferũ, ut testis est Galenus cõment. primo libri 3. Epid. fit interdum, ubi cerebrum multum irrigatur, ut nonnullis usu uenit ebrijs. In febribus etiã soli uapores calidi & humidi à partibus inferioribus sursum elati cerebrum irrigantes, malum hoc inducunt. Subinde etiã ob solum frigus, quod primum sensitiuum, hoc est, cerebrum occupat. Est cum ambobus iam dictis, hoc est frigiditati & humiditati succedat somnus grauis & profundus. Vigilans autẽ coma à pituita cum bile commixta nascitur, magnaq; ex parte propter uirium fit imbecillitatem adeò iam emortuarũ, ut apertas palpebras seruare haud ualeãt. Aegri in soporifero comate, Aëtio teste, demissa inferiori mandibula obdormiũt, ac quoties excitantur, nouo repẽte somno capiuntur. In uigilante autẽ enormia loquũtur, totoq; corpore incomposito iacẽt, & partim ea quæ in phrenitide, partim etiã ea quæ in lethargo apparẽt signa adsunt. Curãdi ratio iuxta duplex coma uariatur. In soporifero enim eadẽ quæ in caro & lethargo adhibẽtur remedia, atq;, ut summatim dicã, post uniuersi corporis uacuationẽ, pro frigiditatis aut humiditatis ratione, calefactio uel siccitas intendẽda est. In uigilante partim phrenitidis, partim etiã lethargi remedia locũ habebũt. Vtrũ autẽ aliud superare debeat, ex humore exuperãte cognoscitur. Si enim pituita superauerit bilem,

κῶμα ἀγρυπνον

Causæ.

Notæ.

Curatio.

f magis

magis ad lethargi remedia declinandum erit. Sin contrà bilis pituitam uicerit, magis ad phrenitidis præsidia nos conuertemus. Quare auxilia quæ ad comatis curationẽ sunt necessaria, è capitibus de Phrenitide & Lethargo petenda erunt.
Glandes. Glandes autem potißimum in hoc mali genere conferent sedi suppositæ, quòd irritando efficaces admodum sint.

De memoria abolita. Cap. XXV.

Memoriæ abolitio partim per se, partim etiã cum quadam rationis noxa accidit: quemadmodum & rationis noxa per se prius incipit, deinde memoriæ insequitur. Cõ-
Causæ. tingit autem utranq; pati nonnunquam actionem. Abolentur ambæ in lethargis, cæterisq; soporiferis morbis. Fit etiam, ut prædictis iam solutis obliuio succedat. Quod ubi acciderit, tum frigida omnino intemperies in causa erit, quòd uel perijt, uel grauiter læsa est memoria. Hæc nonnunquam humiditati, nonnunquam etiam siccitati iuncta est. Interdum autem unaquæque prædictarum per se causa mali esse potest.
Notæ. Quapropter causæ diligenter à medico discernendæ sunt. Si itaq; sola intemperies sicca posteriorẽ cerebri partem pertinaciter obsidens causa mali fuerit, uigiliæ frequentes infestabunt. Sin humida tantum, torpores, & in somnũ propensiones, somnosq; longos & graues efficiet. Si uerò humiditati frigiditas etiã accesserit, caros, & lethargos creabit. Eorũ itaq; quorũ memoria perijt, somnos obseruare oportet, utrũ scilicet uehemẽter an modicè somnolenti sint, aut omnino nõ somnolenti. Sic enim uincentẽ inuenies intemperiem. Præterea considerandum est, utrum excernãt quippiam ex naribus, uel ab ore quod à capite defluat, ut monet Galenus lib. 3. De patient. locis cap. 5. an aridæ huiusmodi partes sint, quippe
Victus. ex ijs affectum ipsum coniectura consequi poterimus. Victus ratio

ratio pro causarum uarietate mutatur ut ex ijs quæ paulò pòst dicemus, manifestum fiet. His in eum modum definitis, facilè curandi ratio præscribi potest. Nam si propter uehementes purgationes, cæterasq; immoderatas inanitiones, aut syncopas, atq; adeò siccitate memoriæ noxa superuenerit, nulla alia re addita, uictu tantum reficiente succurrere oportet. Corroborato enim corpore, collectisq; uiribus, memoria reparatur. Quæ autẽ ad eam uictus rationẽ necessaria sunt, ex capite de hectica febre petent studiosi. Si ob extremam senectam memoria pereat, frustra laborãdũ, admotis scilicet remedijs, non est: sed tantum cõueniente uictus ratione contentos esse oportet. Verùm si repẽte memoria defecerit, cæteris partibus incolumibus, epilepsiã, aut neruorũ resolutionẽ, aut apoplexiã uereri oportet. Quare tum omni studio ac diligẽtia prouidẽdum erit, ne tale aliquod accidat, quod futurũ suspicamur. Quibus enim præsidijs factum morbũ repellimus, ijsdẽ futurum arcebimus. Quòd si uerò ex alijs morbis, ut lethargo & pestilẽtia, memoria pereat, tum strenuè remedijs contrà eundum. Pestilentiã autẽ sequi memoriæ abolitionem, suprà cap. 20. ex Thucydidis historia, quam refert Galenus in libro De sympt. differentijs, ostendimus. Summa uerò curationis im calefaciẽdo cõsistit, si à frigida planè cerebri intemperie malum ortum fuerit. Calefactoria itaq; medicamẽta tam extra, quàm intra corpus adhibẽda. Extrinsecus autẽ inunctiones capiti ex oleo calido, idq; æstate, adhibendæ. Hyeme uerò irinum cum aceto acriori, interdum serpillo, calamento, & ijs similibus in eo decoctis. Quidam etiã adijciunt piper, & lauri baccas. Vtile & castoreum cum oleo occipiti illitum. Confert etiã hoc unguentum, quod accipit: Olei è lateribus, de castoreo, utriusq; ℥ ß. radicis acori, phu, utriusque ℈ 1. pyrethri, rutæ, utriusque ℈ ß. Cum cæra quod Curatio.

satis est, fiat unguentum, quo rasum occipitium inungatur, & subinde sacculus imponatur, qui accipit: Florũ rosmarini, melissophylli, lauandulæ, singul. m̃. ß. florum sambuci m̃. 1. stichadis ʒ 1. nucis moschatæ, ligni aloës, maceris, singul. ℈ 1. Cõtusa in sericũ dimittãtur, formeturq; sacculus. Eius farinæ medicamẽta cõplura è superioribus capitibus petẽda erunt. Intrinsecus autẽ acorus cõditus, saccharũ florum betonicæ, rosmarini, lauandulæ, spicæ nardi, melissophylli, adiectis pipere, gariophyllis, cinnamomo, & id genus alijs odoramentis. Si uerò à frigiditate et humiditate memoriæ abolitio fiat, hiera picra exhibenda, quæ uacuãdo nihil utile secum trahit, sed id tantum quod molestũ est, educit. Deim apophlegmatismi, sternutamenta, & reliqua quæ caput per os & nares purgant admouẽda. Sinapismus quoq; capiti utiliter applicatur.

Victus ratio. Quod ad uictus rationẽ attinet, alimẽta sint quæ calefaciẽdi exiccandiq; uim obtineãt. Ab infrigidãtibus omnibus abstinẽdũ erit, & oleribus & fructibus bellarijs, caseo, & lacte, alijsq; quæ flatus gignere possũt, crassioris succi ac humectãtibus alimẽtis. Acriora uerò ex interuallis alimẽta offerẽda, ut sunt origanum, thymbra, quã satureiã uocant, pulegiũ, & & eiusmodi. Cauere autem oportet in uniuersum cruditates tanquã rationi infestissimas. Dãdum ægrotãtibus uinum tenue, album, & ualde antiquum: sua enim moderata caliditate cum alia non pauca efficiat, animam etiã tranquillam, festiuamq; reddit, consonos illi motus præbendo. Plurima uerò aquæ, multoq; magis uini potio pessima est, uehemẽter enim humectat caput, ac nihil æquè obliuionẽ inducit quàm humiditas. Somnus sit tẽperatus, citra satietatẽ. Veneris usus rarissimus: neq; enim totius corporis sanitati, neq; rationis actioni, si immoderata fuerit, cõfert. Balneo etiam, potissimũ à sinapismis, locus erit. Hæc procuranda abolita memoria sufficiunt

ciunt in præsentia. Alia enim quæ requiri possunt, ex superioribus petenda erunt.

De apoplexia. Cap. XXVI.

APoplexia est, ubi patiente cõmuni neruorũ principio, subitò omnes corporis particulæ motum simul & sensum amiserunt. Vel est priuatio sensus & motus in uniuerso corpore, cum functionum à uoluntatis imperio prodeuntiũ læsione subitò superueniẽs. Si in altera duntaxat parte obstructio fuerit ἡμιπληγία καὶ παράλυσις Græcis, resolutio Latinis dicitur, ut cap. sequẽti clarius docebimus. Fit à pituitoso, hoc est, frigido, crasso lentoq; humore, uentriculos cerebri principalißimos una uice & cumulatim replente, quẽ nimiæ cruditates, crebræq; potißimum ebrietates procreãt. Cõtingit etiã ob casum, aut ictus cerebrũ cõcutiẽtes, atq; ut illuc humores cõfluãt efficientes. Aëris quoq; admodum frigidi occursu, qui cerebri humiditates & excrementa coarctat, & cõstringit. Præcedit hoc malum capitis cõfertus & acutus dolor, & iugularium uenarum elatio, uertigo, oculorum splendores, & extremarũ partium sine ratione refrigeratio, totius corporis palpitatio; difficilis motus, & dentium inter dormiẽdum stridores: urinã emittunt æruginosam, nigram, paucã, & farinaceũ sedimẽtum habentẽ. Qui autẽ in hanc paßionẽ incidunt, sensu omnino carentes, mortui uiuũt. Quapropter clausis oculis instar dormientium decumbunt. atq; stertũt. Discernitur uerò paßionis magnitudo ex noxæ, quam spirationi infert, uehementia. Vbi enim naturalẽ ordinem, plurimùm egreditur, magnã: ubi autẽ paulum impedimenti est paruam in cerebro noxam esse coniÿcere oportet. Omnium uerò peßima spiratio putanda est, quæ intermittitur, & magna cum uiolẽtia trahitur. Id genus paßionis senes

Apoplexia quid.

* ἡμιπληγία.

Causæ.

Notæ.

Apoplexiæ magnitudo

Quos potißimũ occuper.

maximè qui temperatura sunt pituitosiores, & qui simili usi sunt uictus ratione, occupat. At si in iuuētute atq; æstiuo tēpore aliquē inuaserit, uehementē necessitatē portendit. Malum hoc nequaquam, aut rarò curatur, neq; enim temere ab Hippocrate est dictum: Apoplexiā uehementē soluere impossibile, debilem uerò non facilè. Mortem enim minatur celerē. Qui eius periculum effugerint, in diuturnā subinde passionē incidere solēt, aut quibusdā mēbris, aut uniuerso corpore resoluto, sæpè etiā ratione uiolata. Qui igitur quoquo modo curationē recipiunt, ijs statim sanguis, ex utrisq; humerarijs, modo plenitudo adsit, uiriumq; robur, detrahendus est. Præterea aluus clysteribus acribus ducēdus est, qualis est qui accipit: Saluiæ, origani, betonicæ, rutæ, singul. m̄. 1. calamenti, hyssopi, pulegij, singul. m̄. ß. seminum fœniculi, seseleos (siler montanū nominant) ammi, singul. ʒ 1. centaurij minoris m̄ 1. radicis polypodij ʒ 6. agarici optimi ʒ 3. medullæ collocynthidis ʒ 2. Decoquātur in aqua iustæ quātitatis, donec dimidium eius absumatur. Dein recipiātur iuris decocti ℥ 15. hieræ picræ, benedictæ laxatiuæ, utriusq; ℥ ß. compositionis indi ℥ 1. diaphœnicôn ʒ 2. mellis rosacei colo transfusi ℥ 1. ß. oleorum laurini, rutacei, de castoreo, singul. ℥ 1. salis fossilis saxei (gemmæ hodie uocant) ʒ 1. ß. Commixtis omnibus, fiat clyster. Commendatur etiā mirificè usus glandium, quæ ex colocynthide, agarico, elleboro nigro, & similibus cōficiuntur, ut sunt eiusmodi, quæ accipiunt: Mellis cocti & concreti ℥ 2. colocynthidis, agarici, ellebori, singul. ℈ 2. salis fossilis saxei ℈ 1. Redactis ijs omnibus in puluerē, cum melle misceātur, & formentur glandes longitudine sex digitorum, filo appenso, ut pro arbitrio extrahi queant. Post hæc totum corpus oleo copioso calido, cui prius serpillum, calaminthā, anethum, aut simile aliquod incoctum fuerit inungendum.

Curatio. 2. Aph. 42. Venæ sectio. Clyster acris. Glandes.

Extre

Extremis etiam corporis partibus ligaturæ, & frictiones uehementes, cum decocto radicis iridis, adhibendæ. Cucurbitulæ quoque humeris affigendæ. Caput denique prius rasum irrigandum oleo chamæmelino, anethino, rutaceo, aut eo in quo prius illa, quæ paulò antè commemorata sunt, decocta fuerint. Naribus admouenda ea quæ odore suo excitare ægrotantes solent, uti est opopanax, castoreum, sagapenum, galbanumq́;. Sternutamentorum quoque ratio habenda erit, quæ ex struthio, elleboro albo, castoreo, & alijs quæ in superioribus dicta sunt, constant. Embrocharum etiã usus conueniet è chamæmeli, meliloti, saluiæ, pulegij, maioranæ, origani, calaminthæ, & satureiæ decocto paratarum. Præstat tamen siccis uti medicamentis, cuiusmodi sunt sinapismi, qui à nostris hodie emplastra rubificantia uocantur, qualis est qui accipit: Olei costini ℥ 1. olei è castoreo & euphorbio, utriusq; ʒ 3. sinapis ʒ 2. castorei ʒ 1. sagapeni ʒ 1. ß. euphorbij ℈ 1. aceti ʒ 2. Cum cera quod satis est, ad emplastri consistentiam coëant. Sartago præterea, Raze autore, calefacienda, & capiti calida admouenda. Oportet etiam ori ui aperto digitum uel pennam oleo irino madefactam inserere, ut ea quæ insunt eijciantur. Porrò sedes quoq; ijs medicamentis quæ flatus educunt, ruta, cumino, nitro, & melle illinenda. Vbi paßio remiserit, cibus mollis, distribui facilis, & succulentus, adiecto ferè semper melle, assumendus. Si uox nondum redit, & uires permittunt, cucurbitulæ occipiti cum scarificatione affigantur. Si fieri poßit, etiam hypochondrijs. Aegri deim uehantur curru, aut lectica, aut pensili lecto gestentur. Potus sit mulsa, siue oxymel. Caueant sibi à uini potione. Post 21. diem, ægroti balneo credantur. Verùm de medicamentis, quæ ad reliquam curandi rationem requiruntur, sequenti capite copiosè dicemus.

Reuulsio. Odoramẽta. Sternutamenta. Embrochæ. Sinapismus. Vomitus. Victus.

De resolutione alterius lateris. Cap. XXVII.

Resolutio. Παράλυσις & πάρεσις, quæ Latinis resolutio dicitur, Galeno lib.3. De patiēt.locis.cap.10. autore, est, ubi alterum duntaxat latus aut dextrū aut sinistrum, sensum simul ac motum amittit. Interdum etiā in una aliqua tantum parte (uerbi gratia) manu crure, lingua, accidit. Animaduertēdū autē hoc loco erit, quòd resolutio ea quæ sequitur apoplexiam, ut testatur Gale. lib.4. Vict.acut.cōment.23. priuatim Græcis παραπληγία nominatur. Proinde paralysis nomen generalius est quàm paraplegia, quòd hæc solam eam, ut dictum est, quæ ex apoplexia fit: illa uerò omnem resolutionem ex quacūq; occasione ortam significet. Cæterùm quum per resolutionem interdum sensus tantum, interdum motus, nonnunquā ambo pereant: neruorum resolutio potißimum dicitur, ubi motus deperditus est. Cur autē nunc dūtaxat sensus, nunc motus tantum, iam uerò uterque simul amittantur, Gale.lib.1. De sympt.causis cap.4. copisißimè explicat, ut nō sit opus hæc à nobis commemorare.

Causæ. Generatur quidē à multis craßis & lentis humoribus neruos obstruentibus, qui ne animalis facultas à principe parte ad membra delabatur, impediunt. Hac sanè ratione refrigeratio ex niue, compreßioq; neruosorum corporum, resolutionē efficere possunt.

Notæ. Ad eius paßionis dignotionē multis indicijs minimè opus est: nemo enim non uidet eam partē quæ motu destituta est, resolutione affectam esse. A`qua uerò causa acciderit, partim ex ægri relatione, partim etiam ex notis suprà de dolore capitis è pituitosis humoribus orto commemoratis, deprehendere licebit.

Victus. Victus ratio in uniuersum attenuatoria & siccans esse debet.

Aer. Versetur itaq; æger in aëre calido & sicco, primisq; tribus diebus tenuißimo utatur uictu, hoc est, omnimodam

sustineat inediam, aut solius melicrati usu, aut pauco ptisanæ succo contentus sit. Dein cibi boni succi, & concoctu faciles, aßiq; exhibendi, montanarum præcipuè auium, & perdicum carnes, oua sorbilia, amygdalæ & pineæ. Inter olera utatur æger fœniculo, oreoselino, hyssopo, maiorana, saluia, & satureia. Vitet pisces fructus, & omnia frigida humidaq;. Potus sit exiguus, sitimq; quàm potest maximã sustineat. Bibat mulsam, cui saluia, aut cinnamomũ incoctũ aut admixtũ sit. Vel utatur potu, qui hodie à barbaris medicis Hippocras *nominatur, qui accipit: cinnamomi, selecti ℥ 2. zingiberis ℥ ß. piperis longi, granorum paradisi, acori, (quẽ hodie galangã maiorẽ appellãt) singul. ʒ 1. cardamomi ʒ 1. ß. nucis moschatæ, garyophyllorum, maceris, singul. ʒ 1. decoquãtur in aquæ fontanæ lib. 6. donec quarta pars, hoc est, lib. 1. ß. absumatur. Ius decocti refrigeratũ colo transfundatur, diligẽter ijs quæ decocta fuerũt expreßis, & cum sacchari lib. ß. huic dulcedo cõcilietur, fiatq; potus. Vino nõ licebit uti, donec malum totum deficiat. Aut si difficulter tanto tempore à uini potione arceri potest æger, detur qdẽ, at nõ nisi modicũ, aquosumq;, & in morbi inclinatione. Motus atque exercitium, si illis uti cõceditur, summè cõducunt. Somnũ fugiat diurnum. Nocturnus uerò sit mediocris. Gaudeat, & animi perturbationes fugiat. Curandi ratio si permiserit ætas, habitus corporis, anni tempus, & similia, à sanguinis mißione auspicanda, potißimum ubi plenitudinis indicia adfuerint. Oportet tamen detractionem esse moderatam ne corpus refrigeretur, sanguisq; à lateribus incolumioribus auferendus. Dein aliquot diebus à sanguinis mißione transactis, aluus clysteribus irritanda erit, quorũ hæc formula, quæ accipit: Maluæ, altheæ, mercurialis, chamæmeli, saluiæ, betonicæ, singul. m̃. 1. stichadis ℥ ß. rutæ, calaminthæ, utriusque m̃. ß. seminum fœniculi,*

Hippocras potus

Curatio.

Venæ sectio.

Clyster.

f 5 *ammeos,*

ammeos, utriusque drach. 2. Decoquantur in aqua, quoad tertia pars absumatur. Deim accipiatur iuris decocti lib. 1. benedictæ laxatiuæ ℥ ß. compositionis indi drach. 3. mellis rosacei ℥ ß. oleorum laurini, irini, rutacei, singulorũ ℥ 1. salis fossilis saxei ʒ 1. Cõmixtis omnibus fiat clyster. Post hæc decocta & serapia pituitosos humores extenuantia, atque expulsioni idoneos reddentia exhibebis, quorum formulas suprà capite duodecimo recensuimus. Quibus peractis, quæ humores molestantes euacuare possunt medicamenta bibenda propinabimus. Sunt autẽ præter ea quæ capite iam citato commemorauimus, pilulæ azaieret, arabicæ, fœtidæ, quibus nunquã non agaricum admiscendum erit. Neq; semel tantum purgandi sunt ægri, sed sæpius, quatuor uel quinq; semp interpositis diebus. Atq; initio leuius, deim uerò fortius medicamentum exibendũ. Quid multa? paulatim à leuioribus ad uehementiora progrediendũ. Sequenti à purgatione die, theriaca, & Mithridati antidotus magna cum utilitate exhibẽtur.

Purgantia medicamẽta.

Purgato iam uniuerso corpore, sternutamẽtis, apophlegmatismis, gargarismis, odoramentis, & alijs quæ in cap. 12. cõmemorauimus, utẽdũ. Capiti deniq;, unde totius morbi radix exoritur, calida medicamenta illinenda, castoreum nimirum, peucedani radix, menta, baccæ lauri, irino oleo, cui parum aceti adiectum sit, incocta. Quare si aëris ambiẽtis frigiditas haud impedierit, caput radendum, totumq; ad frontem usque inungendum. Præterea medicamenta etiam quibus discutiẽdi inest facultas, ijs locis unde nerui qui ad latus affectũ, sensum aut motum, aut utrunque deferentes oriuntur, admouenda erunt. Id quod Galenus lib. 3. De patientibus locis, cap. 10. Pausaniæ sophistæ exemplo luculenter ostendit. Verùm à leuioribus semper auspicandum, nimirum oleis chamæmelino, anethino, è spica, liliaceo, & irino: quibus latus quoq; resolutum

Capitis purgatio.

Discutiẽtia

lutum

lutum fouebimus. Quod etiã hoc nomine, nempe ut calefiat, linteis, aut pelle uulpina, & similibus operiemus: aut decocto saluiæ, maioranæ, chamæmeli, hyperici, stichadis, & rosmarini fouebimus. Deinde ad ualentiora progrediendum, oleum nimirum costinũ, uulpinum, rutaceum, laurinũ, è uermibus, de castoreo, è lateribus, quod philosophorum etiam hodie nominant, & de euphorbio. His adijciuntur nonnunquã unguenta aregon, agrippæ, martianum, & alia medicamenta simplicia calefacientia, ut est betonica, saluia, rosmarinus, radix acori, uerbasculum odoratũ (herbam paralysis hodie uocant) ruta, calamintha, pyrethrum, piper, castoreum, & euphorbium. Atq; in eum aut similẽ modum paratur unguentũ, quod accipit: Vnguentorum aregon, martiani, utriusque ℥ i. unguenti agrippæ ℥ ß. oleorum costini, uulpini, utriusq; ʒ ß. olei de uermibus ℥ ß. olei è castoreo ʒ i. ß. pulueris betonicæ, piperis, saluiæ, singul. ℈ i. castorei, euphorbij, utriusq; ℈ ß. Radicis acori ℈ 2. Ceræ quod satis est, fiat unguentum, Vel tale, quod recipit: Oleorum costini ℥ 2. de piperibus ℥ i. ß. olei de euphorbio ʒ 2. uini (ut uocant) sublimati, aut aquæ uitæ ℥ 2. ß. succorum saluiæ, uerbasculi odorati, utriusq; ℥ i. ß. radicis acori, seu galangæ maioris ʒ 3. stichadis, rosmarini, utriusq; ʒ 2. radicis pyrethri, piperis, utriusq; ʒ i. euphorbij ʒ ß. Tusa decoquantur, donec uinum & succi absumantur: dein exprimãtur olea, & adiecta cera quãtum satis erit fingatur unguentum liquidũ, & molle instar linimẽti. Ad illorũ exemplum componere licebit cerata, in hunc aut similẽ modum, quæ accipiũt: Baccarum lauri, pyrethri, piperis, singul. ʒ 2. radicis acori ueri (nam eum semper hoc nomine intelligimus, nõ autem uulgarem) ʒ i. stichadis, betonicæ, sambuci, singul. ʒ i. ß. sinapi, nigellæ, utriusque ʒ i. euphorbij, castorei, utriusq; ℈ i. olei costini ℥ i. ß. olei de piperibus ℥ i. olei de euphorbio

Vnguent.

Aliud.

Ceratum.

phorbio ℥ ß. cum cera & resina terebinthina quod satis est, fiat ceratum. Porrò membris patientibus cucurbitulæ sunt admouendæ leues, & citra scarificationem, ut ad ea sanguinem, atque adeò calorem & spiritum trahant. Quòd si imponendis cucurbitulis minus apta fuerint, uicinis saltem applicentur. Post cucurbitulas prædictis unguentis & ceratis, ita tamen, ut prius laborantia mēbra fricentur, utendū. Neq; parum conducet laconicum, aut si haberi poßint balneæ per se natæ (thermas hodie uocant) sulphureæ, aluminosæ, & salsuginosæ, quales sunt in Germania nostra Badeniæ, Ferinæ, iuxta Martianam syluam, & Cellenses, ut in nostra Compendiaria ratione perueniendi ad solidam medicinam copiosè diximus. Præstat tamen ut gestationes in curru, uehiculo, aut lectica præcedant. Hæc pro curatione resolutionis alterius lateris sufficere arbitramur.

Cucurbitulæ. Balneum.

De resolutione, quæ vnam aliquam tantum partem obsedit. Cap. XXVIII.

ET si quiuis peritus artis facilè ex ijs quæ diximus superiori capite, eam etiam resolutionem quæ in una aliqua duntaxat parte accidit curare queat: tamen ne imperitiores aliquid desiderēt, breuiter etiam quarundā partium curationes trademus, auspicati à spasmo cynico. Est autem κυνικὸς σπασμὸς musculorum mandibulariorum resolutio, in qua os & nares, atq; omnino media faciei pars in obliquum declinant. Qui hodie factitant medicinam, Torturam oris uocāt. Huic quidem cum resolutione quam præcedenti capite tractauimus curatio communis est. Nam & sanguinis mißio, si nihil impediat, & purgatio, & clysteres, linimenta, & alia quæ ibidem produximus medicamenta conducunt. Quæ tamē pecu

* σπασμὸς κυνικός. Tortura oris.

peculiariter ad hanc pertinēt, est sanguinis à uenis sub lingua mißio, cucurbitulæ primæ & secundæ uertebræ affixæ, errhina, & apophlegmatismi, quorum hæc sit formula, quæ accipit: Seminis staphydis agriæ, mastiches, radicis pyrethri, utriusq; ℥ 1. hyssopi, origani, utriusque ℥ 1. ß. sinapi ʒ 2. Trita excipiantur terebinthina resina, & cera adhibita fiant pastilli mansiles. Porrò ligatura quæ in oppositum ueluti capistrum aliquod partem resolutam trahit, admoueri debet. In hunc usum etiā conducit crebro specula intueri, quo uidentes faciei torturam ægri, eam corrigere summo annitantur studio. Parti autem patienti, hoc est, neruis à tertio pari ortis, medicamenta quæ in præcedenti capite sunt cōmemorata, imponenda erunt. Sciendum tamē hoc loco erit, non eam maxillam quæ peruersa esse apparet, sed oppositā resolutione infestari. Vbi lingua fuerit resoluta, uniuerso corpore prius uacuato, uenas sub ipsa existentes incidere oportet, & cucurbitulam mento admouere. Apophlegmatismis quoq; & collutionibus ex sinapi & similibus utendū. Exercitia deniq; linguæ nō negligēda, occipitiq; & ceruici uniuersæ acria unguēta & linimēta illinēda. Cerata quoq; & sinapismos imponere nō negliget medicus. Vesica resoluta, siue urina detineatur, siue præter uoluntatem excernatur, imo uentri & interfœmineo medicamenta communia applicanda sunt. Sedi immittendum oleum rutaceum, nardinum, è spica, aut oleum in quo eryngij radix, ruta, aut cuminū, aut anethum, aut simile aliquid decoctum fuerit. Vtiliter etiam ijs butyrum, castoreū, galbanum, uel opopanacem admiscebis. Vesicæ quoque hæc per colem transmissa ualde profecerunt, uel sola etiam suffecerunt. In primis itaq; qui nihil urinæ reddunt, per urinariā fistulam (quā cathetera uocant) urina elicienda erit: dein medicamenta quæ modò diximus, in uesicam per angustißimū tubū

Apophlegmatismus.

Linguæ resolutæ curatio.

Vesicæ resolutæ curatio.

tubulũ paruo utri insertũ, ut catheteri apte cohærere queat, infundenda. Dictu enim mirabile est, quanta ex huiusmodi iniectionibus post urinæ excretionem sequatur utilitas. Bene faciunt etiam medicamenta urinam cientia potui data, consimiliter castoreum. Præterea laxantibus insidebunt ægri, & cataplasmata inde conficiemus. Cole resoluto seminis, non urinæ, excretio, & cõcubitus impeditur. Oportet igitur iisdem præsidijs (quæ in uesicæ resolutione commemorauimus) uti. Priuatim autem lumbis & coxarũ uertebris calefactoria adhibenda, & ea quæ uirgam intendere ualent, de quibus suo dicemus loco, usurpanda medicamenta. Præter reliqua uerò, Aëtio autore, cerui pudendum fœmori tanquam cingulũ illigatum, eiusdemq; carnes comestæ, & ex auibus sturni, sic affectis plurimum cõducunt. Castoreum autem tum huic, tum alijs omnibus resolutionibus efficacißimè accommodatur. Vitare autem præcipue oportet sic laborantes, cibos & potus refrigerantes. Harum partium exemplo facile reliquas etiam curabit peritus medicus.

Colis resoluti curatio.

De epilepsia. Cap. XXIX.

Epilepsia.

Επιληψία nihil aliud est Grecis, Galeno lib. 3. De patiẽtibus locis cap. 5. teste, quàm cõuulsio uniuersarum corporis partiũ, nõ perpetua, sed quæ ex temporũ accidit interuallis, cum mẽtis & sensuum oblæsione. Sic autem dicta est, quòd sensum capitis, atq; mentem pariter apprehendat. Latini hoc malum comitiale nominauerũt, quòd eo laborãtes, in comitijs manifestabantur, comitiaq; quo die aliquis concidisset, interrumpebãtur. Tres sunt eius mali differentiæ: quas ubi cõmemorauerimus, causas simul explicabimus. Gignitur enim primũ hoc malum, ubi cerebrum primogenia paßione laborat: id quod acidit si crassus lentusq; pituitæ, uel atræ bilis

Comitialis passio.

Tres epilepsiæ differentiæ.

Causæ.

bilis humor spiritus meatum in cerebri uentriculis obstru-
xerit, neruorum principio seipsum quatiente, quo id quod no 1
xium est excutiat. A' crasso autem humore hoc malũ induci,
argumẽto est, quòd subito fit, & confestim soluitur. Secundò 2
fit propter consensum oris uentriculi male affecti, quum sci-
licet cerebrum excutere nititur, quicquid à uẽtriculo sursum
fertur. Sic Galenus lib. 5. De patient. locis, Grammaticum
quendam iuuenem fuisse tradit, qui quoties uel uehementius
doceret, aut cogitaret, aut mediã sustineret, aut irasceretur,
comitiali paßione corripiebatur: idq; non alia ratione, quàm
quod os uentriculi, utpote quod exquisito sensu præditum
erat, primaria ratione pateretur, ac deinde per consensum
ipsum quoq; cerebrum, ut nihil mirũ sit totius corporis con-
uulsionem postea cõsecutam esse. Tertiò accidit epilepsia, at 3
rarò admodum, cum à parte aliqua ueluti quædam frigida
aura, ægro idipsum etiam sentiente, ad cerebrum usq; ascẽdit.
Hoc genus paßionis comitialis, Galenus lib. 3. De patientibus
locis cap. 7. scribit se uidisse in puero, qui decimumtertium
ætatis annum agebat. Quum enim is adolescens etiamdum,
cum optimis eius tempestatis medicis conuenisset ad idoneã
inueniendam curationem, audiuit tum narrante puero, ma-
lum ipsum à crure initium capere, mox illinc rectà ascẽdere
per fœmur, & imminentes illi lumbos, ac per latera ad cer-
uicem, donec ad cerebrum perueniret: quod cùm primum
tangeret, ipsum haud quaquam sibi constare. Præcedit hoc Notæ.
malum corporis animiq; status minimè uoluntarius, tristi-
tia, eorum quæ perceperunt obliuio, turbulentæ somniorum
imagines, capitis dolor, eiusq; plenitudo continua, in ira-
cundia potißimum, pallor faciei, & linguæ inordinatus mo-
tus. Nonnulli uerò eam mordent. Quamprimùm autem in-
uaserit malum, ægri concidunt, conuelunturq;, stertunt,

ac inter-

ac interdum uociferantur. Nonnulli tremunt, atq; circũagũtur. Sed peculiaris admodum nota mali est, oris spuma. Non desunt, quibus etiã urina & stercus præter uoluntatem excernitur, nonnullis genitura. Quibus ab ore uentriculi uitiũ oritur, palpitatio ipsius præcedit, turbatio, & erosio, & ex

Quos potissimũ corripiat.

inedia, aut cibo tardius sumpto affligũtur. Corripit hoc passionis genus maximè pueros, eosq; adhuc paruulos: quòd uidelicet humidiore cerebri temperamento præditi sint, qua de

Puerilis passio.

causa παιδικὸς, hoc est, infantilis seu puerilis nominatur. Deinde adolescẽtes, & ætate cõsistentes, minimè uerò senes & decrepitos. In quibus acutissimum est malum, statim iugulat, & crebris accessionibus, & symptomatum uehementia. Plerisq; diuturna esse solet. Proinde si non pubertate, uel menstruorum initio, uel dum uterũ ferũt solutus fuerit, sæpè usq; ad mortis diem prorogatur, nisi congruã medici cura-

5. Aph. 7.

tionẽ fuerit assecuta. Id quod Hippocrates etiã testatur, qui
" sic scriptum reliquit. Quibuscũq; passiones comitiales fiunt,
" ante pubertatem mutationem accipiunt: quibuscunq; autem
" uigesimoquinto, commoriuntur. Coarguit autem & indicat
" comitiali passione laborãtes, ex bitumine, aut gagatc lapide,
" aut cornu caprino suffitus: comestum item iecur hircinum,

Victus ratio.

aut odor cocti iecinoris. Porrò hoc malo correptis uictus ratio, quæ incidit & extenuat utilis est. Aëris itaq; constitutio, in quo æger uersatur, calida & sicca sit, potissimum si à pituitoso humore fuerit excitatum malum. Fugere oportet carnes omnes, demptis auium montanarũ: item legumina, pisces, & uinũ, præsertim antiquũ, crassũ, & copiosum. Potus autẽ sit mulsa, aut uinũ aquosum, tenue, & dilutũ. Capparis esus mirificè prodest. Exercitia conferũt, & frictiones: sed capiti post omnes reliquas partes adhibitæ. In balneo mora diuturna obest. Deuitandus coïtus liberalis, moderatus uerò

prodest

prodest. Somnus sit nocturnus, & mediocris, impense caueat diurnum. Abstineat allijs, cepis, sinapi, & eiusmodi euaporantibus. Potum etiam statim à balneo, uini potissimum meracioris, fugiat. Cæterum si infans hoc malo laborauerit, nõ admodum medicamentorum præsidijs (Paulo teste) subuenire studebimus. Nam ætate ad calidiorem sicciorem que statum uergente, & uictu moderatiore, sua sponte plerunque passio finitur. Quod Hippocrates confirmat, inquiens: Quicunque iuuenes passione comitiali laborant, mutatione maxime ætatis, & temporum, & locorum, & uictuum quoque liberantur. Oportet autẽ solius infantium, & nutricum uictus rationem habere. Quapropter nutrix boni succi cibis utatur, si infans nondum ablactatus fuerit. Præterea ante cibum exercitetur, coitum fugiat: à uiri si quidẽ cõsuetudine lac odoris gratiam in deterius mutat. & humidius efficitur, menstruaque eliciũtur. Quid multa? paulo antè præscripta uictus ratione calida & sicca utatur, ut lac scilicet calidius, tenuiusque efficiatur. Capita autem infantium assiduè oleo anethino, & irino, adiectis puluisculis, cyperi, iridis, adianti, maioranæ, & similium, iniungenda. Nunquam tamen aqua calida uel frigida lauanda, multo minus tota immergẽda, aut irrigãda. Dato etiam ad lingendum mel despumatũ. Commẽdatur etiam à multis hoc ecligma, quod accipit: sacchari candidissimi ʒ 2. olei de amygdalis dulcibus quod satis est, ad iustam ecligmatis inducendã consistentiã. Detur infanti lingendum. Sunt qui admiscent uiscum quercinum, & unicornu, neque sine magno pueri ægrotantis cõmodo. Collo etiam radix pæoniæ uiridis suspendenda. Quantum enim hæc ipsa ad sanandum hoc malũ conferat, ex historia Galeni, quã narrat libro 6. De simpl. medic. facul. capite De pæonia, satis liquet. Puer enim totis octo mensibus à passione comitiali ex eo tempore quo

[Margin notes: Curatio infantium. — 2. Aph. 45. — Ecligma.]

re quo radicem gestabat, liber fuit, sed posteaquam quod à collo suspẽsum erat decidisset, protinus conuulsione denuo correptus est: rursus suspenso in locũ illius alio, inculpate postea egit. Porrò qui post annos pueriles in hãc paßionẽ prolabũtur, eorũ partes cõuulsas ac distortas inungere, irrigare, & in rectũ dirigere oportet. Deinde os aperiẽdũ, cuneusq; dẽtibus interponendus, ac penna oleo irino illita, pituitæ extrahẽdæ gratia, uomitus prouocãdus. Odoramẽtis etiã sensum excitare cõuenit, ut peucedano, ruta, bitumine, & silphij succo. Perseuerãte uero exacerbatione, medicus audacter & uiolẽter illorũ maxillas diducat, infundatq; in os castoreũ, aut laserpitij succũ cũ oximelite. Clysterem etiã acrẽ, iam excitatis, inijcere oportet. Cuius quidẽ formula è superioribus petẽda. Qui cõualescunt, uiribus antea recreatis, hiera Galeni, aut alio cõueniẽte medicamẽto, quorũ formulas iã sæpe diximus, purgãdi sunt. Hæc quidẽ recentis & acutæ paßionis comitialis curatio est, quare deinceps quomodo inueteratæ sit succurẽdũ, trademus. Oportet igitur laborãtes diu aquã bibere, atq; initio curationis, nisi q̃d prohibeat, sanguinẽ ex uena poplitis mittere, quòd Galeno teste, in libro De ratione curãdi per sanguinis mißionẽ, ex cruribus potius qui comitiali paßioni obnoxij sunt, euacuãdi sint, quã ex cubito. Interpositis dein quatuor aut quinque diebus corpus reficere, ac medicamẽta extenuãtia propinare expedit, serapia ex absinthio, de hysopo, è stichade, oxymeli scilliticũ, decoctũ hyssopi, radicis pæoniæ, & alia quæ suprà cap. 12. cõmemorauimus. Postea purgantibus medicamẽtis euacuãdi sunt, nẽpe pilulis cochijs, de agarico, et simil. loco iam citato nominatis: idq;, si pituitoso ex humore malum ortũ fuerit, faciendũ. Sunt qui in colocynthidẽ extracto semine, ac medulla tantũ relicta, uinũ dulce cõijciũt, totaq; nocte

Curatio adultorũ.

Curatio paßionis comitialis inueteratę.

Præparatio.

Purgatio.

nocte sinunt, dein mane excolant, & tepefactũ propinãt. Si uerò ab atra bile cœperit hæc paßio, ea quæ humorem hũc uacuare possunt, exhibẽda, quorũ formulas in capite De melancholia reperies. Licebit tamen aridi ellebori nigri corticem terrere & cribare, ac ex mulsa circiter drachmam unã dare: aut cum melle cocto, adiecto modico pipere, in pilulas redactum assumere. Vbi satis purgatus est æger, ad balneum ducendus. Tertio die hypochondrijs & scapulis cucurbitæ cũ scarificatione affigendæ sunt. Deinde cõplusculis diebus interpositis corpus reficiendum est, & rursus hiera Galeni purgandũ. Postea capiti & occipitio cucurbitulæ admouẽdæ. Sequẽti die panis in mulsa coctus, additis amygdalis amaris, cõtritis, aut serpillo, aut calamintha, aut mẽta, aut ruta, cataplasmatis instar capiti applicãdus. Atq; hoc tribus diebus faciendũ. Mox caput derasis capillis peucedani succo in aceto diluto, in quo serpillũ, aut iris incocta sit, perungendũ. Rursus interea corpore recreato, purgãdus erit æger tribus tantũ hiære drachmis oblatis. Quibus peractis, sternutamenta, apophlegmatismos, & ea quæ per nares purgant medicamẽta exhibẽda. Tẽpore interposito, si necessariũ esse uidebitur, clystere aluus eluenda erit. Tandem unguenta, limimenta, & emplastra, quibus discutiendi uis inest appllicanda, quorum in capite 27. mentionem fecimus. Sunt quædam medicamenta, quæ naturæ quadam proprietate, atque adeò à tota essentia huic malo aduersantur, ut est radix pæoniæ, uiscus quercinus, cornu ceruinum, ossa humana combusta, & alia multa, quæ lubens prætereo: quod copiose à recentioribus omnibus sint exposita. Porrò si ob primariam uentriculi paßionem epilepsia accidat, ut æger probè cõcoquat prouidendũ. Panis igitur diligenter elaboratus, ex uino antiquo tenui & albo, mediocriter adstringente, circa horam

Discutientia medicamenta.

Curatio epilepsiæ ex ventriculi vitio.

tertiam aut quartam diei assumendus. Dare autem expedit singulis annis, maximè si ob biliosi humoris inibi generationem malum oriatur, bis ter'ue hieram picram, ut bilis quæ uentriculum grauat, caputq; tentat, uacuetur. Si autem à pituitoso humore oriatur uitiũ, agarico purgandus æger erit. Neq; parum prodest seselis radix & semẽ, uel aristolochia rotunda trita, & ex aqua pota. Confert & mirum in modum aßidua crurum scarificatio. Cæterum ubi ex particula quadam paßio hæc inuadere percipitur, siue ea manus, siue pes fuerit, fune fortiter excipi debet pars quæ superposita est. Cùm remittit malum, peracta totius corporis inanitione prius iniunctionibus excalfacere corpus oportet. Deinde medicamenta quæ rarefaciunt, & malam temperaturam partis unde malum oritur, emendant, apponẽda, ut est lepidium, & similia. Succedente etiam tempore sinapismis locus irritandus. Post omnia cõmemorata theriace, & naturalia balnea locum obtinẽt. Per totum uitæ curriculum cauenda cruditas, & ante concoctionem alterius cibi assumptio, alimẽta craßi succi, diutinam cibi intermißionẽ, commotionem turbulentam, uinum largius potum à balneo, ut dictum est, odoramenta acria, & quæ caput replent. Fixis præterea & inconniuentibus oculis ex alto prospectum, diuturnam in balneo moram, & capitis à sole ustionem.

Si à particula quadã oritur malum.

De conuulsione. Cap. XXX.

Conuulsio

Σπασμὸς Græcè, cõuulsio uerò Latine, est malum, in quo nerui atq; musculi præter uoluntatẽ conuelluntur, in eumq; affectum ueniunt, quem etiam in motibus secundum arbitrium factis assumpserunt. uel aliter, ueluti definit Galenus libro 2. De sympt. causis, capite 2. Conuulsio est, quæ neruos musculosq; ad eundẽ cogit affectum, in quem ab ani

ab animali facultate, quum naturalem habitum seruarent, ducebantur. Eius autem tres sunt species seu differentiæ. Prima Græcis τέτανος dicitur, distentio Latinis, Celso rigor. Est, quum ceruix unà cum reliquo immobilis manet, & in neutram partem inflectitur, sed iuxtà in utramq; partē recta intenditur. Altera ἐμπροσθότονος Græcis nominatur, Latinis tensio ad anteriora. Accidit enim ut in ea caput, ceruix, reliquumq; corpus in pectus contrahatur. Tertia ὀπισθότονος Græcis, Latinis tensio, ad posteriora appellatur: in ea enim caput in dorsum ac scapulos conuellitur. Quod uero ad huius mali causas attinet, animaduertendum Hippocratē duas duntaxat statuisse, πλήρωσιν & κένωσιν, hoc, est plenitudinem & inanitionem neruosorum corporum. Sicut enim uidemus lora & chordas extendi, ubi aut multa madent humiditate, aut uehemētius exiccantur: sic & in corporibus animantium neruosæ partes conuulsione corripiuntur, uel nimium humectatæ, atq; adeò impletæ, uel uiolentius exiccatæ, ut copiose Galenus libro 3. De patient. locis, capite 5. Et lib. 2. De sympt. causis, capite 2. docet. Verum Hippocrates ipse de cōuulsione, ut primogenia paßione, loquitur. Præter hanc autem alia est, quæ per consensum partis alicuius accidit: & hæc fit, ubi aliquid à parte primo patiente ad cerebrum ipsum effertur, quod ut à se expellat, huiuscemodi motu concutitur. Iuniores medici barbaram sectantes medicinam, spasmum non proportionatum ad materiam uocant: quod scilicet nō accidat ob materiā quæ implere poßit neruosas partes, neq; ob inanitionē materiæ, sed à qualitate quadā, alteratis per cōtinuationē partibus: aut substantia, uel spiritali ueluti aura uel fluida ad neruorum principium delata: sicut contingit ijs, qui à scorpione aut alia uenenata fera icti sunt. Quod si aliquē sanum, Gale. 2. Aph. commēt. 26. teste,

τέτανος. ἐμπροσθότονος. ὀπισθότονος. Causæ. 6. Aph. 39. Plenitudo & inanitio. Conuulsio per consensum. Spasm⁹ nō proportionat⁹ ad materiam. Notæ conuulsionis à repletiõe.

repentè & statim ab initio, uel non multò post morbi principia conuulsio corripit, à repletione haud dubie originem ducit. Vbi uero post plurimos sudores, aut uomitum, aut alui deiectiones, aut sanguinis eruptiones, aut uigilias, aut famē, aut motus tum multos tum uehementes subsequitur, inanitio & siccitas in causa est. Conuulsio per cōsensum facile ex relatione ægri aut aßidentium cognoscitur. Victus ratio in conuulsione, quæ fit à plenitudine, eadem est ei quæ in capite de resolutione est perscripta, nempe calida & sicca. in ea uero quæ ab inanitione fit, humidā esse oportet. Nutriendi igitur sunt ægri sorbitiōibus, & iuribus pinguibus, et carnibus cōcoctu facilibus, probeq; nutriētibus. In potu uino utātur tenui & aquoso, quod facile per omnes corporis partes distribuitur: nisi febris affuerit, tunc enim ptisanæ cremor utilis erit, aut pro uino dandum cinnamomi decoctum. Somnus etiā accersendus erit. Vitanda exercitia, & omnia quæ corpus inanire poßūt. Quid multa? uictus in uniuersum talis sit, qualis est eorū qui hectica laborant febre. Curatio cōuulsionis, quæ à plenitudine orta est, statim à sanguinis mißione auspicanda, modò nihil sit quod eandem fieri prohibeat. Liberaliter autē sanguinem auferre conuenit, modò id non confertim fiat, sed pluribus uicibus. Mittendus uerò sanguis ex cubiti uena media. Post sanguinis mißionē, acri clysteri, si ita ex re esse ægri uisum fuerit, aluus eluēda. Partes autē quæ cōuelluntur, ualenter continendæ sunt, & inordinatis motibus omnino resistendum. Oleo quoq; rutaceo, aut irino, aut alio quodam ex hoc genere perfricādæ: aut lanis iam dictis oleis imbutis contegendæ: aut uesica lata calido impleta oleo, ijs superimponenda. Quod si uero à pituitosis humoribus conuulsio euenerit, tum ij primum omnium extenuandi & incidendi erunt, atq; ut ad expulsionem idonei sint præparādi.

Ab inanitione & siccitate.

Per cōsensum.

Victus.

Curatio cōuulsionis à plenitudine.

Venæ sectio.

Clyster acris.

Si à pituitosis humoribus oritur malum.

Præpa

Præparati subinde confestim medicamentis pituitā purgantibus, quorū multa in capitibus de epilepsia & resolutione cōmemorauimus euacuādi. Cucurbitulas etiā cū scarificatione admouere prodest: leues enim lædūt. Si crura cōtrahūtur, coxis & postremæ uertebræ. Si manus conuelluntur, dorso & primæ ipsius uertebræ, tum ei quæ humero superiacet. Caput præterea apophlegmatismis: gargarismis, & similibus medicamentis purgandum, procedente tempore balneo uti confert. Singulis itaq; diebus bis aut ter in aquas sulphureas, uel aluminosas, uel salsas descendat: non tamē diu, ne uires deficiāt, ijs immoretur. Vel si naturaliū nullus usus esse potest, laconico uti licebit, aut aqua cui incocta sint folia lauri, abrotanum, pulegium, absinthium, ruta, saluia, hypericum, maiorana, & betonica. Conuulsæ quoq; partes pellibus luporum & uulpium uestiri debent. Inunctiones etiam, quæ in capite De resolutione diximus, adhibēdæ. Frigidæ superfusione, cuius Hippocrates meminit, non temerè utatur medicus, nisi singula, quæ idem ille requirit adesse, cognouerit, ne pro remedio mortem adferat. Cæterum calida medicamenta, qualia sunt theriaca, antidotus Mithridati, & eiusmodi, sæpe sunt assumenda. Omnium tamen securissimum & optimum est castoreū dilutum ad cochlearis parui, hoc est, drachmæ unius mensuram datum. Verum idipsum nō tantum haustū, sed etiā extrà illitū conducit. Porrò conuulsio quæ ex inanitione & siccitate accidit, maximum sanè malū est, & propemodum insanabile. Eos autē qui sic cōuelluntur, oleo, uel hydrelæo calido fouere oportet. Ad lauacrum etiā deducere cōuenit, temperatoq; solio uti, frictioneq; cum oleo leuissima. Et in uniuersum ferè curandi sunt ut hectici. Si ab ictu alicuius feræ uenenatæ, atq; adeò per consensum, conuulsio accidit, annitendum initio erit, ut uenenum extrahatur. id quod

[Margin notes: Capitis purgatio. — 5. Aph. — Conuulsionis ab inanitione curatio — Cū alio cōuulsiōis ab ictu feræ venenatæ.]

efficies, uulnus latius faciẽdo, locumq; totũ in circuitu scarificando, superimpositis cucurbitulis. Vulnus etiã latioribus cauterijs ignitis inurendũ. Postea porri semina, cum sale trita, aut allia, aut cepas illinire oportet: & post crustæ casum usq; ad dies quadraginta, aut sexaginta uulnus à cicatrice arcebis. Ad quã si festinabit rursus uitis aut ficulneæ cinere ulcus aperies. Cõfert & marrubij, & anagallidis folia illinire. Locus etiam oxalidis radicis decocto fouendus est. Nam

Theriaca. eam mirificè Aëtius cõmendat. Cõducit etiam theriaca cum rosaceo diluta, & ulceri apposita, eo quod uenenum, aut eius qualitatem à profundo attrahat atq; euacuet. Hæc enim alexiteriorum, teste Galeno lib. 5. De simpl. med. facul. capi. 17. actio est. Priuatim uerò ea actione esse præditam theriacã, idem Galenus in libro De theriaca ad Pisonem testatur, ubi sic scriptum reliquit: καὶ ὅλως καθάπερ τι παιώνειον φάρμακον ἡ θηριακὴ, καὶ ἔξωθεν ἐπιτιθεμένη, καὶ πινομένη τοῖς λυσσοδήκτοις ἀκριβῶς βοηθεῖ. Quod est: In summa, theriaca & extrinsecus imposita, & epota, rabiosorum morsibus præsentanei medicaminis cuiusdã instar exactè auxiliatur. Vt hinc constet, toto cœlo errare Gentilem, & qui huius placita sectantur, eò quod theriacam extrinsecus admotam intro & in profundum pellere uenenum asserunt. Plura ad institutum nostrum facientia reperiẽt studiosi in curatione ictus canis rabiosi.

De incubone. Cap. XXXI.

Incubus. Ἐφιάλτης Græcis, Latinis uerò incubus & incubo, est malum, ubi aliquis noctu se grandi mole opprimi, inuadiq; ab alio credit. A' Themisone

πνιγαλίων. πνιγαλίων, nimirum à suffocando nuncupatur, siquidem præfocari in ea ægrotan-

Causa. tes uidentur. Oritur id uitij ex crapula, & continua uentriculi

culi cruditate, unde uapores craßi & frigidi eleuati, cerebri uentriculos replent, prohibentes facultates cerebri per neruos diffundi. Comitatur eo detentos difficilis motus, torpidus in somno sensus, suffocationis imaginatio, & ueluti ingruentis alicuius detentio. Ad hæc uox supprimitur, aut incerta, indiscretaq; editur. Quidam ita inanibus imaginibus afficiuntur, ut se opprimentes audire credant. Cùm plurima tandem anxietate attenuato spiritu, & discusso, atq; apertis meatibus, repentè excitantur. Occurrendum huic malo per initia: nam perseuerans, & aßiduè inuadens, grauius aliquod malum, ut apoplexiam, morbum comitialem, aut maniam prænunciat, ac inducit, crasso humore in uentriculis cerebri sensim collecto. Victus sit tenuis, & qui flatus minime generet. Vino non utatur, nisi aquoso. Somnum fugiat diurnum, nec statim à comestione cubitum eat: & (ut summatim dicam) tota uictus ratio talis sit, qualis est eorum qui comitiali paßione laborant. Curandi ratio, si plenitudo affuerit totius corporis, à sanguinis mißione auspicanda. Cubiti autem uena exterior secanda est. Sin cacochymia aderit, purgationibus corpus uacuandum. Et si pituita redundauerit, humores extenuantibus medicamentis ad purgationem præparandi sunt. Vniuerso purgato corpore, localia admouere medicamenta oportet, quorum omnium formulas ex superioribus petent studiosi. Succurrit autem ijs potißimum pæoniæ semen nigrum. Danda uero sunt grana quindecim trita ex aqua. Caput quoq; fouendum oleo anethino calido, & pileo tegendum, dum cubitum eunt. Intra corpus exhibenda, quæ caput corroborant, aromaticum rosarum uocatum, diamoschi dulcis antidotus, diambar, dianthôn, pleres archigou, plirisarcoticon barbari nominant, & eiusmodi.

Notæ. Huic malo cur per initia occurrendum. Victus. Curatio. Venæ sectio. Localia.

De mania. Cap. XXXII.

Mania. MAniæ malum est, quod Latini insaniam uocant, & furorem. Hoc enim detenti ferarum instar redduntur effrenes et furunt. Differt à phrenitide, quod in ea sit febris, mania uero citra febrem accidit. Oritur Aëtio autore, plurimo sanguine incorrupto ad cerebrum fluente, interdum temperato & multitudine tantum lædente, ut in ebrijs accidit, interdum bilioso. Galenus lib. 2. De sympt. causis hāc à mordacib. & calidis humoribus, qualis est maximè flaua bilis, uel à calidiori cerebri intemperatura nasci tradit. Præcedit maniā capitis debilitas, aurium tinnitus, splēdoresq; præ oculis obuersantur, ingentes uigiliæ, curæ sibi inuicem succedētes & extraneæ, grauedo uibratioq; capitis. Procedēte tēpore hæc omnia increbrescunt, rabidioresq; appetitus in illis excitantur, & in uenerē promptitudo. Præterea nocturnæ pollutiones iugiter fiūt, excauantur oculi, ac minimè nutant. Cæterum à solo sanguine maniam ortam comitatur risus aßiduus, ridiculis quibusdam uisis ante oculos occursantibus. Vbi uero flaua bilis sanguini cōmiscetur, iracundiā reddens tanquam ab ipsa stimulato interius cerebro & membranis, iracundi, audacesq; euadūt. At si flaua bilis etiā superassetur crassescatq;, cerebrū ac membranas stimulās & diuellēs, ferinum furorē percipit. Hinc rectißimè ab Hippoc. dictū est, " Desipientiæ quæ cū risu fiunt, securiores. Quæ uero cū studio, periculosiores. Victus sit tenuis, sorbilis, liquidus, citra " satietatē bonū aluum facientē, & qui nihil aut minimū sanguinis generet, uinumq; omnino prohibere oportet. Curatio à sanguinis mißione, ubi à sanguine malum accidit copioso, ordienda. Cubiti autem exteriorem uenam incidere conuenit, aut si non apparuerit, mediam. In mulieribus malleoli

[Margin notes: Mania. — Causa. Sanguis multus. Biliosus. Calida cerebris intēperies. — Notæ. — A sanguine solo. A bilioso. — 6. Aph. 53 — Victus ratio. — Curatio maniæ à sanguine copioso. Venæ sectio.]

uena secanda, eo enim delapsu frequenter menstrua prouocantur. Tantum autem sanguinis detrahēdum, quantum uires tolerare possunt. Sedato enim feruore, cōfestim recreantur, simulq; reliquis præsidijs locus relinquitur. Verum quū nonnulli prima quidem ablatione strenuè manitionem ferāt, in sequentibus autem animo linqui consueuerint, expedit ijs in prima statim ablatione detrahere quantum usus postulauerit: ita enim simul euacuātur plurimū flatuosi, uaporosiq; spiritus. In sanguinis itaq; effluxu aßiduè pulsus tangendus est: qui si conciderit, confestim de repetitione cogitandū. Postridie reparatis iam uiribus repetitio molienda. Porrò post sanguinis detractionem caput rosaceo & aceto fouendū, aut succo polygoni, aut melino oleo. Deinde succida lana oleo madefacta syncipiti applicetur, aßidueq; noua mutetur. Post inanitionem sanguinis uespere somnus concilietur: euacuato enim sanguine, si uigiliæ successerint, ægri immaniores euadunt. Quare medicamentū soporiferum Diacodion uocatū, cū succo ptisanæ aut cū aqua audacter exhibendū: ita enim iucundus somnus allicietur. Et plurimi quidē ipsorum sumpto soporifero omnino resipiscunt. Quapropter ubi prima die post medicamētum satis dormierint, una die interposita, rursus diacodion propinandum. Consueuit enim à sanguinis mißione cōuenienti uictu adhibito, exactā curationē perficere. Obseruandū tamen ne postea ulterius offeratur. nam sensus stupidos reddit. Vsum eius aliorūq; soporiferorum medicamentorū monstrauimus lib. 1. de comp. medic. capite 4. Probatur etiā oleum uiolarum cum lacte fœminæ. Item embrocha è uiolis siccis, floribus nymphea, salicis, et rosarū, folijs lactucæ, semine papaueris, & eiusmodi parata, aliaq; medicamenta, quæ cap. 7. à nobis sunt cōmemorata. Aluus præterea cum idoneis alimentis, & cum clysteribus molliēda est.

Localia.

Embroca.

His

His peractis, ex uenis etiam è fronte, ab ea potissimum quæ media in fronte est, sanguinem, si res postulauerit, detrahemus. Vel hirundines capiti circulatim, syncipiti præcipuè, admouebimus. In ijs quibus biliosior sanguis fuerit, ex hiera picra, & alijs medicamẽtis bilẽ uacuantibus, purgatio prius molienda erit. Si uerò delirantes purgantia medicamenta bibere renuẽt, interim ut facilius fallantur, cibis, buccellis, uel ficubus pinguibus, uel palmulis admiscenda sunt. Vnicè autem ipsos iuuat hippomarathri radix, semenq; ex aqua potum. Declinante morbo æger ad balneum ducendus, ac reliquiæ medicamentis discutientibus dissipandæ. Plura si quispiam requiret, is ad caput sequens, De melancholia, sese conferat, atq; ea quæ ad institutum faciunt excerpat.

Curatio maniæ a sanguine bilioso.

Balneum.

De melancholia. Cap. XXXIII.

Melancholia quid.

Causæ.

MElancholia, est mentis alienatio, seu desipientia, sine febre, ex melancholico maximè humore mentẽ occupante, ac temperaturam suam immutante, nata. Fit uerò idipsum trifariam. Interdum enim uniuerso in uenis corporis sanguine melancholico affecto, ob cõmune uitiũ, cerebrum quoq; ipsum simul læditur. Nonnunquam uero reliqui corporis sanguis prorsus innocuus est, solus autẽ is qui in cerebro est alteratur: idq; bifariã accidit. Aut enim aliunde in ipsum deriuatur, aut in ipsomet genita est, cum uidelicet internus calor aut flauã bilem, aut crassũ atrũq; sanguinẽ superassauit. Interdũ etiã ob inflãmata & malè affecta circa uentriculũ hypochondria melancholia prouenit, quæ modò auram exhalationem'ue quandam maligniorẽ ac melancholicã, modò substantiæ humoris partẽ ad cerebrũ sursum trãsmittũt. Quemadmodũ enim nõnulli freq̃uẽter eleuata à uentriculo fuliginosa quadã aut fumosa exhalatione, aut omnino crasso uapo

uapore quidpiã suffusioni simile præ oculis obijci sentiunt:
sic ascendẽte ad cerebrũ malãcholica exalatione tanquã fu-
ligine aut fumo, melancholica symptomata circa mentẽ eue-
niunt. Quare tres sunt in uniuersum melãcholiæ species, seu Tres melancholiæ species.
differentiæ. Vna, cum totum corpus melancholico sangui-
ne redundat. Altera, quando is sanguis ipsum duntaxat cere- 1
brum occupat. Tertia, quãdo hypochondria ipsa primum 2
malè affecta, in consensum subinde cerebrum rapiunt. Hæc 3
melancholiæ species Græcis φυσώδης & ὑποχονδριακὴ,
hoc est flatuosa & hypocondriaca nominatur. Communia Notæ. 6. Aph. 25.
omniũ signa sunt, metus, tristitia, odium, & auersio hominũ,
iuxta hanc Hippocratis sententiã: Si timor & mœstitia lon-
go tempore habentes perseuerent, ex eo atra bilis significa- ››
tur. Priuatim uero melancholicorum uariæ sunt imaginatio
nes. Alij enim credunt se bruta esse animalia, & uoces ipsorũ Variæ melancholicorum imaginationes.
imitantur. Sic Gale. lib. 3. De patiẽt. locis, cap. 6. narrat fuisse
quendam, qui se gallum esse putauerit, ideoq; gallos cantare
audiens, ut hi alarũ sic ille brachiorũ plausu latera quatiẽs,
gallorum sonum imitatus est. Alij uasa fictilia, ut idem eodẽ
in loco testatur, et testas se esse arbitrantur, atq; idcirco ob-
uiantib. ne collidantur, cedunt. Præterea hi mortem expetũt,
atq; adeò non rarò sibi mortem consciscunt: illi eandem ex-
pauescũt. Talis fuit, de quo Gale. scribit, qui timuit ne Atlas
qui mundũ sustinere dicitur, grauatus sub tanto onere, ipsum
à se excuteret, atq; ipse cum illo collideretur, ac nos quoque
cum ipso periremus. Nonnulli semper ridẽt, Democritumq;
agunt: alij Heraclitum, nunquam non lachrymantes. Quidã
se numine afflatos esse existimant, & futura uaticinantur, Signa peculiaria melancholiæ.
quos ἐνθεαστικοὺς priuatim Græci nominant. Sunt aliæ in
finitæ eorum imaginationes, quæ singulæ connumerari non Ex totius corporis consensu.
possunt. Porrò peculiares illorum hæ sunt notæ. Qui ex to-

tius corporis consensu melancholia laborāt, ijs corporis habitus est gracilis, niger, hirsutus & ex toto melancholicus, uel natura uel acquisitus per solicitudines quasdā, aut uigilias, aut prauorū ciborum esum, aut hæmorrhoïdū, aut menstruorū suppreßionem. At qui ex hypochondrijs uitiū contraxerūt eos sanè cruditates, quas plurimi flatus cōsequuntur, acidi ructus, ardor, & grauitas hypochondriorum, arguunt. Hypochondria quoq; sursum cōuelluntur, & nōnunquam inflammatione conflictātur, idq; potißimū circa mali exordiū. Ventres etiā desiccantur, somnus exiguus fit, somnia turbulēta & enormia, saltus diuersi in singulis corporis partibus, uertigines capitis, & in auribus flatuum sonitus. Deinde ubi malū accreuerit, atræ bilis comitantur symptomata, quæ utiq; concoctione, uel excretione, uel multis flatibus, uel uomitu, uel ructu leuantur. Victus ratio eiusmodi sit, quæ atrā bilē minime poßit ꝓcreare. Versandū itaq; in aëre calido et humido. Cibis utendū boni succi, humidis & tēperatis, pane in clibano cocto, ac probè cōfecto: carnibus caponū, gallinarū, perdicū, phasianorū, piscib. saxatilib. & eiusmodi. Cōtrà deuitet cibos oēs qui melancholicū humorē generāt, quos ordine & copiosè Gale. lib. 3. De patient. lo. cap. 6. recēset. Vinū æger bibat tenue, album, neq; ualde antiquū. Crassum uerò & nigrū uitet. Exercitiū sit mediocre, equitatio aut deambulatio per loca amœna & uiridia, aut nauigatio. Aeger etiā balneo aquæ dulcis, quo se uno præsidio cū uictu humido Galenus malū hoc ubi nōdū in longū esset protractū, curasse scribit, frequenter utatur. Somnus illi supra modū cōfert, ueluti etiā coïtus, at moderatus. Gaudeat & lætetur, in hocq; habeat, q cantu aut alijs musicis instrumētis hilaritatē excitēt. Cæterū ubi uniuersum corpus sanguine melancholico abūdauerit, medēdi initiū à sanguinis mißione auspicari

Hypochōdriacæ.

Victus.

Cibi utiles

Balneum aquæ dulcis.

Curatio melancholiæ à san-

guine melancholico.

spicari expedit. Secanda uerò (Galeno loco iam sæpius citato autore) cubiti uena: præcipuè aũt media, quæ scilicet cõmunis est ei quæ humeraria nominatur, & ei quæ per axillã ad manum fertur, iecorariaq; dicitur.

Venæ sectio.

Vbi uero solum cerebrũ sanguinem melancholicũ continet, æger sanguinis detractione, non indigebit, nisi fortè multum sanguinis sit, ac præseruationis gratia uenam incidamus. Quum itaq; ex primaria cerebri paßione melancholici efficiuntur, frequentibus balneis, uictu boni succi & humido, minimeq; flatuoso, unà cum decenti animi delectatione, sine alio potẽtiori remedio curandi sunt: humor enim qui molestat, ob temporis breuitatem ut excernatur, nondum contumax esse potest. Malum autem si aliquandiu durauerit, ualentiora magisq; uaria medicamẽta requirit.

Purgatio.

Siue igitur ex totius corporis cõsortio, facta prius ut diximus, sanguinis detractione: siue solius cerebri primario affectu melancholia orta fuerit, medicamẽta quæ per inferna purgant exhibere oportet.

Decoctum præparans

Interpositis tamẽ aliquot à uenæ sectione diebus, in aurora quotidie æger bibat hoc decoctum, quod accipit: Florũ bugloßi cirsij, uiolarũ, singul. m̃ i. uuarum passarũ detractis uinaceis ℥ i. hemionitidos m̃ i. fumariæ m̃ ß. corticum radicũ capparũ, tamaricis utriusq; ʒ 3. radicum fœniculi, petroselini, glycyrrhizæ, singul. ʒ i. thymi, epithymi, utriusque ʒ ß. Decoquantur singula in trib. libris aquæ, donec tertia pars absumatur, deinde colo transfundantur, & saccharo adiecto ius decocti dulce reddatur, alboq; oui purificetur, & addantur serapij è fumaria, de epithymo, utriusq; ℥ 2. & fiat potio. In eundẽ usum hodie propinant serapiũ uiolaceũ, è buglossa, admixtis aquis stillaticijs hemionitidis, lupi salictarij, intubi hortensis latifolij, & bugloßi. Verum cum stillaticiarũ aquarũ usus uentriculo non admodum conferre uideatur, præstat prædictarum

herba

herbarum decoctis uti,cōmistis serapijs in hunc uel consimilem modū.Serapij è buglosso ℥ 1.serapij de epithymo ℥ ß. Decocti hemionitidis,fumariæ, & intubi hortensis latifolij ℥ 3.Cōmixtis omnibus fiat potio.Posthæc corpus purgetur antidoto hamech appellato,& diasenæ,catapotijs in ais,è lapide armenio,& similibus. Proderit autē huius etiā decocti purgantis usus,quod recipit:Florū buglosi, uiolarū, rosarum,singul.m 1.uuarum passarum detractis uinaceis, oxyphœnicôn,utriusq; ℥ 1.myrobalanorum cæruleorum,luteorum,empeliticorum,beletzicorum,singu. ℥ ß. folliculorum senæ, polypodij, utriusque ʒ 6.prunorum damascenorum numero 10.Coquantur in aqua iustæ quantitatis ad tertias, dein colo transfusis,adiecto prius saccharo,iuri decocti dulcedo ac suauitas inducatur, de quo in aurora ℥ 4.exhibeantur.In ijs,si nō satis purgent,licebit dissoluere cōpositionis diasenæ ʒ 2. Mirificè quoq; cōducit dilutū epithymi, in eū paratū modū.Epithymi ℥ ß. Maceretur horis 24.in seri caprini lactis ℥ 4.Dein ualidè exprimatur, & colo trāsfundatur,atq; in aurora propinetur. Valet etiā dilutū foliorū senæ,quod sic parari potest. Foliorū senæ ℥ 2.prunorū damasce.nume.12. cōtusa macerētur in sero lactis caprini horis 24.deinde exprimātur, & colo trāsfundantur, atq; in aurora,ut antea est indicatū, bibātur. Licebit etiam hoc uti puluisculo,qui accipit:Epithymi ℥ ß. lapidis armenij,agarici,utriusq; ʒ 2.scāmoniæ præparatæ ʒ 1. garyophillorū nu.20.Redigātur omnia in puluerē,et singulis septimanis ʒ 1.uel ʒ 1.ß.pondere dentur. Vtile est etiā lactis sero uētrē subducere.Verūtamen id nō sit quod ex caseo fuerit expressum.Melius est enim id,quod p decoctionē,Aëtio teste, ex lacte separatur.In ollā enim nouā inijciendū lac, & uirgulto ficus mouendū:cumq; ter quaterue deferbuerit,aceto mulso

Potio.

Decoctum purgans melancholiam.

Dilutū epithymi.

Dilutū foliorū senæ

Puluis purgatorius.

Serum lactis vt parandum.

mulso irroretur: dein excolatum potui exhibeatur, à principio quidē admixto melle, cum uerò uentris subductio inceperit, non misceatur mel. Neque temerè quis à purgatione, interiectis quibusdam diebus, clysteribus utetur, ut qui à capite auertere admodum queant. Sunt autem eiusmodi, qui accipiunt: Fumariæ, lupi salictarij, thymi, singul. m̄ 1. epithymi m̄ ß. senæ, polypodij, utriusque ʒ 6. cartami ℥ ß. seminum anisi, fœniculi, ammeos, cumini, singul. ʒ 2. Coquantur usq; ad tertias. Dein accipe iuris decocti lib. 1. casiæ fistularis recens extractæ ℥ 1. cōpositionis de senæ ℥ ß. oleorum uiolacei, chamæmelini, utriusq; ℥ 1. ß. salis uulgaris ʒ 1. ß. Misceātur singula, & fiat clyster. Præterea si hœmorrhoïdibus aut mensib. suppreßis malū fuerit concitatū, horum quoq; purgationē moliemur. Id quod facere nos monet etiā Hippocrates, inquiens: Atra bile uexatis, hæmorrhoïdes superuenientes, bonū. Et rursum: Insanientib. si uarices, uel hæmorrhoïdes superuenerint, insaniæ solutio. Danda quoque sunt medicamēta, quæ animi tenebras abigere, atq; adeò lætitiam parere ualent, uiresq; reficiūt, ut est saccharū buglossi, intubi hortēsis latifolij, uiolaceū, rosaceū, lætificans Galeni uocatum, dianthôn, & cōplura alia. Nulla deniq; ratione, quod antea etiam monuimus, balneorū aquæ dulcis usus est negligendus. Embrochas quoq; caput humectare potentes adhibere oportet, qualis est quæ accipit: Maluæ, altheæ, uiolarum, singul. m̄ 1. ß. chamæmeli, stichadis, utriusq; m̄ 1. florū nymphcæ m̄ ß. seminis lactucæ ʒ 1. seminis intubi hortensis angustifolij ʒ 1. ß. Buliant in aqua iustæ quantitatis, & iure decocti caput rasum irrigetur. In eundem usum conuenit adhibere inunctiones ex oleo uiolaceo, nymphcæ, & similibus. studiosè postremùm annittendū, ut imaginationes absurdæ, falsæq;, & immensa mœstitia, quacūque fieri po-

Clyster.

6. Aph. 11.

6. Aph. 21.

Balnea.

Embrocha

test ratione, propulsentur. Huius rei memorandum exemplũ extat apud Alexandrum Trallianũ, qui lib. 1. cap. 22. mulierem quandam hunc in modum se sanitati restituisse scribit.

Historia. *Mulier (inquit) melancholiæ malo correpta, inter dormiendum anguẽ se deglutisse putabat. Ciens itaq; ei uomitum, anguem extinctum pelui, qua uomitionem excipiebat, clandestine inserui: quem simulatq; conspexisset melancholia, ea uomuisse rata, omnẽ falsam suspitionẽ posuit, & salua euasit.* Porrò *si ob hypochondriorum offensionem paßio cõstiterit, utendum aßiduè potu decocti pulegij, nõ solum ante medicamentorum purgantium exhibitionẽ, uerumetiã post. Similiter & centaurij decocto.* Deinde *quoq; absinthij decoctum iugiter exhibendum, utile enim est stomacho & uentriculo, plurimiq; flatus generationẽ in uentre impedit, neq; extremè uentrem cõpescit, sed urinam mouet, optimamq; coctionem præparat, adeò ut hoc solo remedio plurimi sanati sint.* Exhibẽda *etiam ea sunt, quæ urinam mouent, ut anisum, daucus, asarum, smirnion, hypomarathri semen ac radix, & chamædrys.* Horum *enim quodlibet aqua decoctum sumitur, uel in puluerem redactum, potuiq; inspersum.* Vtile *etiam fuerit, ut hypochondriorum curam habeat medicus.* Fouebuntur *itaq; ruthæ, anethi, absinthij, pulegij, agni seminis, baccarum lauri, serpilli, artemisiæ, & similium decocto. Hæc enim dolores leniunt, flatusq; discutiunt, maximè ubi oleo incocta malè affectæ parti cataplasmatis instar applicantur. Inflatibus autẽ stomachi cum punctione, cuminum, aceto decoquentes, & pulegium, stomachum fouebimus. Cataplasmata autem habeant in oleo decoctum anisum, aut apium, aut cuminũ, smirnium, & ijs similia. Cum admoues, plurimo tempore tam ieiuno stomacho, quàm post cibum adhærere permittes. Cumq; cataplasma aufertur, contegenda*

Hypochõdriacæ melancholiæ curatio.

Absinthij decoctum.

Diuretica

Fomenta.

Cataplasmata.

da hypochondria sunt lana latiori, uel leuißima ac pura pelle agni, locum prius oleo nardino illinentes. Vtendum etiam appositione cucurbitularum leuium, hoc est, citra scarificationem. Videbitur enim tibi præsidium hoc, Galeno lib. 12. Thera. meth. teste, in huiusmodi malo incantamenti cuiuspiam simile quid efficere. Ilicò enim admota cucurbita, qui spiritu flatuoso cruciantur, tum à dolore liberi, tum omnino sani redduntur. Ad phlegmonas autē & durities, cucurbitulis cum incisione utendum. Quibus uitiū diu durauerit, præsentißimum est remedium per uomitum purgatio. Non tamē ualidis uomitorijs utendum est, talia enim infesta sunt stomacho, ac uentri anxietatem afferunt. Cōcitetur igitur uomitus cum aqua tepida, cui oxymeli sit admixtum. Quod si tamen neq; hoc modo possunt euomere ægri, digitos aut pennas in os demittēdo irritare oportet. Proderit autē ijs unicè uomitus, qui per elleborum fit album, in eum modū: Accipe ellebori albi ʒ 1. Concidatur in minutas particulas, & raphano satis magno infigatur. Transactis trib. diebus, iterū eximatur, raphanusq; deinde fortiter exprimatur. Postea accipe succi de raphano expreßi ʒ 6. aquæ calidæ ℥ 4. oxymelitis ℥ 1. & cōmixtis singul. uniuersum calidum ægro propinato. Vel confice uomitorium in eum modū: Accipe ellebori albi optimi ʒ 3. & raphano prius perforato infige, ac ibi noctē unam integrā dimitte. Postridie ubi in raphanum uires ellebori migrauerint, amoto elleboro, raphanus in minutas partes dissecetur, & in oxymelite propinetur, diligenter cauēdo, ne quidpiam ellebori in raphano relinquatur.

Cucurbitularum appositio.

Vomit⁹ vt concitandus.

De tremore. Cap. XXXIIII.

MAlū quod Græcis τρομος, Latinis uerò tremor dicitur, ex duob. perficitur motibus: uno qdē, dū cogitur

Tremor.

membrum ob morbum atq; grauitatem ad inferiora repere: altero, dum sursum à facultate fertur. Malum hoc in uniuersum ob neruorum imbecillitatē accidit: quod ætas senilis palàm testatur.

Causæ. Priuatim uerò plures aliæ causæ ipsum efficiūt: nempe frigidius naturæ temperamētum, frigidæ potio, præsertim in febrib. intempestiuè assumpta. Frigidi præterea, crassi, & lenti humoris abundantia, uiniq; multi meracioris usus, senectus, atq; timor.

Notæ. Signa neq; ad mali, neq; causarum dignotionem ulla sunt necessaria, quod scilicet partim uisu, partim etiā ex ægri sermonib. atq; corporis cōstitutiōe deprehēdi queāt.

Victus. Victus ratio sic cōstituatur, ut causis planè sit contraria. Cibus uerò facillimæ distributionis offeratur: primū sorbilis, mox uolatiliū, & pisciū molli carne præditorū. In crassorum lentorumq; humorū redundātia, ijs uti cōuenit quæ incidendi & extenuandi uim obtinēt, de quibus in præcedentib. sæpe dictum est. Vitanda uerò in uniuersum omnia, quæ neruos offendere possunt, uini maximè meracioris potio. Bibendum uerò dilutum & aquosum, aut hydromeli.

Curatio. Quod ad rationem curandi attinet, qui ex erroribus cōmissis manifestè tremunt, à noxijs prorsus abstineant. Qui igitur ex uini potione tremunt, ijs uinum circuncidendum est, quoad in totū morbo fuerint liberati. Bibāt interea hydromeli, cū decocto saluiæ aut betonicæ.

Si à frigidis & crassis humoribus malū accidat. Si à frigidis et crassis humoribus tremor accidit, curandi ratio erit adhibenda eadem, quæ resolutioni & cōuulsioni à plenitudine ortæ, sanguinis dūtaxat missione excepta.

Localia. Extremæ autē corporis partes oleis calefaciētibus præunctæ, lanis mollibus cōtegātur.

Cucurbitulæ. Deinde cucurbitulæ citra scarificationem à priori uertebra, usq; ad spinā lumbosq; affigātur, ut scilicet crassi & lenti humores uertebrarū foramina obstruentes, ad cutis extimā superficiē trahantur, atq; adeò subinde facilius discutiantur. Proderit

etiam, ut æger quotidie piperis grana quinq; ex mulsi cyatho, hoc est ℥ i ß. bibat. Sunt præterea quædã alia medicamẽta simplicia, quæ præsumpta trementes adiuuant, nempe castoreum, altheæ radicis, & eupatorij decoctũ, & ex animalibus desumptum leporis cerebrum. Quid multa? medicamentis, unctionibus præsertim, ad resolutionis curationem conscriptis, in huius generis malo utendum.

Simplicia medicamẽta tremẽtibus cõducentia.

De ophthalmia, siue lippitudine. Cap. XXXV.

Ὀφθαλμία Græcis, lippitudo Latinis, nihil aliud est, quàm tunicæ uel membranæ adnatæ, quam barbaram sectantes medicinam Coniunctiuã uocant, inflammatio. Adnatam uerò hanc dixerũt propterea quod alijs quæ oculum ipsum constituunt tunicis forinsecus adnata sit, ligamentum existẽs toti oculo ad circumiacentia ossa. Hinc est quod ambientes oculorum partes ad malas nonnunquam in uehemẽtiori lippitudine simul attolluntur. Fit hoc malum uel ex plenitudine uniuersum corpus grauante, ob quam adnata etiam humoribus referta tenditur: uel ab influentium humorum acrimonia uehementer erodente: uel propter crassorum humorum, aut flatulẽtorum spirituũ intensionẽ. Dignoscitur, si adnata oculi, quæ natura cãdida est ob sanguinis cõfluxũ rubea esse uidetur, & ex oculis lachrymæ resudant, atq; in maioribus oculi angulis sordes quædam aceruantur. Locus in quo decumbit æger, obscurus & tenebrosus sit, & pro causæ diuersitate aut frigidus, aut calidus. Si in propatulum egreditur æger, linteum atrum, aut ceruleũ, aut uiride oculis obducat: siquidẽ ij colores uisum morbo affectũ, aut fatigatũ corrigunt ac recreãt, ut testatur Galenus lib. 1. De sympt. causis, ubi ex professo de ijs quæ oculos aut molestãt, aut tri

Lippitudo quid.

Adnata cur appellata.

Causæ.

Notæ.

Victus.

stant,agit.Tenui autẽ prorsus utendũ uictu,ac cibo parciore. Deuitet carnes, lactisq; usum. Vino,præsertim inter initia,abstineat,bibatq; decoctũ cinnamomi, aut hordei,donec uigor prætereat.Quod si tamẽ crassiores humores tensionem procrearint,hydromeli,aut uinũ tenue & aquosum bibere cõuenit.Exercitari haud prodest,sed quiescere.Perturbationes animi procul absint.In curãdi ratione animaduertendũ,num ex plenitudine fuerit contracta inflammatio:id quod cognoscitur,ubi cũ ingẽti dolore oculos affligẽte plurima tensio,rubedo,renitẽtia,& calor affuerit, feruidarũq; lachrymarũ copia defluxerit:tum enim à missione sanguinis hæc ipsa auspicãda erit.Venam autem secare oportet cubiti exteriorẽ,quã humeralem uocant,atq; eã quæ è directo est. Et ubi uehemẽs fuerit inflãmatio,ad animi usq; deliquiũ auferre cõueniet.Si uerò à rodẽtib.aut crassis humoribus lippitudo orta fuerit:id qd' lachrymæ tenues,salsæ,acres,calidæq; aut cõtrariæ monstrabũt:atq; adeo totũ corpus cacochymũ fuerit, prauisq; abundauerit humoribus, quæ noxios humores uacuare & purgare possũt medicamẽta propinãda: quæ certè pro redundantiũ ac infestãtium humorũ uarietate immutãda ueniunt.Corpore uacuato,humorũ,qui ad oculos feruntur impetus deorsum,& ad alias corporis partes, ignobiliores,infernarum partium frictionibus,ligaturis artuum,& cucurbitulis reuellendus erit. Post hæc adhibenda sunt medicamenta repellentia,quæ non exasperant,hoc est. non uehementẽ sunt sortita adstrictionẽ:& quæ tum propria sua substantia sunt moderatiora, tum lenientis liquoris admixtione adhuc magis talia fiunt.Lenientes autem mitigantes'ue humores sunt,Galeno lib.13. Ther.meth. capite ultimo teste,potissimũ oui candidum,fœnogræci decoctũ, & ad hæc amplius ipsum lac.In quo sanè prouidum esse medicum

Curatio Ophthalmiæ à plenitudine.

Venæ sectio.

Ophthalmiæ à rodentibus, aut crassis humoribus curatio.

Purgatio

Reuulsio.

Adstringẽtia & reprimentia.

Liquores mitigantes.

dicũ oportet, ut iuuẽculæ simulq; boni succi fœminæ existat, uberibus ipsius in cotẽ, in qua collyriũ teritur expreßis, quo calidum adhuc oculis infundatur. Hoc uerò præcipuè in ijs qui uehementi dolore affliguntur, uel propter inflãmationis magnitudinẽ, uel ob influentium humorũ acrimoniam, faciẽdum. Fronti itaq; illinendi succi rosarũ, plantaginis, solani, foliorũ salicis, aut eorundẽ liquores stillaticij, cũ oui albo & aceto. His admiscere cõuenit bolum armeniã, thus, acatiam, santala rubea, balaustia, & similia, ex quibus adiecto oleo rosaceo, & farina hordeacea, cataplasma aut emplastrum cõponatur. Emplastica uerò & anodyna, hoc est, dolores sedantia, ut est cerussa lota, amylum, & cicuta, nõ sunt temerè adhibẽda. Hæc enim etsi maximè reprimere quod influit, & simul sensum torpescere possunt, tamẽ (ut testatur Galenus 6. Aph. cõmẽt. 31.) uehemẽtes fluxiones nõ reprimũt, sed potius excerni prohibẽt. Quare si humores cõfluẽtes acres fuerint, corneam erodi continget. Si uerò multi, magis irritari, & uehementer extendi. Præterea uehementer stupefacientia, nisi maxima doloris neceßitas urgeat, non sunt admouenda: quòd scilicet facultatem uisoriam offendãt, adeo ut desinente inflammatione, uel obscurè & debiliter, uel nihil omnino uideant. In principio itaque medicamenta quæ refrigerant, adstringunt & repellunt, admouenda. In incremento morbi, repellentibus nonnihil ex ijs quæ discutiũt, admiscenda. At in uigore, mitigatoria applicanda. In inclinatione, ea quæ discutiendi tantum facultate pollent. Vbi igitur concocta iam phlegmone ipsa fuerit, & simul corpus uacuum, tum utique lauationes ijs in balneo sunt aptißimæ. Nam ut Galenus loco paulo suprà citato scribit, & dolorem statim sedant, & fluxionem quæ ad oculos fertur sistunt, maxima quidem eius parte inter lauandum per totum

Emplastica & refrigerãtia uehementer non temere adhibenda.

Stupefaciẽtia non temere admouenda.

Balneum.

Fomẽtum discutiens. corpus excreta, reliquo autem contemperato. Fomentum insuper omnino adhibendum est ipsis oculis per spongiam si quidem mediocris sit dolor, semel aut bis in die. Si uerò uehementior fuerit, præstat ter aut quater, & sæpius uti, in longis præsertim æstiuis diebus. Fiat uerò fomẽtum per meliloti, & fœnogræci decoctũ. Est enim hoc medicamentum maximè omnium quæ oculis admouẽtur, sine offensa discutiens. Fœnogrecum. Lauãdum tamen prius curiosè fœnogræcum, ne quid illi uel pulueris, uel sabuli adhærens clàm lateat. Aloë etiam per se, uel succo aut liquore stillaticio fœniculi & rosarum diluta, mirabiliter confert. Collyriũ. Poteris itaque hoc uti collyrio, quod accipit: Liquoris stillaticij rosarũ fœniculi, & euphragiæ, singul. ℥. 1. aloës ʒ 1. pompholygis lotæ ʒ ß. Commisceantur singula, fiatq; collyrium liquidum.

De pterygio. Cap. XXXVI.

Pterygion quid. Πτερύγιον neruosa est adnatæ mẽbranæ eminentia, quæ ab angulo maiori quidẽ oritur, sed usq; ad coronã seu irim oculi progreditur. Quũ uerò augetur, pupillam etiam obtegit. Vnguis Vngula. Latini unguem appellant, barbari ungulam. Causæ. Oritur magna ex parte ob scabiem, aut continuũ humorum crassorũ & lentorum defluxũ. Notæ. Signis quibus malũ deprehẽditur nullis est opus, cum oculis ipsis sit manifestissimum. Victus. Victus ratio talis sit, quæ crassos & lentos humores extenuet: quæ qualis sit, ex supioribus facilè cognoscitur. Curatio magni & diuturni pterygij. Cæterũ quod ad curandi rationẽ attinet, animaduertendũ, quod magna & diuturna pterygia sola chirurgia amoliuntur: quam copiosè tradit Aëtius libro 7. capite 60. & Paulus libro 6. cap. 18. Recẽtioris & mediocris. Recentiora, & magnitudine mediocria, præsidijs dissipãtur abstergẽtibus, sic tamen, ut uniuersum corpus primum à crassis & lentis purgetur humoribus. Initio itaque

ea

ea quæ crassos & uiscidos humores extenuant, & incidunt
medicamẽta: deinde uerò quæ eosdẽ purgẽt & euacuẽt, sunt
propinanda: quorũ omniũ materiam & formulas è præce-
dentibus petent studiosi. Neq; enim necessariũ, neq; etiam Localia.
decorũ esse iudicio singula repetere. Corpore uniuerso pur- Fomentũ.
gato, pterygion primũ cum decocto maluæ, altheæ, chamæ-
meli, semine lini, & similiũ foueatur, deinde quæ extergunt
repurgant'ue medicamẽta admoueãtur: qualia inter simpli-
cia æs ustum, chalcantũ seu attramentum sutoriũ, squama
æris, chalcitis, mysi, & fel porcinũ. Pumex præterea torre-
factus nõ inutiliter uino leuigatus illinitur. Fel quoq; capri-
num cũ succo artemisiæ, & melle mixtũ inungendũ. Est &
hoc efficax medicamentũ, quod accipit: Attramẽti sutorij. ʒ
3. gummi ʒ 1. ß. leuigata uino illinãtur. & hoc, quod recipit:
Attramẽti sutorij, gummi, salis ammoniaci, singul. ʒ 2. Hæc
trita in aceto, in collyria digerãtur, ut cũ usus expostulat, Collyria.
adhibeãtur. Aliud laudatũ. Calcitidis ustæ, donec in prunã
cõuersa sit. ℥ ß. croci ℥. 1. Tertio & exicato, & utere, hoc
nimirũ puluere unguẽ affricãs. Præstantissima enim sine li-
quore detrita, siue instar pulueris inspersa & affricta col-
lyria. Mirificè etiã cõducũt testæ sepiæ cũ sale ammoniaco
tritæ, & applicatæ. Hæc collyria commemorasse sufficiat,
quod quisq; possit sibi tã è Græcis quã Arabib. autorib. cõ-
plura eius generis medicamẽta citra laborem comparare.

De phlyctænis. Cap. XXXVII.

Φλυκταίναι pustulæ sunt exiguæ, ueluti quædã bullæ Phlyctæ-
supra corneã potissimũ tunicã eminẽtes: quales ijs næ.
potissimum accidunt qui ex anthematis affligũtur. Sic dictæ Vesicæ.
ἀπὸ τοῦ φλύειν, hoc est, ab ebullitione & feruore. Barbari Color phlictænarum
uesicas nominant. Color phlyctænarum uariatur, prout in quare uariatur.

superficie, aut profundo corneæ fiunt. Nam cum cornea tunica ex quatuor ueluti membranulis tenuißimis cõstet, fit ut interdum sub prima phlyctæna oriatur membrana, unde etiã colore nigrior apparet. Interdum sub secũda aut tertia, quæ & cãdidior spectãtibus offertur, quoniã in profundo occultatur: natiuus enim phlyctænæ color niger est, cornea uerò tunica ueluti cornu pellucida est, & candicat. Quanto igitur phlyctæna profundior fuerit, tanto candidior apparebit magisq; dolorifica, & molesta. Notis ad mali cognitionem nihil opus est, quod aperto oculo satis appareãt phlyctænæ.

Causæ.

Notæ.

Curatio. Quod ad curandi rationẽ attinet, ægri parum loquãtur, euitentq; sternutationes, iram, spiritus detentionẽ, nimiũ splendorem: deinde cibo & potu utantur exiguo. Si plenitudo fuerit totius corporis, ætasq; & alia permiserint, uena humeraria superior secanda erit, potißimum si phlyctæna magna fuerit, & rubor accesserit. Aluũ quoq; clystere acri citabimus, ut humorum defluxus deorsum uertatur. Aluus etiã cũ iure galli, aut cnici cremore, aut aloẽ, aut alio quopiam simplicium aluum ducentium mouenda. Vehemẽtiora uerò medicamẽta purgantia, præsertim quæ stomacho aduersantur, euitanda. Ligamẽta quoq; & linteorũ lanæ'ue applicationes ab eisdẽ remouebimus: sunt enim hæc infestißima non eis tantum, sed omni quoq; lippitudini ab acribus humoribus ortæ.

Venæ sectio.

Clyster acris.

Localia. Locus igitur initio illinendus est, quãdo inflammatio obsederit, leuibus qdẽ rebus, sed aptè adhærẽtibus. Sumẽda enim linteola tenuißima & mollißima, super quibus extendes medicamenta, quæ instar fomenti aut cataplasmatis adhibebis, & toti oculo appones cõplectendo malam, supercilium, & tempora: ac tamdiu permittes, quãdiu humida fuerint. Vbi uerò aruerint, statim auferes, nouumq; rursus simili modo appones. Eligere autem oportet illa, quæ ad inflammationes

conue

conueniunt, hoc est, quæ reprimunt, roburq́; oculo adijciũt, atq; adeò ne malum latius serpat prohibeãt, ut sunt ouorum uitelli, cum croco, & opij portiũcula, sapaq́; & pane subacti, poma cotonea decocta & malicoria in aqua elixata. Obseruãdũ tamẽ unicè, quod antea quoq; monuimus, ne oculus arctè uinciatur: id enim aduersissimum est: imò sedata inflammatione cataplasmata & fomẽta, utpote quæ grauitate sua lædunt, remouebis. Quare alij malunt liquidis collyrijs uti, quale hoc est, quod accipit: Licij, croci, utriusq; ʒ ß. acatiæ ℈ 1. liquoris stillaticij rosarũ ℥ 1. Commixtis omnibus fiat collyrium, de quo guttatim in oculum instilletur. Si fomenta applicantur, obseruandũ erit ut principio tepida sint: calidiora enim inflãmationẽ exacuunt. Transacto initio balnea, cæteraq́; calefactoria conceduntur, quæ reliquum discutere ualẽt. Quare non inutiliter oculus decocto fœnogræci, seminis lini, meliloti, & similium fouetur, aut de eo guttatim in oculum instillatur. Toto curationis tempore à uino abstinendum, & decoctum cinnamomi potandum, cibiq; molles, & qui facilè concoquuntur, assumẽdi. Quod si phlyctæna ob multitudinem rumpatur, aut propter acrimoniã erodat, ut inde membrana ulceretur, peculiarẽ curandi rationẽ requiret, quam sequenti capite docebimus.

Collyrium

Fomentũ.

Victus.

De vlceribus oculorũ. Cap. XXXVIII.

VLcera nunc in adnata mẽbrana, nũc in cornea, interdum etiã in palpebris, & angulis oculorũ fiunt. Accidunt nonnunquam à causa externa, ictu nimirum, concussione, & ijs similibus. Magna uerò ex parte ab interna causa, puta acriũ humorũ erosione. Si à causa externa, quã primitiuam hodie nominãt, ulcus exoritur, facilè è sermonibus ægri cognoscitur. Si uerò ab acribus humoribus, è pruritu, dolore

Causæ.

Signa.

Quæ vlcera periculosiora. dolore, ac punctione, promptè sciri potest. Cæterum ulcera in adnata mẽbrana oborta, non ita sunt perniciosa periculosá ue, ut ea quæ corneæ innascuntur. At omniũ perniciosissimũ ulcus est, quod corneæ è pupillæ regione euenit. Siquidẽ hoc ulcus, pupillæ procidẽtia subsequi solet quàm ocyssime.

Curatio. Siue autẽ in adnata, siue in cornea, siue in palpebris, siue in angulis, siue in quacũq; oculi parte ulcus fieri contigerit, cõmuni consilio curabitur, quemadmodum reliqua totius corporis ulcera.

Venæ sectio. Corpore itaq; pleno existente, à uenæ humeralis eiusdem lateris sectione curationẽ auspicabimur.

Purgatio. Reuulsio. Si uerò ab humorum acrimonia ulcus fuerit exortũ, purgantib. medicamẽtis utemur, & clysterib. aluum eluemus, atq; humorũ defluxum ad inferiora auertemus. In quem usum, inferiorum etiã membrorum frictio plurimũ conferet.

Localia. Quod ad localia attinet medicamenta, ob partis affectæ naturã quàm leuissima adhibenda sunt. Si itaq; inflammatio adhuc circa oculum existat, aut quispiam etiã dolor, oculo per initia collyriũ album muliebri lacte detritum, immittendũ erit. Oculus etiam oui albumine irrigandus, & illinẽdus linimẽto, quod ex ouo simul cum uitello ac rosaceo, & uino tepefacto conficitur, excipiturq; lana & applicatur. Subsequẽtibus diebus fouebis rosarum aut meliloti decocto, instillabisq; lac mulieris cum ouo tepefactũ. Linimentis præterea uteris, quæ ad inflãmationes descripta sunt, præsertim quod ex capitibus papaueris, meliloto: & pane præparatur. Leuia tamẽ sint linimenta, & superior tantum palpebra illinatur, ut commodè aperiatur oculus ad defluendas lachrymas excernendas. At si ulcus sordidũ fuerit, mulsa mediocriter aquosa, & fœnograeci decocto utemur per se, aut adiecto quopiã mellis.

Fœnograeci succus, quem bar- Fœnogræcum autẽ prius diligentissimè purgari oportet, deinde plurimũ ablui, postea in aqua dulci purissima die ac no-

cte

cte malefactũ in fictili exactè decoq, uitariq; in decoctione uas æneũ. Postero die effusa priori aqua, & alia pura effusa, ad ignẽ splendidum fumo carentem decoquito. Ideo uerò primam & secundam aquam abijcimus, ut omnis inde amaritudo eximatur. tertio igitur purißima aqua adiecta, & exquisitißimè operta, hanc ad liquidioris mellis consistentiã decoquito, inde per linteum excolabis, fœnogræcũ nequaquam exprimens, sed eo tantum succo cõtentus, qui sponte defluet, quem ad sordes depellendas seruabis. Seruari autẽ in alterã diem, uel quàm longißimè in tertiam potest: ulterius enim moratus acescit. Vbi ulcus satis purgatũ fuerit à succo fœnogræci abstinebis, & ea quæ glutinandi ac incarnandi uim obtinent, admouebis. E quorum numero est hoc è thure collyrium, quod accipit: Ammoniaci, sarcocollæ, utriusq; ℥ 5. thuris ℥ 10. croci ʒ. 2. Omnia leuigata, ac fœnogræci succo excepta, in collyria digerãtur. Vlceribus iam incarnatis, & ad planiciem (quoad fieri potest) redactis, collyria quæ ad cicatricem ducunt, admouẽda erunt. quale est, quod accipit: Pompholygos elotæ ℥ 3. plumbi usti ℥ 2. croci ℥ 1. squamæ æris ℥ 2. gummi ℥ 3. omnia leuigata, & aqua pluuiali excepta, digerantur in collyria ad usum.

bari mucilaginẽ uocant, vt parandus.

Collyrium è thure.

Collyrium ad cicatricem ducẽs.

De cicatricibus & albuginibus oculorum Caput XXXIX.

Post curationẽ ulcerũ oculorum, dum continui eorum solutio restituitur, cicatrices illis innascuntur quæ alio nomine albugine uocantur. Hæ autem duplices sunt. quædã enim in summa oculi superficie consistunt, & hæ quidem Græcis νεφέλια & ἄχλαι, Latinis autẽ nubeculæ, & cicatrices, & albugines tenues dicuntur. Quæ uero radices alius agũt, has λευκώματα Græci, albugines crassas Latini uocãt.

Cicatrices oculorum siue albugines.

νεφέλια. λευκώματα.

Cæterum

Albugines vnde dictę

Cæterum hæ oculi cicatrices rectè albugines dicũtur, omnes enim cicatrices in nigro oculi candidæ uidẽtur: densata enim cornea tunica subiectus cæruleus color nõ amplius transparet, eminẽtes uero precipuè albescũt, planæ minus cãdicant, cauiores parti nigræ oculorũ quodãmodo aßimilãtur. In exterẽdis aũt cicatricibus unicè opus est cõgrua uictus ratiõe, ut cõtemperata materia, probusq; succus per totum corpus diffundi poßit. Ab omnib. igitur acribus, salsis, & craßi succi, ac uini copia abstinere oportet, maximè uero concoctioni studere. rebusq; boni succi mediocriter uesci. Locus autẽ malè affectus illinẽdus est ante cibũ, hesterna cœna exactißimè concocta, perceptaq; capitis & uniuersi corporis leuitate, aluoq; exonerata. Neq; statim inungẽdus est qui modò à lecto surrexit, neque ante cœnam. In curandi ratione in primis sunt euitanda medicamenta quæ cicatricem excoriant. Nam ex illorum acrimonia defluxus concitantur, & inflãmationes, atque interdũ dissolutus cicatricibus profundantur ulcera. Eligenda igitur sunt medicamenta expurgantia & extergentia, mixta cum ijs, Aëtio teste, quæ moderatè adstringunt. Inter ea autem medicamenta quæ recentes cicatrices abstergunt, laudatur equinum lac cum modico melle aßiduè illitum. Anagallidis item cæruleum florem ferentis succus, cum melle oculo instillatus. Mentæ etiam succus mirum in modum confert. Minoris centaurij succus cum melle, Vetustiores æs solum, aqua tritum modo collyrij, extenuat. Iisdem butyrum priuatim illitum extremè conduxit. Rumicis quoque domestici, & plantaginis semen in fictili crematum, tritumq; exactißimè. Item sepiæ testa cõbusta, & cũ melle in pollinẽ redacta. Valet & hoc ad albugines exterẽdas, quod accipit: Chelidonij sicci, & succi eiusdẽ exiccati, utriusq; 3.3. seminis ameos, sacchari, utriusq; 3.2.

Victus.

Curatio.

Collyrium aridum.

ʒ.2. Terantur omnia, fiatq; puluis subtilissimus, oculisq; inspergatur. Præstat tamẽ iis adiicere aliquid adstringentiũ, ut est sarcocolla, aut thus. Cornu autẽ cerui & caprarũ, cõbusta, sine omni erosione abstergũt. Aloë uero mixtæ cuiusdam facultatis est, sicut & rosa: inest enim illis quedã amaritudo qua extergũt, inest & adstrictio, qua unire possunt, & ad cicatricẽ perducere. Adiiciamus iã dictis collyriũ adhuc unũ aridũ, quod recipit: Ossium sepiæ, sarcocollæ, aristolochiæ rotundæ, myrrhæ, spumæ nitri, sacchari, singulorũ ʒ.2. Tritis omnibus fiat puluis. Hæc commemorasse sufficiat, quia plura alia apud diuersos autores conscripta reperiuntur. Aliud.

De sugillatis. Cap. XL.

Yπόσφαγμα & ὑπόπυον dicitur, quando propter ictum aliquẽ fractis aut contusis uasis, intra tunicas oculorũ sanguis colligitur, & in extima parte ueluti sanguinis pũcta apparẽt. Latini sugillationẽ & sugillata uocãt. Recentioribus medicis macula oculi appellatur. Causæ ex iam præmissa descriptione satis patent. Signa etiam nulla requiruntur, quod malum uisui statim se manifestet. Porrò cùm sanguinis effusio è uenis facta est, accidit ut progressu temporis liuescat & denigretur, exiguis nimirũ grumulis ex sanguine in multas oculi partes disperso coactis. Quare meritò ad eius curationem statim festinãt medici, priusquã denigrescãt, eò sanè curationis consilium dirigentes: ut sangninem dissipẽt: nõ ignari, quod sanguis qui in grumos coïerit, ægerrimè possit discuti. Quia uero tunica uenularũ, ex quib. sanguis exilit, cõtũditur ac rũpitur, parũ q̃d ex adstringẽtibus ad discutientia admiscetur. Si enim solã discussoriã facultatem haberet medicamentum in principio admotum, non solum quod effusum est discuteret, sed & per fissuras aliquid

ὑπόσφαγμα. ὑπόπυ[ον]. Sugillata. Macula oculi. Causæ Signa. Curatio.

aliquid sanguinis qui in contusis uenis continetur, extraheret. Postquam uero in naturalē statum redierint uenulæ, citra adstrictionem ad discutientia medicamenta uenire tempestiuū est. Quare uenæ sectione, si opus fuerit, aut purgatione, si ita uisum fuerit, præmissa, statim sanguis palūbi uel columbæ, ex teneris præcipuè alis expressus, aut lac muliebre, cui thuris paululū sit adiectū, instillandū. In eum quoq; usum albumen oui tepefactum oculo infundēdum. Atq; amplius lana munda exceptum, & superimpositum. Rectè autē ualet & luteum oui tosti, cum uino illitum: aut melilotū coctum ex uino eodē modo impositū. Insuper rosarum folia & flores seorsim, & cum uino trita, tenuiq; polenta, aut brassicæ folia illita prosunt. Recens etiā caseus, & qui salem nuper accepit, eò quod mixtam facultatem, emplasticā & obturantem per se, & discutientem & aliqualiter adstringentem ex sale habeat, initio illitus confert. Huius generis sunt, crocus, melilotum, & rosa. Hæc autē antequàm admoueantur, oculus decocto meliloti & fœnogræci fouēdus erit. Conducit autē bis in die medicamētum applicare, ac simul prius decocto iam dicto calido per spongiam mollem fouere. Vbi uerò iam sine inflammatione oculus fuerit, & sugillata uetustatem contraxerint, ex solo fœnogræci decocto oculi fouēdi erunt, & discussoria citra ea quæ adstringendi facultatē obtinent medicamenta, sunt admouenda. Inueteratis uerò sugillatis, & q̄n nigrescunt, cōuenit raphanus applicatus. Discutiens etiā medicamētum est myrrha, hyssopum, fœnogræcum, chamæmelum, folia lilij, & alia quæ in libro primo De compos. medic. recensuimus. Ex ijs studiosi parabunt medicamenta idonea, quorum etiam copiam apud Galenum lib. 5. De compos. medic. secundum locos inuenient.

Localia.

De

De pure sub cornea. Cap. XLI.

Πύωσις & ὑπόπιον malum Græcis fit, quando pus sub cornea nunc altius, nunc in summa superficie colligitur humani unguis specie. Hinc est quod idem malum Græcis etiam ὄνυξ nominetur. Aliqui interpretes ungulam, barbari saniem intra corneam uocant. Fit interdum ab ulcere, interdum etiam sine ulcere si capitis dolor, aut lippitudo, seu inflammatio præcesserit, ob cuius ingentem inflammationem disruptis uasis sanguis effusus suppuretur. Signa partim nunc dicta sunt, quibus accedit pulsatorius dolor, ac circa uniuersum oculum rubor, & temporum dolor. Initio curationis, si inflammatio affuerit, aluus clysteri abluatur, & inaniatur. Dein, ubi nihil obstiterit, sanguis à superiori cubiti uena, quam humeralem uocant, mittatur, & cucurbitulæ occipitio, aut sanguisugæ temporibus affigantur. Quibus peractis, medicamentis ad inflammationem idoneis, & antea commemoratis, utendum. Inflammatione sopita: aut nulla penitus existente, locum spongijs, primo moderatè, deinde adiectis quibusdam, decocto nimirum fœnogræci & similium, paulatim progrediendo, magis ac magis fouebimus. Ad curationem autem huius mali mediocriter discutientia medicamenta, ut est aqua mulsa, fœnogræci succus, & huiusmodi, utilia sunt. Quæ enim uehementius discutiunt & exiccant, statim quidem ea quæ tenuia sunt, euacuant: reliquum uerò craßius redditum, cogunt atque exiccant, ut uix extirpari queat. In summa, si malum citra ulcerationem consistit, ualent medicamenta, quæ suprà in capite De pterygio dicta sunt. Si uerò cum ulceratione, tunc ea quæ mediocriter discutiunt, quorum multa in superioribus recensuimus, magis conueniunt.

[Margin: πύωσις ὑπόπιος; Sanies intra corneã; Causæ.; Notæ.; Curatio.; Discutientia.]

De suffusione. Cap. XLII.

ὑπόχυμα Suffusio. Cataracta.

Ὑπόχυμα καὶ ὑπόχυσις Græcis, suffusio Latinis, cataracta barbaris dicitur, estq; humoris lenti & glaciei modo cõcreti, inter corneam & crystallinum humorẽ affusio, quo uisus eatenus saltem impeditur, ut nõ poßit discretas rerum species & colores oculus apprehendere. Eius mali causa est, ut ex iam dictis constat, humor crassus iuxta pupillam inter corneam & crystalloïdẽ collectus. Fit etiam Pau. lib. 6. cap. 21. autore, ob frigiditatẽ & imbecillitatẽ spiritus uisorij: atq; idcirco senibus, & ijs qui longis morbis laborarunt, magis euenit: ob uiolentũ deniq; uomitum, & ictum.

Causæ.

Notæ.

Inchoante malo tanquam pusilli culices, uel alia lucentia, caliginosáq; corpuscula aßiduè præ oculis obuersari uidentur. Quibusdam ueluti lanarum filamenta, & telæ aranearum quibusdam circa lucernas circuli offerũtur. Aucto malo, symptomata quoq; augẽtur. Hæc autem nonnunquã propriæ noxæ oculi, nonnunquam uentriculi paßioni feruntur accepta. Quare inter hæc duo discrimen habendum est. Si enim uisa ob humorum in uentriculo contentorum uitium oborta fuerint, utrique oculo similiter accidunt. Quæ uerò per propriam paßionem apparent, neque incipiunt simul in utroque, neque similiter apparent. Deinde ex tempore quoque ipso distinguuntur. Si enim tribus quatuor'ue, aut etiam pluribus mensibus suffusionis symptomata apparuerint, contemplantiq; tibi pupillã, nihil tenebrosum uideatur ab ore uentriculi paßionem procedere inuenies. Si uero non ita multum temporis interceßit, quærendum est imprimis, utrum ex quo incepit malũ, singulis diebus perpetuò huiusmodi apparitio perseuerauerit, nullo scilicet interueniente die, qui omni querela caruerit, an diebus quibusdam laborãs

exactè

exactè uideatur conualuisse. Nam assiduitas suffusionem portendit. Intermissio uerò, quod uitium à uentriculo prodierit, suspicionem excitat. idq; magis, si ubi quis perfectè concoquens, nullum sibi uisum apparere fatetur. Sed multo magis, si quum apparuerunt uisa, mordicus in ore uentriculi doluit: maximè uerò, si post hæc uomendo, eiecta re mordente, mitigata fuerint symptomata. Vbi uero altera pupilla tenebrosior, aut turbidior, aut nō exactè pura uidetur, suffusionis esse initiū censendū est. Victus ratio in hoc malo sit attenuatoria, & exiccatoria. Á uino abstineat in tota medicatione æger, & pro eo decoctū cinnamomi, aut aquā mulsam bibat. Euitet omnia caput replētia. Á balneis sibi caueat, nisi uel lassitudinis, uel cruditatis caussa sint necessaria: atq; ne tū quidem in aëre balnei diutius immorari, neque in solio persistere, sed sensim quidē ingredi, cōfestim uero egredi oportet. Fugiat pisces, fructus, & quicquid corpus humectare potest. Curādi ratio, nisi qd obstet, à sanguinis missione inchoāda. Vena autē cubiti secanda exterior, seu humeralis. Acribus etiā clysteribus, & purgationibus utendū, quorū formulas è superioribus petent studiosi. Neq; negligenda sunt medicamenta extenuantia, tam simplicia quàm composita, qualia multa recēsuimus in superioribus capitibus. Inter cætera uerò hoc potissimū confert, quod accipit: Oxymelitis scylliticij ℥ 1. mellis rosacei ℥ ß. liquoris stillaticij fœniculi, betonicæ, maioranæ, singul. ℥ 1. Cōmixtis omnibus fiat potio. Inter ea quæ purgant, non postremum esse hoc in malo uidetur illud, quod recipit: Catapotiorum cochiorum, lucis, sine quibus esse nolo, singul. ℈ 1. agarici in formam pastilli redacti ℈ ß. cum stillaticio liquore fœniculi fiant pilulæ. Post uniuersi corporis purgationem cucurbitulæ cum scarificatione occipitio sunt affigendæ, utendūq; per interualla apo

Victus. | Curatio | Venæ sectio. | Acres clysteres. | Purgationes. | Mecicamentum extenuans. | Catapotia

phlegmatiſmis, & ijs quæ per nares purgant, quorum formulas in præcedentibus capitibus & in libro ſecundo de compoſ. med. poſuimus. Cauterium quoq;, quale eſt quod capite 19. deſcripſimus, occipitio, aut poſt aures apponendum erit.

Cauteriū. Oculis autem medicamenta tum ſimplicia, tum compoſita, quibus diſcutiēdi uis ineſt adhibenda: ut eſt mel, fœniculi ſuccus &, liquor ſtillaticius. Inter compoſita uerò hoc potiſsimum conducit, quod accipit: Liquoris ſtillaticij fœniculi ℥ 2. liquoris ſtillaticij chelidonij maioris, euphraſiæ, utriuſq; ℥ 1. ß. ſagapeni ʒ 1. pompholygos ʒ 2. miſce, fiatq; collyrium.

Collyrium. Præterea omnia fellis genera per ſe, aut cum fœniculi ſucco illita proſunt. Myrrhæ quoq; & piperis partes æquales cū melle. Atq; ea quæ nunc commemorauimus præſidia, ſuffuſionem recentem, & quæ nondum radices egit, curare poſſunt. Vbi uerò uetuſta & perfecta fuerit, ſola chirurgia ſanabitur, quam Paulus loco antea citato abundè docet.

De dilatatione & diminutione pupillæ. Cap. XLIII.

μυδρίασις. MYδρίασις Græcis, dilatatio aut effuſio pupillæ Latinis, eſt, quando pupilla colore quidem nihil euariat, ſed multo quàm cōſueuit latior fit, ut interdum iridis circulo appropinquet, qua interdū omnino uiſus impeditur, interdum permultum, ut uideat quidē æger, ſed obſcurè. Contrarium huic malū, in quo pupilla anguſtior, obſcurior, rugoſiorq; fit, Græcis φθίσις, Latinis tabes & diminutio pupillæ

φθίσις. uocatur. Recentiores cōſtrictionē pupillæ nominant. Dilatatio accidit ob humorē excrementiciū, qui cōfertim uel ſenſim affluens uueam extendit. Diminutio uerò, propter denſationē à ſiccitate ortam. Hinc eſt, quod magna ex parte periculoſas imbecillitates ab inanitione factas, & uehementiſsimos

Cauſæ.

tißimos capitis dolores comitetur. Signis ad mali dignotio-nem nullis est opus, quod uisui expositum sit. Præterea qui dilatatione pupillæ laborant, ijs omnia quæ uident, propter uisilis spiritus dispersionẽ, minora apparẽt. Cõtrà qui diminutione eiusdem afficiuntur, ijs propterea quod cogatur ac densetur spiritus, uisilia ueris maiora esse uidẽtur. Victus ratio in dilatatione sit extenuatoria, aluoq; emolliendæ idonea. A`uino usque ad exactam sanitatem prorsus abstinendum. Deambulationes lenes ac longæ in obscuro factæ cõducunt. Ad balneum crebrò accedendum non est: atq; ubi accesserit æger, capitis lotioni parcendũ. In diminutione utendũ uictus ratione humectante, nimirũ sorbitionibus boni succi, uinoq; flauo & odorato. Cibũ somnus mox sequatur. Balnea quoq; prosunt, & capitis cum calida aqua irrigatio. Qui dilatatione pupillæ infestantur, ijs primùm sanguis à uena cubiti exteriore mittendus, aut purgantia medicamenta propinanda. Quæ si fieri nequeunt, uenas in angulis oculorum diuidere oportet: deinde cucurbitulã occipitio admouere. Omni præterea studio annitendũ, ut materia ad inferiora trahatur. Marina quoque aqua frontem & oculos perfundere conuenit: hyeme quidem tepida, æstate autem frigida. Imò & facies tota in eadem aqua mergenda est, ibiq; apertis oculis aliquo tempore detinenda. Quod si desit marina, dulci aquæ quidpiam salis adijcito, aut poscam aquosam sumito. Cæterum medicamẽtis utendum subadstringentibus, sicut rosa, croco, thuris cortice, pompholyge, acacia, & ijs similib. Vehemẽtiora enim & acriora humorum copiam attrahunt, atque adeò membranas distendunt, latioremq; pupillam efficiunt. Vehementer autem adstringentia, & nimium refrigerantia membranas indurãt: emplastica uero easdem craßiores reddunt. Pupillã autem plus æquo cogere & coarctare omnino

Notæ.

Victus.

Curatio dilatationis.

inutile est: nam ita tandem diminutionem incurreret. Ex medicamentis itaq; moderatè adstringentibus & exiccantibus collyria huic malo idonea parabuntur. Tale autem est, quod

Collyriũ. *recipit: Croci, aloës, myrrhæ, singul. ʒ 2. pompholygis lotæ, licij, utriusq; ʒ 1. uini optimi ℥ 2. mellis ℥ 3. Crocus primũ ex uino modico teritur, deinde aloë, myrrha, & alia. Vbi crassitudinem acceperint, mel additur. Vnita in uitreo uase reponuntur ad usum.*

Curatio diminutionis *Diminutioni contrariam adhibere oportet curationem, superiora membra exercendo, humeros scilicet & brachia, cum spiritus detentione, caputq; & faciem diligenter fricando, extremisq; digitis oculos contrectando, ac calida faciem fouendo, deinde caput unguento aliquo eorum*

Collyriũ. *quæ moderatè calefaciant, sicut irino unguendo. Tum palpebris paululum diductis illinendũ erit oculo acre & rarefaciens medicamẽtum, quod humores possit attrahere, quale hoc est, quod accipit: Ammoniaci ʒ 1. licij ʒ 3. croci ʒ 2. æruginis ʒ 1. Tritis in aqua, & subactis utitor.*

De visus obscuritate. Cap. XLIIII.

ἀμαύρωσις. Obscuritas. *Ἀμαύρωσις Græcis, obscuritas uisus Latinis dicitur. Est autẽ omnimoda, uel maxima ex parte uidendi interceptio, sine manifesto pathemate circa oculum apparente: pura enim undiq; pupilla cõspicitur. Hæc interdum paulatim irrepit, interdũ etiã repentè ingruit, ut perquã modicum, uel nihil omnino cernatur.*

Causę obscuritatis sensim irrepentis. *Obscuritatis itaque sensim irrepẽtis causæ plurimæ sunt. uel enim spiritus crassescit, uel tunicæ densantur, uel humores oculorũ nõ crassescunt tantũ, sed etiã lentiores fiunt. Longus præterea ac diuturnus morbus, & ingens mœror, ob humorũ dissipationẽ, quam ueluti oculi corrugatio sequitur, uisus obscuritatẽ efficiũt.*

Repentinę obscuritatis causæ. *Repentinæ uerò nerui uisorij, propter crassos lentosq; humores confer*

confertim in ipsum incidentes, obstructio, uel eiusdem resolutio causa est. Præcedũt hoc malum aßiduæ cruditates, uini meri potio, moraq́; sub sole, capitis calefactio aut refrigeratio, post cibum continuæ lectiones, uel balnea, uomitus, cõcubitus importunus & immoderatus, uiolenta spiritus detentio: quod tubicinis frequentißimè accidit. Hæc atq; ijs similia si fuerint moderata ἀμβλυωπίαν, hoc est, hebetudinem efficiunt: immoderata uerò, obscuritatẽ. Porrò accidit nonnunquã obscuriaas ob uehementẽ capitis percußionem, aut casum à sublimi loco, neruo uisorio resoluto aut contuso: uel quæ omnium benignißima est, ob ingentem cõcußionem delapsa humorum multitudine, & neruum uisorium obstruente. Neruo resoluto aut tardè, aut nihil mouetur oculus. Si uero propter uiolentum capitis ictum, uel casum à cerebri cõnexione abscindatur, primùm quidẽ oculus redditur prominentior, postea etiã excauatur, & nõ aliter. At ubi propter crassorum lentorumq́; humorũ multitudinẽ, absq; alia causa nerui cauitas obstruatur, grauitas capitis præcipuè in radicibus oculorum cõsequitur. Si igitur repentè inuaserit aliquem uisus obscuritas, & æger plenitudine laborauerit, cubiti uenam exteriorem, aut mediam secare oportet: tũc enim expeditißimum præsidium sanguinis mißio est. Aliquod deinde diebus interiectis, iubet Aëtius, fasciam collo nectentes cõstringere uenas, ijsdem tumefactis iterum soluere, & idem tertio repetere ad spiritus agitandos, & humorum obstructiones uiolenter cõcutiendas. Postea à tumefactis angulorũ naso adiacentium uenis utrinq; sanguinẽ copiosè mittendum esse præcipit: aitq́; se quãdoq; tres heminas ab ijs ipsis uenis eduxisse. Quibus omnibus peractis, cucurbitulã cum scarificatione occipitio affigere oportet. Cõtingit enim plerũq;, ut cucurbitula adhuc inhærente, homo repentè respiciat.

ἀμβλυωπία. | Notæ. | Curatio repentinæ obscuritatis uisus. | Venæ sectio. | Cucurbitula.

Hirudines. Hirudines etiam in hunc usum admouere temporibus conuenit. Neq; iam dictis præsidijs tantum contenti erimus, sed totum corpus quoq; purgabimus medicamẽtis, quæ crassos & lentos humores educere poßunt. Postea apophlegmatismis, sternutamentis, & id genus alijs medicamẽtis caput expurgandũ, qualia multa suprà, ubi de capitis egimus dolore, produximus. Sinapismi etiã usus in capite nõ erit alienus, & adurentia medicamenta, καυτήρια Græcis dicũtur, occipitio admota. Collyria deniq; è succis aut stillatitijs liquoribus fœniculi, rutæ, chelidonij, melle, pipere longo, aloë, põpholyge, myrrha, ammoniaco sale, & similibus parata, cõducũt.

Purgatio totius corporis.

Capitis purgatio.

Obscuritatis visus, quę sensim accidit curatio. Si uero uisus obscuritas sensim accidit, itidẽ sanguinẽ ab angularibus uenis mittemus. Et si æger pauci fuerit sanguinis, id protinus ab initio facere oportet. Sin multi, ex humerali primùm sanguis auferendus. Deinde cucurbitula cũ scarificatione occipitio affigenda. Purgare etiã corpus conuenit. Perseuerante quoq; morbo caput per errhina, & alia paulo antè cõmemorata purgabimus. Illitio autẽ oculorum primo quidẽ simplicioribus iam recensitis fiat, postea ad cõposita transeundum, quale est quod accipit: Liquoris stillaticij betonicæ, rutæ, uerbenacæ, chelidonij, euphrasiæ, fœniculi & rosarũ, singul. ℥ i. piperis longi ʒ i. aloës ℈ ii. myrrhæ ℈ i. pompholygis ʒ ß. Arida terantur minutißimè, & formetur collyrium. In uictus ratione in utroq; sanè malo concoctionis curam unicè habere oportet. Enitendum etiam, ut alimentis præcipuè aluũ emolliamus. Exercitio inferiorum partium, ut humores deorsum trahantur, utendũ: pluribusq; deambulationibus in obscuro loco. A` uino abstinendum, & aquæ potio uiriliter toleranda. Omne craßioris succi alimẽtum, aßiduumq; cõcubitum, & capitis insolationẽ, balneaq; & meridianos somnos uitare cõuenit, neq; à cibo nimis agitari,

Venæ sectio.

Cucurbitula.

Purgatio.

Collyrium

Victus.

tari, neq; legere, aut scribere. Animi perturbationes, ira, & curæ ingentes, timores, & eiusmodi fugiendæ, præsertim à cibo. Vitandæ etiam aßiduæ uomitiones. Confert autem quotidie frigida, præsertim pluuiali aqua faciem abluere.

De nyctalopis. Cap. XLV.

Νυκτάλωπες Græcis, nuscitiosi Latinis, sunt qui interdiu quidem uident, sole uerò occidente obscurius, sed noctu omnino nihil. Plinius & alij Latini malum ipsum nocturnam cæcitudinem uocant. Accidit ob capitis imbecillitatẽ, præsertim propter uisorij spiritus, reliquorumq; humorum, ac tunicarum oculi craßitudinem. Malum ex ægrotantis querimonia innotescit. Victus ratio in uniuersum sit extenuatoria. Curatio, si æger boni habitus fuerit, à sanguinis mißione auspicãda. Incidẽdæ uerò in cubito humeralis, et in angulis oculorum uenæ. Si uitioso succo abundauerit, idoneo medicamento purgetur, aut per clysterem aluus inaniatur. Post totius corporis uacuationem apophlegmatismos adhibebis, ac per nares materiã attrahes, sternutationesq; cõcitabis. Præter autẽ alia medicamenta, quæ suprà cõmemorauimus, unicè hoc confert, quod habet: piperis, staphysagriæ, utriusq; ℈ 2. sinapi ℈ 4. Terito & cribrato, deinde cum succo radicum betæ ad mellis liquidi consistentiam excipito. Hæc ubi simul subegeris, naribus admoueto, iubeq; ut per nares attrahantur, idq; diebus quinque aut septem efficies. Insuper ante cibum hyssopus, origanum, ruta'ue potui detur. Si ijs præsidijs morbus nõ propulsabitur, iterum purgationem moliemur. Commendat autem unicè Aëtius hoc quod habet: Scammonij ʒ ß. castorij ℈ 1. salis ʒ ß. idq; in robustioribus. In imbecillioribus uerò scammoniæ ℈ 1. sufficit. Hæc purgatio, ut idem testatur, sæpè repentinam sani-

Νυκτάλωπες. Nuscitiosi. Nocturna cæcitudo. Causa. Signa. Victus. Curatio. Venæ sectio. Purgatio. Errhinon. Purgatio iterata.

tatem restituit, aut morbum magna ex parte leuauit. Post dies paucos iterum exhibendum medicamentum, quod pituitam simul & bilem euacuet. Oculis autem mel despumatum illinendum, & ad iniectum humorem retinendum oculi claudendi. Alumen etiam cum melle tritum illines. Vel cyclamini recentis, uel ceparum succum cum melle, aut lacte mulieris. Acrium tamen medicamentorum aßiduus usus remouendus est: sicut antiquißimum oleum nunquam omittendum. Traditur à multis conferre sic laborantibus iecur hircinum assum, & cum sale absq; oleo feruens comestum. Quidam & sanie seu aquoso humore à iecore dum torresit effluente, illinendos iubent. Alij idem iecur elixantes, apertis oculis uaporem hinc eleuatum excipiunt. Elaterium quoq; è melle per interualla illitum prodest. Præterea fel perdicis, aut hirci inunctum iuuat.

Acria medicamenta assidua esse non debent.

De expreßione oculi. Cap. XLVI.

ἐκπιεσμός. Exitus oculi.

EKπιεσμός, hoc est expreßio oculi, est malum, in quo sic exprimuntur oculi, ut exerti perseuerent. Recētiores exitum oculi appellant. Accidit ijs præsertim, qui in athleticis certaminibus suffocātur, aut qui aliam ob causam strangulātur. Mulieribus etiā nimio pariēdi dolore afflictis. Ob plurimum etiā defluxum confertim à capite irruentem. Vbi à strangulatu, aut doloribus partus euenit malum, è sermonibus ægri cognoscitur. Si uerò propter humorum copiā, capitis aderit grauitas, & pupilla auctior erit. Porrò si ob strangulatum oculus exprimatur, cubiti uenam incidere oportet. Sin ob humores multos acciderit oculi expreßio, purgante medicamento utendum erit. Quod si ob pariendi laborem exprimi oculos cōtigerit, uteri purgationes superuenientes, frequenter malum sanant: ijs igitur opitulari conue

Causæ.

Signa.

Curatio. Venæ sectio. Purgatio.

conuenit. In uiris autem, si post sanguinis mißionẽ, aut purgationem malum non remiserit, cucurbitulam occipitio defigere commodum est. Oculo uerò lana melle illita cum modico croci apponenda est, linteolumq; duplicatum suprà suauiter illigandum. Confert ijs aqua marina frigida fronti superfusa. Item quæcunq; alia, quæ reprimere & contrahere possunt, ut est polygonon, balaustiũ, rhu obsoniorum, sidia, galba, & ijs similia, quæ in libro primo De compositione medicamentorum, cap. 7. commemorauimus. Cucurbitula. Localia.

De ægilope, Cap. XLVII.

Αἰγίλωψ, Galeno lib. 5. De compos. medic. secundum locos teste, est exiguum quoddam abscessui simile tuberculum inter nasi os, & magnum oculi angulum ortum, quod ruptum si negligatur, in fistulam abit, usq; ad os ipsum progredientẽ. Fit à uitiosis humoribus, in eam corporis partem delatis. Malum ex descriptione satis notum, ideoq; pluribus indicijs nõ eget. Vitiũ hoc propter corporum tenuitatem, & subiacentis oßis putredinẽ curatu difficile est. Non solum autem ob id ægrè curabilis est paßio, sed & propterea quod quum multa liquida medicamenta in experimentum adsumi poßint, ea tamẽ nõ tolerat pars ipsa: necessariò enim ex eis in oculũ quid influit. Neq; ullo modo adhærere eiusmodi possunt, nisi deligatura totum oculum cõplectatur, quam impoßibile est tot diebus aliquẽ perferre posse, quot ad mali curationem requiruntur. Inchoante itaq; inflammatione, si corpus plenum fuerit, uenæ humeralis è directo partis affectæ sectione utendum. Deinde repellere enitemur ijs medicamentis, quæ ad hoc institutum sunt idonea, quorum multa in præcedentibus commemorauimus. Si uerò inflammatio perseuerauerit, discutientibus medicamentis, minimè tamẽ acribus

αἰγίλωψ. Causa. Notæ. Curatio. Venæ sectio. Repellentia. Discutientia.

bus & mordacibus, succurrendum erit. Ab acrioribus enim medicamentis oculus simul infestatur & afficitur, inq; ipsa parte malè habente inflammatio augescit. In hũc itaq; usum probè faciunt glaucium & crocus unà cum perdicij (parietariã hodie uocant) succo leuigata & imposita. Crebrò autẽ permutare hoc remedium oportet: etenim statim immutatũ uim suã amittit. Scribit Alexãder Trallianus, se huius medicamenti subsidio usum adhuc inchoante ægilope, & nondũ in suppurationem conuersa, non solum puris generationem impediuisse, sed integræ sanitati restituisse. Præterea alica in aceto cocta, & probè trita, non solum incipientes, sed etiam in pus mutatos persanat, rumpitq; & ad os usq; descendit. Ruta satiua unà cũ lixiuio, quod primo distillauerit, cõtrita coctaq;, & imposita, egregiè huic malo medetur. Mordax quidem inter initia, postea ocyßimè mitescit, & ad os usq; permeat. Atq; illud mirandum, quod uel nullã planè, uel non turpem aut euidentẽ cicatricẽ post se relinquat. Porro cochleas cum testis suis tritas imponito: interdũ aloë, uel myrrha admista. præsidiũ enim hoc antequã in pus uertatur, & postquã ruptus etiam fuerit, ægylopem desiccat. Hæc si non contulerint, ad manus opera cõfugiendum. Chirurgicã itaq; curandi rationẽ ab Aëtio & Paulo petes. Hoc in loco malorum quæ in oculis accidũt curationi finẽ imponemus: reliqua enim ferè omnia eorundẽ uitia chirurgiam exigunt, quã attingere in his de medendi ratione libris non est consilium. Eam itaq; ab autoribus iam citatis petent studiosi.

Chirurgia.

De aurium dolore. Cap. XLVIII.

Causæ. Refrigeratio. Balnea frigida.

AVrium dolor aliquis ex refrigeratione, in peregrinatione à uentis frigidis excitata: accidit. Aliqui etiam ex frigidis balneis, & ex medicatis aquis, in quibus nõnulli frequen

quenter uoluptatibus indulgentes lauant oriuntur. Nonnulli ex intemperiæ calida. Fit & auris dolor ex inflammatione, interim quidē s[...]lius circa meatum auditorium cutis, interim etiam in profundo, quādo uidelicet auditorius neruus ad inflammationis affectum peruenerit. Qua autē ratione inflammatio, particulas inflāmatas distendēs dolorē parit, eodem modo etiā flatulentus spiritus aut humor crassus & lentus transitū non habēs, dolorē efficit. Saniosi deniq; ac serosi humores in corpore aurium generati, cōsimiliter ut mordaces humores qui extrinsecus illabuntur, dolorē cōciliant. Auriū dolor qui frigiditati fertur acceptus, de ægri sermonibus facilè cognoscitur: & inde, quòd dolor altè, citra grauitatem, uel distentionē, uel ardorem fixus sit. Qui ex calida intēperie ortus est, ex eo quod in illo feruoris cuiusdam sine grauitate seu tensione sensus est, deprehēditur. Sin grauitas, distentio, simulq; calor & dolor pulsatilis, aut etiā febricula oboritur, inflāmatione autē laborare censeto. Sola citra grauitatē distentio spiritū flatulentū, cui exitus nō patescit, indicat. Si uerò capitis ipsiusq; auditus grauitas affuerit, præcessitq; uictus ratio similis, craßi glutinosiq; humores dolorē faciūt. Victus ratio iuxta causæ diuersitatem, facilè ex ijs quæ in superioribus dicta sunt, constitui potest. Quare nō est cur hāc speciatim hoc in loco prosequamur. Cæterum curandi ratio pro causarū uarietate mutatur. Si enim dolor à sola refrigeratione oboritur, calefacientibus præsidijs quàm celerrimè curabitur, nempe oleo rutaceo, laurino, nardino, cicino, anethino, liliaceo, de euphorbio, & spicato. Quod si rutā quoq; oleo communi incoquas, uel piper, uel castoreum, magnum adferes præsidium. Oleum etiam in quo allium decoctum sit, uel cepa, instillatum mirificè confert. Sunt qui prægrandes cepas exculpentes, deinde oleo replentes, & inferuente cinere

Intemperies calida.
Inflammatio.
Flatus, vel humor crassus.
Saniosi ac serosi humores.
Notæ frigidi doloris.
Feruidi.
Inflammationis.
Flatus.
Humoris crassis.
Victus
Curatio.
Doloris frigidi.

cinere moderatè calefacientes, auribus infundant. Galenus lib. 3. De cōpos. medic. secundum locos, euphorbij perquàm exiguam portiunculã plurimo oleo ueteri commixtam mirificè cōmendat, quod nimirum hoc medicamentum ex frigore cōtractos aurium dolores strenuè adiuuet. Manifestũ uerò omnibus esse arbitramur, quod quicquid adhibetur, mediocriter calidũ esse oportet. Porrò ubi aqua medicata circa auditorium meatũ continetur, oleum quod sit tenuiũ partiũ assiduè infundere oportet, quo ipsum eluamus: deinde lana molli extergere, rursusq; infundere. Mitigat ipsos admodũ oui candidũ: item lac muliebre. Plurimùm etiã prodest adeps anserinus, atque item uulpinus. Verùm ad aquam copiosam euocandã nihil præstãtius, quàm oris exuctio, quæ etiam per calamũ canalem'ue exugi & extrahi potest. Si quis etiã alteri pedi innixus, eiusdẽ lateris cum aure affecta capite parũper decliui saliat, aquã facilè excutiet. Quum à calida intemperie dolor obortus fuerit, tum cōtrarijs medicamẽtis propulsandus erit. Mirificè itaq; cōfert oleum rosaceum in aurẽ instillatum, uel acetum rosaceum, uel album oui, aut lac muliebre, aut solani succus, aut tale quod accipit: Olei rosacci ℥ 1. succi solani ʒ 2. aceti rosacei ʒ 1. ß. Misce. Si uerò à crassis uiscosisq; humoribus, aut flatibus dolor excitatus fuerit, medicamẽtis quæ obstructiones auferunt, & incidunt, utendum: cuiusmodi sunt omnia amara, quæ sine erosione expurgãt, exterguntq;. E quorum numero est iris Illyrica, aristolochia omnis generis, amygdala amara, uitis albæ radix, centaurij minoris coma, polium, & cinnamomum. Item oleum amygdalinum, & alia quæ citra molestiã meatus expurgant, abstergunt, & obturata disijciunt dissecantq;. Ex ijs itaq; auricularia medicamẽta confici possunt, & usu postulante instillari. Præter cætera uerò cremorẽ porri tepidum auribus

Ex aquis medicatis.

Calidi.

Ab humoribus crassis, & flatibus.

ita adflictis instillare conuenit. Vel ceparum succum melli permixtum. Quod si ab inflammatione dolor cõcitatus fuerit, statim sanguis ex humerali uena eiusdẽ lateris mittendus est, clysteribusq; defluxus humorum in contrariũ auertendus, potißimùm ubi aluus sua sponte nõ deiecerit. Deîn oxyrhodinum tepefactum instillandũ, aut adeps anserinus, aut gallinaceus cum rosaceo. Se solis enim nõ influente etiamnũ humore magis cõueniunt, idq; duabus rationibus, quia doloris symptoma leniunt, mitigant'ue, & inflammationis affectum curãt. At si uehemẽtior fuerit inflãmatio, ad sedandos dolores, albumen oui cum lacte mulieris tepidum instillatur. Prodest etiã tum medicamentũ, quod habet: Succi semperuiui ʒ 2. olei rosacei ℥ ß. aceti ʒ 1. ß. Cõmixtis omnibus, & agitatis, auri dolenti instillentur. Extrinsecus uerò ea quæ dolorem leniũt, materiãq; impactã cõcoquunt, admoueãtur. Vrgente autẽ dolore, qui (Hippocrate teste) quũ uehemẽs grauisq; fuerit, periculum minatur: nam & mentem turbat, & hominem rapit: necessarium est etiam ijs, quæ leuiter sensum stupefaciunt, uti. Neq; enim mediocre, ut diximus, periculum est, ne cerebrũ neruo, per quẽ facultas audiendi distribuitur, uicinum per cõsensum afficiatur. Miscetur autem tum pauculum opium lacti muliebri, & oui candido, quæ & ipsa per se frequẽter aurium inflãmationibus congruunt. Iam & castoreo opium temperatur, oportetq; hoc longè ante mixtum, uel æquali pondere, Galeno autore, uel duplicato castoreo præparare. Ad uehementißimos quidẽ dolores: æquali: ad minores, duplicato. Liquor uerò quo prædicta medicamenta diligẽter prius trita, & leuigata, diluuntur, sapa esto: quippe hæc multò magis dolores lenit, quàm uina dulcia. Est autẽ sapa mustum ad tertiam mẽsuræ partẽ decoctum. Sunt qui opio rosaceũ & uiolaceũ miscent oleum, in hunc modũ.

Opij

Ab inflammatione.
Venæ sectio.
Auersio.
3. Prog. 15.
Stupefaciẽtium vsus.
Sapa quid.

Opij ℈ 1. oleorum rosacei & uiolacei, utriusq; ℥ 1. ß. Philonis quoq; antidotum crebrò sic laborantibus profuit, dissolutum lacte muliebri, & instillatū. Extrinsecus uerò aurē aßiduè olei cōmuni, siue ex calido fomēto oportet fouere, lanamq; hoc imbutā in aurē conijcere, sed ita ut partes inflāmatione laborantes quàm fieri potest, minimè attingantur. Quo autē pacto quis cōmodißimè auribus uehementer dolentibus medicamēta inijcere queat, tradit Galen. lib. 3. De cōpos. medic. secundū locos, cap. 1. Et huic sanè præcepto eius, ceu maximo in curatione aurium, mentem adhibeat medicus. Porrò ubi iam dolor inueterauerit, & in suppurationē cōuerti cœperit, medicamēto ex lini seminis succo utitor, quod unà cum rosaceo, aut chamæmelino solutum instillabis.

De sonitu aurium. Cap. XLIX.

Aurium sonitus, quem Græci ἦχον καὶ συριγμὸν, recentiores uerò tinnitum uocant, plerunq; à flatuoso spiritu, aut à craßis glutinosisq; humoribus generatur. Nōnunquam etiam propter exquisitam audiendi sensus acrimoniam. Generatur quoq; malum hoc ex partium imbecillitate, ubi scilicet ex morbis iam conualescentibus incidit, humore neruorū auris assumpto. Nascitur etiā à causis externis, frigore, æstu, ictuq; capitis. Si à causis externis accidit malum, facilè ab ægroti sermonibus dignoscitur. Iam quod sonitus paulatim, aut una uice, aut confertim irruat, idipsum quoq; ad inuentionē affectus conducit. Si enim ex certis interuallis accedant, quieuerintq; sonitus, euidentißimum argumentum est, quod flatulentus spiritus exitū non habēs interclusus est, qui prosilire magno nixu cōtendēs edit sonitū: præsertim ubi cibi inflādi uim habentes præcesserint, & cruditate laborauerint, frequētius ægrotantes. Si uerò huiusmodi aurium sonitus

Causæ.

Signa sonitus à causis externis.

A flatulento spiritu.

nitus non repentè, sed sensim ingruant, & grauedo quædam ponderis instar sentitur, & uictus ratio, quæ crudos humores procreat, antecesserit, tum craßis ac lentis humoribus malum acceptum referas. Sin suspicio alicui fuit, ex spiritu flatulento qui transitum non habet, aut craßis humoribus malum prouenisse, ac medicamentis quæ incidunt, extenuãt, & discutiũt adhibitis, nihil profecit, simulq; apophlegmatismis, usus est, & toto capiti prospexit: is magnam occasionẽ habebit referendi sonitum ad sensus audiendi acrimonã, præsertim si æger acuti auditus fuerit. Eius etiam hoc certißimũ esse indiciũ putatur, si tempore famis & inediæ increuerit, crapulæ uerò & repletionis remißior fuerit. Curandi ratio pro causarum diuersitate uariatur. Si igitur à craßis & uiscidis humoribus, aut flatibus auriũ sonitus ortus fuerit, caput initio catapotijs coccijs, aut id genus similibus purgetur: prius tamẽ ijs exhibitis potionibus & medicamẽtis, quæ incidendi & extenuandi uim obtinẽt. Dein apophlegmatismis, errhinisq; utendum. In aurem subinde instillandum oleum amararum amygdalarum, aut oleum in quo castoreum fuerit tritum. Aurem quoq; ad uaporẽ aquæ, cui stichas, absinthium, maiorana, mentastrum, & origanum incocta sint, opportunè inclinabis. Succus rutæ coctus in cortice mali granati, mirificè confert. Sacculi item ex betonica, stichadæ chamæmelo, maiorana, & alijs paulo antè cõmemoratis, cõpositi, si calefacti auribus imponantur, conducunt. Si propter sensus auditus acrimoniã sonitus auriũ accidat, tum ea quæ sensum stupefaciunt sunt usurpanda. In ijs tamen adhibendis prouidentia magna opus erit. Incipiendum itaq; à leuioribus, & si necesse fuerit, ad ualidiora progrediendũ. Commendatur unicè oleum rosaceũ, adiecto uno aut altero grano opij. Galenus mandragoræ succum, & papaueris liquorẽ hoc in

A craßsis humoribus

Ab audiendi sensus acrimonia.

Curatio.

Si à craßis humoribus vel flatibus.

Fotus.

Sacculi.

Si ab exquisita audiendi acrimonia.

Si à febribus et morbis alijs. loco laudat. Cæterum si in febribus, aut harum iudicationibus sonitus aurium euenerit, nullum ei negotium facessere oportet: quippe statim magna ex parte finiuntur. Si autem post morbum, uel capitis dolorem perseuerauerint, absinthij decocto aures foueri debent, acetum & rosaceum infundendum, aut raphani succũ cum rosaceo, aut aloën optimam ex mulso solutam. Quod si hæc nihil contulerint, ueratro nigro ex aceto contrito utendum.

De surditate, & graui auditu. Caput L.

κώφωσιν QVum afflicta aure non solum grauius sed omnino nihil quis audire cœperit, malum hoc Græci κώφωσιν Latini surditatem nominant. Grauem uerò auditum βαρυηκοΐαν καὶ δυσηκοΐαν appellant. Surditas. Surditas interdum à primo statim ortu hominẽ comitatur, interdum etiã Causæ. posteaquã nati sumus accidit. Quod quidem uel ob biliosum humorẽ sursum uergentẽ cõtingit, uel propter crudos crassosq́; humores auditũ obturãtes. Nonnunquã etiã ob sordes, Signa. auriũ meatus obturantes. Indicia quibus causæ & dignoscũtur & discernũtur, facilè ex ijs quæ nũc sæpius à nobis dicta A biliosis humorib⁹. sunt sciri possunt. Si enim à biliosis humoribus accidat grauitas auditus, uel surditas, post febres maximè, recurrẽte bile ad cerebrũ, de repente infestare solet. Facies etiam & totus A crassis humurib⁹. habitus corporis biliosam temperaturã præ se fert. Si à crassis humoribus oritur, grauitas capitis, et alia quæ pituitosos humores ostendunt, adsunt. Quæ à generatione statim, aut etiã postquã nati sumus, sed longissimæ & perfectæ surdita- Curatio. tes cõsistunt, immedicabiles existũt. Quæ uerò non absolutæ Si ob biliosum humorem. quidẽ, sed diuturnæ tamẽ: & ipsæ curationem non recipiunt, aut certè difficilimè curãtur. Quæ ob biliosum humorẽ sur-

sum

ſum uergentẽ naſcuntur uacuationibus per medicamenta bilem ducentia ex facili abolentur. Quidam etiã ſua ſpõte malo liberantur, bile inferius deſcendente: Quod Hippocrates etiã iis uerbis cõfirmat: Quibus bilioſæ accidunt deiectiones, hæ ſuperueniẽte ſurditate ceſſant: & quibus ſurditas ſit, hæc ſuperuenientibus bilioſis deiectionibus ceſſat. Et iterũ: Quibus in febribus aures obſurduerunt, aluus turbata ſoluit morbum. Si uerò ex crudis craßisq; humoribus prognata fuerit ſurditas, uel grauis auditio, uenæ ſectione, aut omnino purgatione ex hiera, et catapotiis cochiis, aliisq; ſimilibus curabitur. Antea tamẽ oxymeli, & alia quæ craßos & lentos humores incidere ualent medicamenta propinanda. Corpore uniuerſo purgato, pituita apophlegmatiſmis, errhinis et ſternutamentis ex capite elicienda. Præterea caput ſiccandũ, & omni modo corroborandum. Balneis itẽ ſua ſponte ſcaturiẽtibus, uel aqua marina utendum. In ipſam uerò aurem iniicienda medicamenta, quæ diuidunt, inciduntq; craſſos & uiſcoſos humores, qualia multa ad ſonitus antea ſunt tradita. Priuatim uerò confert rutæ ſuccus cũ melle, aut caſtoreum cum oleo anethino. Fomẽtis quoq; utendũ eſt, quæ per ſpongias fiunt, & iis quæ uapore per calamos perforatos uentriculo cibis non diſtento accõmodantur. Oportet autẽ alterũ calami arundinis'ue extremum cõcauitati auriculæ adaptari, alterũ ollæ, quæ operculum perforatum habeat, & undequaque obturata ſit, incumbere. Sit autem in olla abſinthium, mentaſtrum, maiorana, origanum, ſtichas, aut ſimile aliquid aqua decoctum, ut uapor inde ſublatus ad auditoriũ meatum perferatur. Aceti inſuper uapor in hunc modum in aurem acceptus, mirificè confert. Victus autem ratio in uniuerſum ſit tenuis.

4. Aph. 28 — 4. Aph. 60 — Si ex craſſis humoribus. — Fomenta. — Victus

De parotidibus. Cap. LI.

παρωτίδες. Παρωτίδες sunt inflammationes, quæ in glandibus quæ auribus adiacent, emergere solent. Fit ex copioso atq; calido sanguine, qui uel biliosus, uel pituitosus, uel melancholicus existit. *Causæ.* Oritur autē interdum ex capite, humoribus uidelicet ei impactis: interdum à reliquo corpore per morbos, febres maximè, illuc impetu morbi per decretorium cōuerso. *Signa.* Signis nullis ad mali cognitionē opus est, oculorum enim iudicio subiacet. *Plenitudinis.* Parotides autē quæ feruētis sanguinis plenitudini adscribuntur, dolores uehementißimos pariunt. *Biliosi sanguinis.* Quæ uerò bilioso sanguini erysipelata referre magis uidētur nullaq; grauitate locum male affectū excruciant. *Melancholici.* Quæ melancholico sanguini acceptæ referūtur, ne modicè quidē rubent, neque uehementi dolore torquent, sed duriusculæ sunt. *Pituitosi.* Quæ ex pituitoso natæ sunt sanguine, fastigiatæ in tumorē existunt. *Victus.* Victus ratio talis, qualis ferè in alijs inflammationibus constitui debet. *Curatio.* Curatio à uenæ sectione, si ætas, aliaq; permiserint, auspicanda erit. Incidenda uero uena humeralis eiusdem lateris, propter rationes alibi dictas. *Topicis in hoc affectu quomodo utendum.* Porrò non utimur in parotidibus, quēadmodū in reliquis inflammationibus, inter initia reprimentibus, sed cōtrà attrahentibus, & si nihil notatu dignū effecerint, etiā cucurbitulas affigemus, aut fomēta aßidua adhibebimus. Nā humorē noxiū ex profundo ad cutē euocare, naturæq; opem ferre conamur: præsertim ubi in capite sit firmatū malū, humoribus in eo pertinaciter hærentibus. Quinetiam quum citra capitis affectū in febribus acutis natura superuacuos humores deponit, ex uasis, in regionē quæ intra cutē & corpora subiecta habetur, effundens, quando etiam glandulæ ex humoribus effusis opplētur, satius esse tunc quoq; uidetur naturæ opitulari, febribus per

humo

humorum decubitum, seu ex loco in locũ impetuosum illapsum medenti. Quum uerò uehemẽti impetu influxus irruit, nihil nos tentabimus, totum naturæ permittentes, iuxta hoc Hippocraticum: Quæ iudicantur, & iudicata sunt integrè, neq; mouere, neq; nouare aliquid, siue medicamẽtis, siue aliter irritando, sed sinere. Hæc ille. Si enim uel cucurbitulã, uel medicamentum aliquod humores ex alto ad cutẽ attrahens admouerimus, uehemens dolor hominem apprehendet, ut hinc & uigiliæ suboriantur, febres intendantur & uires exoluantur. Proinde tunc mitigare, non humorum impetũ ac influxum promouere oportet, per cataplasmatum maximè leniẽtũ usum. Eligẽda uerò quæ cũ humiditate moderata, calorem habeãt, doloribus mitigãdis sanãdis'ue, atq; influentibus humoribus cõcoquendis & maturandis idoneũ: ueluti est quod ex frumentacea, aut hordeacea, aut lini seminis farina cum mulsa, aut fœnogræci, aut altheæ, aut chamæmeli decocto paratur. In eundem usum, locum aßidue butyro illinemus, adiectis ouorum uitellis. Suillum quoq; adipem cum butyro liquantes cera exigua addita, ut mollißimum ceratũ fiat, applicabimus. Cæterum mitiores parotidas, in quibus neq; humorum in particulas copia irruit tanta, ut uehementes dolores excitet, neq; caliditas humori adest, facilè curantur fomẽtis è muria, & cataplasmatis, & medicamentis exquisitißimè discutiẽtibus, quale est, quod dyachylon, hoc est, è succis uocatur. Neq; enim ad suppurationẽ festinant, neq; dolorẽ inducunt ualidum. Si uero parotides discuti haud possunt, suppurantibus medicamẽtis utendum est: nempe farina triticea, cum caricarum decocto, & oleo. Item quod ex polline & fermento constat medicamentum. Vbi uerò iam suppuratæ fuerint parotides, tũc uel cutæ ferro discissa pus excernetur ulceriq; ut in eiusmodi omnibus moris est, medeatur: aut sanè

1. Prog. 20 22

Dolor quibus mitigãdus.

Mitiorum parotidum curatio.

Discutientia.

Suppurantia.

acri

acri medicamẽto rumpetur abscessus, quale est quod ex allio constat, & similibus. Aut tentandũ, ut ipsum per medicamẽta, quæ attractoriã simul & extenuantẽ uim obtinẽt discutiamus, bis quotidie auferentes, fouẽtesq́;, donec aliquid remittant, laxẽturq́; dolores, maiori parte puris discussa: tũc enim iam primum quidẽ semel soluere & fouere, deinde uerò ne hoc quidẽ facere ex re est. sed ipsis medicamentis permittere oportet, ut si quid reliquum in profundo hæreat, idipsum discutiãt. Quod si durities adsit, ea ipsa quoq; emolliẽda est. Quare per hoc tempus medicamenta mixta facultate cõponentur ita, ut emollientia attractorijs admisceantur, ut est adeps uitulina, hircina, medulla cerui, bdellium, styrax, ammoniacum, & id genus alia, quæ alibi commemorauimus.

De ozænis. Cap. LII.

Ozænæ. Ὀζαίναι Græcis ulcera narium sunt profunda & putrida, ex quibus ingratus & fœtidus exhalatur odor Sic uerò à graueolentia & fœtore dicta. Ex acrium putridorumq́; humorum, qui ad nares commeant, illuuie generãtur. Quod si acres tantum existant, ulcera curatu difficilia solẽt procreare, nõ tamẽ grauiter olentia. Indicijs ad mali dignotionem non est opus. ex dolore enim, & ægri narratione, imò etiam uisu, facile in naribus ulcera deprehenduntur. Ozænarum curatio in hoc potißimum consistit, ut principio caput exiccetur, eiq; robur adijciatur, quod nimirum constet has ob malignorum humorum redundantiam, qui ex capite naribus influunt, prouenire. Roborandum uerò atque exiccandum totũ caput erit, ne quicquam ex ipso superuacuum in nares, aut alias infernas partes influat. Quemadmodum igitur aliàs topicis ac localibus, nisi uniuersi corporis uacuatione præmissa, uti non licet: ita hic non nisi toto capite

Causæ. Signa. Curatio.

robo

roborato, naribus admouenda remedia erunt. Robur autem capiti ad hunc modũ adijciendum est. Tondere primum caput oportet, deinde confestim quæ adstringunt imponenda, qualia sunt oleum rosaceum, alumen, gallæ immaturæ, folia salicis, acetum, & ijs similia. Hæc capiti perpetuis nouẽ diebus imponenda, ac illinenda. Vbi itaq; illis caput ualidũ robustumq; reddideris, naribus medendis accingere, eò consilium tuum dirigens, ut particulã affectam medicamentis mixta facultate præditis, repulsoria scilicet & discutiente, resicces. Repellunt igitur, austera nimirum & acerba, quæ cõmunem adstringentibus appellationem sortiuntur. Discutiunt autem calida & sicca facultatibus. Ad ozænas igitur sanandas calaminthæ succum instillare oportet, aut ipsam aridam per fistulam insuffla. Vel melle in nares stillato, post aliquod spacium adhibito sternutamento crustas excutito, quæ tribus quatuor'ue diebus excidunt. Vbi uerò exciderint, adipe anserino & butyro cum rosaceo curantur. Vlcera etiam in naribus mali punici succo in æreo uase usq; ad dimidias cocto perline. Aut malum punicum dulce integrum uino incoctum terito, & forinsecus imponito. Confert & hoc quod habet: Aluminis scißi ℥ 1. ß. myrrhæ ℥ 1. malicorij, rhois, salis fośilis, croci, thuris, singu. ℥ ß. Trita insuffla. Quod si hæc ulcera dolor comitatur, utere unguento, quod accipit. Olei rosacei, myrtini, utriusq; ℥ 1. Plumbi usti, lithargiri, utriusq; ℈ 2. cerussæ, boli armeniæ, balaustiorum, singulorum ℈ 1. ceræ albæ quod satis est, fiat unguentum.

Caput quõ roborãdũ. Repellentia. Discutientia. Puluis. Vnguẽtũ.

De sanguinis ex naribus profluuio. Caput. LIII.

PRofluuij sanguinis è naribus, caussæ partim sunt externæ, partim internæ. Externæ sunt, casus ex alto, ictus

Caussæ. Externæ.

Internæ. ictus, exercitium uehemens, & mora in sole. Internæ, copia
Harũ causarum capita tria. sanguinis, uel eiusdẽ tenuitas. Cæterum omnes eius causæ sub
ijs tribus complecti possunt. Siquidem sanguis profluit ex
naribus, aut reserato uenarum uel arteriarum, quæ in capite
& naribus sunt, ore, aut tunica earundem rupta ac diuisa,
Primum. aut sudoris instar transcolatus. Reseratur autem uenarum
& arteriarum os propter tum uasis imbecillitatẽ, tum sanguinis qui ad os earum impetu ruit copiam: ad hæc acrem
Secũdum. quampiam, quæ illi extrinsecus incidit, qualitatem. Diuiditur
Tertium. uerò tum ex uulneratione, tum contusione, tum ruptione,
tum erosione. Sudoris instar transmittitur, tunica quidẽ ipsa
rarefacta, sanguine autem tenuato. Indicijs multis ad mali,
Signa. eiusq; causarum dignotionem nihil opus est. Externæ quidẽ
causæ de sermonibus ægri cognosci possunt. Copia sanguinis
ex facie, oculisq; quæ rubent, dolore capitis grauatiuo, &
alijs quæ dicta sunt cap. 10. huius libri deprehẽditur. Decretorium sanguinis ex naribus profluuiũ, quod curatione haud
eget, è morborum qui præcesserunt constitutione agnoscitur.
Victus. Ratio uictus sit eiusmodi, quæ infrigidare & incrassare
sanguinem ualeat. Tenuem quoq; esse oportet. Aër itaq; sit
frigidus, cibus boni succi, & concoctu facilis. Sanguine feruente, æger uescatur lactucis, intubo satiuo utroq;, pyris, malis cotoneis, pullis gallinaceis aßis, aut cum omphacio elixis.
Bibat uinum crassum & rubeum. Contrà, album & tenue
deuitet. Vel ubi assueuit per bonam ualetudinem, utatur in
Decoctum cinnamomi quid. potu aqua frigida, aut decocto cinnamomi. Per quod paßim
in ijs nostris de medendi ratione libris intelligo aquã, in qua
parum cinnamomi decoctum sit, ne scilicet sua frigiditate
imbecillum plerunque uentriculum offendat. Parum loquatur, omnemq; corporis motum, animi quoque perturbationes: iram potißimum fugiat. Partes præterea capiti subie-
Partes ca. ctas,

ctas, sublimes habere cõuenit. Situs enim partis, ex qua sanguis profluit, in contrarium fluxionis tendere, & inclinari debet. Hac enim ratione sanguis in cõtrariã sui motus partẽ impellitur. Sic Galenus libro 5. Ther. meth. omnem particulam, unde sanguis manat, sursum spectare oportere tradit. Ita Hippocrates quoq; 6. Epid. Par. 7. Aph. 3. inter ea quæ sanguinem promanantem sistunt, figuram aliò tendẽtem recenset. Quare curandum unicè, ut caput in profluuio sanguinis nariũ deorsum spectet: id quod fiet, si partes illi subiectæ sint sublimiores. Curandi ratio ab ijs, quæ sanguinem ad alias corporis auertunt præsidijs exordienda. Primũ igitur si corporis plenitudo adsit, & ætas permiserit, ægerq; adhuc non sit resolutus, uena in cubito secanda est, quæ profusioni sanguinis ex naribus è directo respondet. Sic enim ut faciamus suadet Galenus, qui in libro de curandi ratione per sanguinis mißionem ita scriptũ reliquit: Porrò reuulsionis causa, si uenã seces, indirectè quidẽ oppositis sanguinis eruptionibus, citißimè conspicuã uidebis utilitatem. At si cõtrà seces, nihil profuerit. Hæc ille. Vbi paululũ detraxeris, mox unam horam intermittens, rursus detrahes, pòst iterum atq; iterum pro laborantis uiribus. Præterea infernarũ partium, brachiorum uidelicet, manuum, fœmorum, inguinum, ac pedum, potißimum per ea medicamenta quæ calefaciũt, frictio mirificè conducit. Vincula etiam ualentius iniecta, ijs remedijs quæ reuellunt adnumeranda sunt. Sanguinem denique è naribus erumpentem, retinent magnæ in hypochondrijs defixæ cucurbitulæ. Infigendæ autẽ sunt, si ex dextra nare profluit sanguis, super iecinere: sin ex sinistra, super liene: si ab utraque nare, super utroque sunt imponendæ uiscere. Scapulis etiam cum scarificatione applicandæ sunt. His sic peractis, medicamenta quæ refrigerant & adstringunt, intra & extra

Margin notes: piti subiectæ ut habendæ. — Caput quõ cõponẽdũ — Curatio. — Venæ sectio. — Frictio. — Ligaturæ. — Cucurbitę — Adstringẽtia medicamenta.

Exterius admouenda. extra corpus adhibenda. Extrinsecus quidem apponenda fronti & commissuræ coronali epithemata è succo plantaginis, lactucæ, oxalidis, pastoriæ peræ, polygoni, aut eorūdē stillaticijs liquoribus parata. Mirificè autem conducit linteolum in aceto madefactum frigido, iterum atque iterum fronti & ceruici admotum. Frons etiā spongijs ex aqua frigida fouenda. Porrò proderit hoc epithemate fronti & iecinori imposito uti, quod habet: Liquorum stillaticiorum

Epithema. rosarum solani, oxalidis, singu. ℥ 3. Specierum diatriasantalôn, diarhodon abbatis, singul. ʒ 1. boli armeniæ, eboris usti, lapidis hæmatitis, singul. ʒ ß. Commixtis omnibus, fiat epithema. Naribus præterea medicamenta sanguinē sistētia indenda, quale est quod Galenus lib. 5. Ther. meth. inter omnia alia optimum esse tradit. Recipit autem thuris ʒ 2. aloës ʒ 1. Redacta in puluerem cum oui candido subigantur, donec ad mellis craßitudinē redeant: dehinc leporis mollißimo pilo excipiantur, & admoueātur naribus. Licebit etiam linamētum cōtortum, hoc medicamento imbutum, naribus indere. Menta quoq; trita in nares coniecta, haud parum prodesse creditur. Item spongia in acre ac feruens acetū demißa, profluentibus naribus extrinsecus imponenda, atq; comprimēda specillo, donec impellatur. Præstat autē spongiæ initium deligare filo per acum deducto, ut facilè extrahi poßit. Extrahito autem quū opus suū perfecisse existimaueris. Quod si inarescat spongia, intusq; agglutinetur, auriculario clystere aquā frigidā immittito, ac infundendo humectato, atq; ita extrahito. Itē hoc quoq; medicamentū non inter postrema habetur, quod accipit: Putaminis cui ʒ 2. gallæ immaturæ ʒ 1. Trita linamēto tortilli aqua aut aceto madefacto excipito, & nariū foraminibus indito. Itē frontē et nasum gypso albumine oui irrigare integrè non parū cōfert. Aures quoq; ualidè

Optimum medicamētum ad sistendū sanguinem.

Paratu facilia medicamenta.

ualidè linteis & cera obturare, & in ore aquam pluuialem frigidam continere. Succus etiam foliorum urticæ linamẽto exceptus & impositus, sanguinem ex naribus erumpentem reprimit. Idẽ quoquemet ipsa folia illita possunt. Caudæ insuper equinæ succus, aut ipsamet folia trita & applicata in sistendo sanguine magnã obtinent efficaciã. Cochlearum deniq; caro cum aceto trita, aut eædẽ cum suis domicilijs ustæ tritæq; fronti ac naribus ex aceto admotæ non parũ utilitatis adferunt. Supra omnia cõfert sanguis, qui ex ægroti naribus profluxit, si scilicet in uase figulino tostus ac deinde tritus fuerit. De eo accipe ℥ 3. boli armeniæ, gypsi, utriusq; ℥ 1. caphuræ ℈ 1. cum oui candido, & exiguo aceto reducantur ad mellis craßitudinẽ, & fronti imponantur, naribusq; immittantur. Neceßitate ipsa urgente, grana duo, aut tria opij adijcere licebit. Ab essentiæ totius proprietate stercus asininũ exiccatũ, & in puluerẽ redactũ, cõducere apud omnes in cõfeßo est. Idem etiã fimus porcinus potest. Intra corpus adhibenda ea quæ infrigidant & adstringunt medicamenta, ut sunt serapia rosaceum, myrtinum, nympheæ, & è papauere. Saccharum rosaceum, oxalydis, & nympheæ. Pastilli de lemnia terra, de succino, & id genus alia medicamenta. Porrò si qd interea sanguinis in uentrẽ aut alia corporis loca defluxit, ipsum si multus ac copiosus fuerit, per medicamẽta grumos dissoluẽtia & educẽtia, uacuare oportet. In uentre enim & intestinis in grumos, coactus sanguis, incensionem facit. Quæ autem sint eiusmodi medicamenta, suo dicemus loco.

Optimum. Stercus asininum. Fimus porcinus Intro sumẽda. Si sanguis in ventrem aut alia corporis loca defluxerit.

De destillatione, grauedine, & raucitate. Caput LIIII.

Κατάῤῥοος & κατάῤῥους Græcis, destillatio Latinis dicitur. Fit autem Galeno lib. 3. De sympt. causis teste, ubi

Catarrhus. Destillatio.

Grauedo. ubi ad os & fauces humor delabitur. Grauedo uerò, quæ
κόρυζα. Græcis κόρυζα uocatur, dum ad nares decumbit humor,
Raucitas. accidit. Raucedo, quæ βράγχος Græcis appellatur, ubi ad
βράγχος asperam arteriam destillat humor, cõtingit. Defluxus humo-
Causæ. ris causa est cerebrum, quod qui 1ē à frigore ad frigidam in-
Frigus. temperiē deducitur, quod ijs potissimum accidit, qui aperto capite sese statim ambienti frigido exponũt: ab æstu uerò ca-
Calor. lefit & repletur. Frigiditas etiam humores quæ in cerebro sunt, constringens, perinde atq; manus spongiam imbutam aqua, defluxum eorundē in partes subiectas conciliat. Sic nõ rarò calor ambiens humores cerebri dissoluens, destillationem creat. Præterea omnia quæ ultra modum caput replere
Caput repletia. possunt, defluxum humorum in partes inferiores excitant. Sic uinum utiq; immoderatius ingestũ, balnea calidiora, &
Cruditas. largior perfusio capitis ex aqua calida, maximè si alias calidius caput existit: & cibus sanè qui in uentre crudus perseuerat, neq; infrà excernitur, item ea quæ sursum euaporãt, in
Vaporosa. caput impetũ facere cõsueuerunt. Externæ causæ è sermonibus ægri cognoscuntur. Qui ex calore defluxu humorum ex
Signa. capite laborãt, ijs caput incalescit, acris tenuisq; humor de-
Caloris. stillat tum per nares, tum per os. Facies deniq; rubescit, & nasus. Hos etiam magna ex parte febris comitatur. Qui contrà ex frigore, ijs caput undiq; & frons distenditur, mea-
Frigoris. tusq; qui in ossibus sunt, quæ ethmoïdea nominantur, Anatomicis clauduntur, ita ut ne uox deorsum per nares transmeare queat. Pituita quoq; & crassus humor è naribus stillat. Fugiant aërem impense calidum & frigidum, præsertim
Victus. à balneo: uentos austrinos, & aquilonios: laconicum, & omnia quæ aut constringere, aut dissoluere humores in cerebro possunt. Vtantur cibis cõcoctu facilibus, & boni succi. Deuitent eos qui uaporum copiam ad cerebrum transmittunt,

tunt, nempè cepas, allia, sinapi, raphanum, & odoramenta supra modum calida. Præterea qui destillatione laborant, minus in cœna quàm prandio comedant. Potus sit aqua mulsa, aut hordei uel cinnamomi decoctũ. Fugiendus somnus diurnus, & nocturnus supinus. Quod ad curandi rationem attinet, cõsultum est, caput, ueluti mali fontem, sanare. Vbi itaq; calida intemperie caput uexatur, ijs pugnandum præsidijs, quæ dolori capitis è tali causa contracto conueniunt. Præsentißimum autẽ remedium capitis, cum aqua copiosiore calida irroratio & perfusio. Hæc enim generatos in capite uapores calillos discutere ualet. Oportet deniq; sic laborantes balneis multis tepidis dulcium aquarum cõsolari, & temperamentũ omne in melius mutare. Qui uerò caput uehemẽter calidũ, & perustum habẽt, atq; ob id aßiduè destillationibus uexãtur, ijs melius est hora æstiua ex rosaceo ungi. Quod si frigida intemperies infestet caput, calefaciẽtibus ac tenuibus oleis, irino scilicet, rutaceo, & similibus perungẽdũ erit. Irinum autẽ non solũ illinitur, sed etiã naribus instillatur. Alia præterea quæ suprà de capitis dolore ex frigore orto dicta sunt, adhibẽda ueniũt. Si autẽ calidus humor à capite distillauerit, simulq; febris inuaserit, et totius corporis plenitudo fuerit, sanguis è uena exteriore cubiti, quã humeralẽ uocant mittendus erit. Sin sanguinis mißione propter iustas causas uti nõ liceat, clysteri aluus eluenda, atq; à capite exuperantes humores deorsum trahẽdi: aut medicamentũ bilẽ per inferna ducens propinãdum, ut sunt catapotia aurea, alephangina, azaiaret, & similia. Auertendi quoque à capite sunt humores frictionibus extremitatum, ligaturis, & cucurbitulis scapulis admotis. Intra corpus adhibeãtur, quibus alterandi, & feruorẽ bilis extinguẽdi facultas inest, ueluti est serapium uiolaceum, nympheæ, è papauere, item eorundem sacchara.

In destillatione cœna prãdio parcior esse debet.

Curatio.

Si calida intemperies.

Si frigida.

Si calidus humor.

Auersio.

Alteratio.

Embro

Embrochæ etiam & odoramenta suprà in capite De dolore capitis cõmemorata applicentur. Emplastrum deniq; è terra lemnia, aut bolo armenia, & plantaginis succo paratũ raso capiti imponatur.

Si frigidus humor.

Si uerò frigidus humor sit, qui à capite destillet, per ea quæ pituitam purgant, corpus uacuabis. In quem usum multum cõfert ualidi clysteris iniectio. Quo peracto, à capite auertere, atque retrahere humores oportet. Dein ubi humores cocti fuerint apophlegmatismis, gargarismis, & similibus medicamẽtis caput expurgandũ.

Sacculus.

Sacculi præterea capiti admouendi sunt, qui habent: Florũ chamæmeli, meliloti, betonicæ, stichadis, foliorũ lauri, pulegij, origani, singul. m̃. s. cinnamomi, garyophyllorũ, utriusq; ℨ 1. maceris ℨ 1. ß. nucis moschatæ ℨ 2. galliæ moschatæ ℨ 1. Terãtur singula, & trita in sericum demittantur, formeturq; sacculus, qui suturæ coronali imponatur. Plurimum quoq; cõducit caput oleis calidis, irino nimirum, anethino, & rutaceo perungere.

Destillationem reprimentia.

Destillationem autem reprimunt omnia, quibus exiccandi inest facultas: potißimum uerò nigella torrefacta. Et cuminum deustum linteolo inditum & illigatum, præsens auxiliũ adfert, si idipsum ægrotãtes odorẽt. In eundẽ usum suffimenta adhibere conuenit, quale est quod accipit, Thuris, mastichis, utriusque ℨ 1. ligni aloës ℈ 1. cinnamomi. garyophyllorũ, utriusq; ℈ 2. galliæ moschatæ ℨ 1. ß. foliorũ lauri, santalorũ luteorum, singul. ℨ 1. moschi, ambar, utriusq; granum 1. Trita excipiantur stacte quod satis est, & informentur pastilli, quorum unus prunis inseratur.

Pastilli pro suffitu.

Aliud quod habet: Saluiæ, maioranæ, rosmarini, singul. ℨ 1. maceris, garyophyllorum, cinnamomi, singul. ℈ 2. ligni aloës ℈ 1. thuris ℨ 1. ß. Terantur omnia prius, & dein commisceantur, fiatq; puluis, qui exigẽte usu carbonibus ignitis inspergatur.

Raucedinis curatio.

Raucedo autem iisdem ferè quibus tußis, curatur medicamentis.

De

De dentium dolore Cap. LV.

IS à calida uel frigida imtemperie interdum excitatur. Nonnunquam etiã propter humorum ex capite in eorundem radices defluxum, qui sua illos acrimonia uel erodunt, aut consimilem in eis passionem sua concitant copia, qualis est circa partes carnosas inflammatio. Dentium uerò dolor sine gingiuarũ inflammatione, interim in propria ipsorum substantia, interim in neruo qui illorum radici inseritur, oritur. Si à nuda qualitatis intemperie dolor accidit, minimè grauatiuus erit. Calidaq; intemperies ex totius corporis temperamẽto, quod itidem calidum est, item facie subrufa, & praecedenti uictus ratione calida deprehenditur. Frigida ex cõtrarijs indicijs cognoscitur. Si uerò ab humore aliquo copioso influente dolor oriatur, non solum in dentibus grauatiuus sentitur dolor, uerumetiam in reliquis partibus quas pertrãsit. Calidus autem humor uehementiorem, frigidus uerò remissiorem mitioremq; dolorem excitare solet. Victus ratio, quae ne dolor accidat, munire potest, eiusmodi sit ut nullo non tempore quae suprà modum calida aut frigida sint deuitentur. Vnicè autem cauendum, ne statim sese sequantur. Fugienda quoq; acida, acerba, & uiscosa omnia. Lactis etiam frequens usus dentibus mirificè obest. Studium, & diligẽtia assidua sit in purificatione dentiũ, quae una sanè res eos à corruptione omnium maximè tutos reddit. Cibi, quorum frequens usus est, boni sint succi, & concoctu faciles. Dolore uerò infestãte, pro causae diuersitate, alia atque alia uictus rario praescribatur. Curandi ratio, si à nuda qualitatũ intemperie dolor obortus sit, solis ijs quae alterare ualent, praesidijs perficitur. Si igitur à frigore sit, proderit uino tepido colluere dentes. Extrinsecus autẽ maxillae calefacientibus

Causae. Signa. Victus ratio. Curatio. Si à frigore.

tibus oleis camæmelino rutaceo, irino, & similibus inunguntur. Pro oris quoq; collutione in aceto decoquantur origanum, calamintha, hyssopus, pulegium, satureia, uerbenacæ rectæ radix, & similia. Si autem à calore dentes dolere cœperint, in aceto decoquere oportet portulacam, parietariã, semperuiuum minus, & glycyrrhizam. Quod si intolerabilis existat caloris sensus, utendum est seminibus lactucæ, intubi hortensis & papaueris, decoctis in aceto. Forinsecus oleis frigidis, rosaceo, nymphee, & id genus alijs partes dolenti uicinæ inungendæ. Porrò si ob humorum redundantiam dolor excitatus fuerit, si ætas, anni tempus, aliaq; permiserint, ac corporis plenitudo aderit, à sanguinis mißione ordiri curationem oportet. Incidere autem conuenit uenam cubiti superiorem, quam humeralem uocant, & quæ è directo affectum locum respicit. Quæ si non contingat, eam quæ media existit. Eo peracto, uenas sub lingua secare oportet, aut scapulis cucurbitas affigere. Si uerò unius duntaxat humor, uitiosus redundauerit, medicamento quod eum humorem purgare consueuit, utendum erit. In eum etiam usum clysteres mirificè conferent, quod non solùm aluum emolliere, uerumetiam humorum impetum ad inferiora auertere queant. Corpore uniuerso exinanito, ea quæ reprimunt medicamenta admouere licebit: ut sunt succi plantaginis, rosarum, portulacæ, intubi hortensis utriusque, aut prædictorum decoctum, aut stillaticij liquores, cum exiguo aceto. Vnicè autem conducit dolentes dentes acri aceto calido, cum immatura galla colluere. Sunt qui etiam caphuram adijciant. In eundem usum decocto solani, lactucæ, & halicacabi utendum. Extrinsecus partes dentibus dolentibus uicinæ oleo rosaceo, nymphee, exigua caphura adiecta, inungendæ, & emplastrum ex hordeacea farina imponẽdum.

Prin

Marginal notes: Si à calore — Si ab humorum redundantia. — Venæ sectio. — Purgatio. — Reprimẽtia.

Principio mali iam transacto, reprimentibus admiscenda erunt discutientia: ut est fœnograeci, seminis lini, altheæ, hyssopi, & id genus aliorum decoctum. Hoc tempore meliloti radix in uino, donec dimidium absumatur, elixa, ore ea parte quæ dolet contenta, præcipuè auxiliatur. Vtranque enim facultatem, discutiendi nimirum & reprimendi, melilotum obtinet. Origanum præterea hoc tempore dolorem dentium lenit, & protinus tollit, si redactum in puluerem cum nitro gingiuis inspergatur. Ad stupefacientia, nisi summa urgente necessitate, & non nisi humorum defluxu calido existente perueniendũ non est. In hũc usum decoctũ seminis aut foliorum hyoscyami cum aceto adhibere licebit. Philonij quoq; drachma una in aqua, aut uino diluta, nõ parum auxilij adferet. Cæterum si dolores à frigidorum humorum confluxu orti fuerint, calida magis medicamenta sunt adhibenda. Frigida enim humores crassos & frigidos cohibent, ac ne difflari queant impediunt, atq; adeò dolorem uehementiorem reddunt. Quare tum hoc potissimum medicamento utendum erit, quod habet: Piperis, pyrethri, meliloti, singul. ℨ i. Trita dentibus dolentibus aspergantur. Porrò inter ea quæ à totius essentiæ proprietate conducunt, egregiè facere fertur ranæ in aqua & aceto probæ elixæ ius, diutius ore retentum. Præclarè etiam confert senecta serpentis, in uino, aut aceto cocta. Eadem quoq; usta & trita, cum oleo ad mellis crassitudinem redacta, dentiq; imposita dolenti succurrit. Quod si uerò prædicta nihil contulerint, dens aut ferro, aut medicamentis auferendus erit. Vt autẽ dentem citra dolorem auferre liceat, hoc medicamento utendum. Pyrethrum acerrimo aceto in dies quadraginta cõditum, deinde tritum in usum adserua. Qui ubi postulauerit, reliquos dentes cera præmunitos custodito, ipsum uerò qui dolet, circumcirca

Discutientia.

Meliloti uis.

Stupefacientia.

Quæ à tota essentia conducũt.

Vt dẽs citra dolorẽ, & absq; ferro extrahatur

purgatum hoc medicamento integito, & post horæ interstitium digitis extrahito. Præclarè facit lappæ herbæ radix, feruenti cinere calefacta, & denti aßiduè apposita: parua enim mora dentes tollit. Cucurbitæ syluestris deniq; radicem cauo impone, & dentē erue. Vermes terrestres in testa exustos, in cineremq; redactos contere, & circunraso prius denti ubertim adsperge, & per diem & noctem excidet sua sponte. Hoc Aëtius confidenter esse utendum monet, quod ueluti mysterium iam sæpe sit celebratum. Erucam è braßica natam frequentius ad ipsum dentem adhibe, cadetq; sua sponte. Hæc in præsentia ut paratu facilia commemorare uolui. Plura alia habet Aëtius lib. 8. cap. 34.

De dentibus denigratis liuentibusq;, & mobilibus. Cap. LVI.

Liuent aliquando dentes ac nigrent per uniuersam eorum substantiam, non dißimile quiddam inflammationi patientes, ob influxum uitiosorum humorum. Vt autem dentes sint mobiles, interdum ictus, aut casus in causa est. Aliàs à redundanti humiditate, quæ neruos & ligamenta relaxat, dentes mobiles euadunt. Aliàs etiam ab erosione aut flacciditate gingiuarum, quibus dentes circundantur. Curatio à uitiosi humoris purgatione auspicanda. Postea uerò si dentes liuore aut rubigine laborant, humores uitiosi, qui ad dentes confluxerunt, exiccantibus sunt medicamentis dißipandi, ut est lycium, thus, menta, galla, mastiche, myrrha, nigella, & eiusmodi. Inter multa uerò alia hoc potißimum cōfert, quod habet: Nigellæ, myrrhæ, thuris, singul. ʒ i. mastichis, piperis albi, utriusq; ℈ ii. pistolochiæ ℈ i. aluminis scißi ʒ i. Trita redigantur in puluerem, quo dentes perfricētur. Aut resina terebinthina excepta dentibus circumlinantur.

Causæ. Curatio. Dentium denigratorum. Puluis.

tur. Humoribus uitiosis depastis, dentifricijs utendum: quibus extergendi & exiccandi facultas inest, quale est quod accipit: Nitri, aluminis scißi, cornu ceruini usti, singul. ʒ i. myrrhæ ℈ i. radicis iridis illyridæ, thuris, mentæ siccæ, singulorum ʒ i. ß. salis uulgaris tosti, pistolochiæ, utriusq; ʒ i. pumicis, testarum sepiæ, utriusq; ʒ i. ß. piperis, pyrethri, pulegij sicci, singul. ʒ ß. Tusis & cribratis omnibus, fiat puluis, quo dentes quotidie fricentur. Ad mobiles uerò dentes ea quæ adstringunt & laxas gingiuas firmant, atq; stabiliunt admoueantur medicamenta. Prosunt itaq; collutiones oris ex decoctis rerum adstringẽtium, qualis est quæ habet: Rosarum rubearum, mentæ, plantaginis, singul. m̃. ß. Corticum nucum cupreßi ʒ i. seminis myrti, rhoïs, utriusq; ʒ ß. malicorij, gallarum utriusq; ʒ ii. acatiæ ℈ ii. Decoquantur singula in uino nigro adstringente, & cum eo crebrò os colluatur. Coluto ore hoc dentifricio uti licebit, quod habet: Gallarum, putaminum mali punici dulcis, utriusque ʒ i. balaustiorum, rhoïs, myrrhæ, singul. ℈ i. rosarum purpurearum. calyculorum glandium, sanguinis draconis, singul. ʒ i. Thuris, cornu cerui usti, utriusq; ʒ i. ß. Tritis & cribratis omnibus, fiat puluis, quo dentes perfricentur. Aut cum oxymelite scyllitico excipiantur, & usu exigente illinantur.

Dẽtifriciũ optimum.

Dentium mobilium.

Collutio oris.

Dentifricium.

De aphthis. Cap. LVII.

QVæ in oris superficie fiunt ulcera, ac ignei caloris quiddam obtinent, Græcis ἄφθαι, barbaris & recẽtioribus alcola nominantur. Sunt autẽ nũc subalbidæ, nunc subrubræ, aliàs crustæ modo nigrescunt, & hæ omnium periculosißimæ existunt. Oriuntur ut plurimum infantibus, puerisq; lactentibus, quum scilicet aut lac nutricis fuerit uitiosum, aut non probè ipsum infans concoxe-

Aphthę. Alcola.

rit. Fiunt etiam aliquando in ijs qui ad perfectam ætatem perueniunt, tum propter uitiosorum humorum ad os defluxum, tum propter acrimoniam eorum quæ comeduntur & bibuntur. Cognitio uniuersarum facilis est, utpote quæ uisui & tactui subiectæ sint. Ad tactum quidem calidiores quàm cōuenit partes fiunt, tumoresq; excitantur. Visu uero ex colore cognoscuntur. Quæ enim rubicundiores sunt, sanguinei humoris dominium indicant: flauiores, bilis amaræ: albidiores, pituitæ: liuentes uerò & nigræfactæ, bilis atræ.

Signa.

Curatio infantiū.

Quæ infantibus accidunt, facilè curantur per ea quæ mediocriter adstringunt. Ea uerò ipsis in cibis potißimum offerenda. Oportet igitur miscere cibis aliquid ex malis cotoneis, & alijs acerbis, pirisq; & mespilis. Interdum etiam lactucæ quiddam & intubi hortensis, ac portulacæ cibo admiscendum, inflammatione nimirum ulceribus accedente. Conuenit quoque lens cum aceto & aqua decocta, ac modico pane commanducata. Quod si infans ipse cibum capere non poßit, nutricem eius huiusmodi uictu uti oportet, nec non ora infantium conuenientibus medicamentis illinere. Si enim subrubræ fuerint infantium aphthæ, à principio cum ijs quæ mediocriter adstringūt & refrigerāt curantur. Quare ijs collutiones oris ex succis rosarum purpurearum, plātaginis, solani, oxalydis aut eorundem liquoribus stillaticijs prosunt. Item ex decocto gallarum, balaustiorum, santalorum, rhois obsoniorum, acaciæ, & similiū, admixto succo medicato è ribes, aut diamorôn. Si uero subflauæ fuerint, ijsdem quidem utendum, sed magis refrigerantibus. Si subalbidæ, adstringentibus & exiccantibus cum quodam calore, utendū. Eiusmodi sunt thus, myrrha, mastiche, nuces cupreßi. His etiā ea quæ paulo antè sunt cōmemorata, miscere licebit. Si liuentes & nigrescentes fuerint, ijs quæ generosius di-

Si infans capere cibū nō posßit.

Collutiones oris.

Adstringētia calida.

scu

ſcutiunt utendum. In hoc caſu cõfert melilotum, chamæmelum, anethum, fœnogræcum, adiectis tamen ſemper adſtringentibus. In eis qui iam perfectæ ſunt ætatis, unicè corporis natura conſideranda uenit, num'ne mollis ſit & humida, an dura uel ſicca. Siquidem durioribus & robuſtioribus corporibus, ueluti ſunt piſcatorũ, nautarum, uenatorum, & agricolarum, ualidiora etiã remedia ſunt adhibẽda: imbecillioribus autem & mollioribus, ut ſunt eunuchorum, & muliercularum, mitiora. Quod itaque ad uictus rationem attinet, in hac ætate conſtituti, ab omnibus quæ ſalſa & acria ſunt, quæq; uitioſos ſuccos progenerare poßunt, abſtineãt. Quod uerò ad curationem ipſam ſpectat, in plenitudine totius corporis, ſi nihil impediat, primum uena humeralis, dein illæ quæ ſub lingua ſunt, incidendæ. Si uerò cacochymia corpus laborauerit, humoris uitioſi & moleſtantis purgationem moliri oportet. Corpore à redundãtibus humoribus uacuato, medicamenta quibus adſtringendi & reprimendi facultas ineſt, admouenda. Moderata uerò ad aphthas, remedia hæc ſunt: Omphacium in uino aut mulſo diſſolutum. Rhus obſoniorum eodem modo. Roſarum flos, ipſæq; roſæ ſiccæ cum melle roſaceo. Vehementiora ſunt, quæ paulò antea commemorauimus. Deinceps uerò ea quæ citra mordacitatem diſcutiunt, ut eſt fœnogræcum, glycyrrhizæ radix, melilotum, & alia quæ prius recenſuimus. Atqui ſi exulcerationes putreſcere incipiant, præclarè facit, maximè in infantibus, ex decocto gallarum & melle illitio. Gallas igitur cõtuſas aqua decoque, & cum decocto percolato parem menſuram mellis permiſcens: rurſusq; decoque, donec ad mellis craßioris ſpißitudinem redigatur: eoq; ut maximo remedio utere, ita ut locis illitum ſatis diu digitis adfrices, aut tomẽto lanæ purpureæ digito circumuoluto partibus ulceratione

Curatio adultorum.

Victus.

Curatio.

Moderata aphtharũ remedia.

Vehementiora.

Ad putreſcentes apthas.

affectis apprimas. Egregiè quoque facit centaurij minoris exusti cinis illitus cum melle. Cupreßi etiam pilulæ, exustæ eodem modo, Cornu quoque ceruinum ustum, tritum, & adfrictum mirabiliter conducit. Ad aphthas uerò quæ proserpunt summè efficax est, fœniculi radix usta per se, & cum melle illita.

De fœtore oris. Cap. LVIII.

Causę. GRauis molestusq́; oris odor magna ex parte propter putrescentes gingiuas, aut dentes, aut ciborum reliquias illic detẽtas accidere solet. Nonnunquam ob cutis oris calidam intemperiem. Interdum etiam ob humorem corruptum, aut putrefactum in ore uentriculi hærentem. Contingit quoque ut nonnunquam oris aut pulmonis exulceratione molestus sit oris halitus. Si propter putrescentes uel Signa. gingiuas, uel dentes, uel ciborum reliquias oris fœtor accidit, promptè quidem cognoscitur, aut uisu, aut de ægroti sermonibus. Quod si à calida oris intemperie nascitur, tum calor in ore sentitur, ac sitis infestat. Si uerò propter os uentriculi, tunc ante cibi sumptionem potißimum oris halitus molestus & grauis esse solet. Oris exulcerationes uisui subiectæ sunt. Pulmonis sanè, totius corporis extenuatione ac Victus. tußi, quæ illius sunt symptomata, facilè dignoscuntur. In uictus ratione omnia quæ promptè in ore aut uentriculo corruptionem accipiunt, æger euitet. Talia sunt lac, pisces, fructus ferè omnes, medullæ, pinguia, aquæ prauæ, & similia. Cibi igitur quibus utitur, sint boni succi, & concoctu faciles. Aßis tamen magis quàm elixis utendum. In fine prandij & cœnæ adstringentibus pyris, cotoneis malis, & eiusmodi uesci licebit, ijs potißimum, quibus ab ore uentriculi ingratus exhalat odor. Pro diuersitate causarum potus nunc

sit ui

ſit uinum, nunc hordei aut cinnamomi decoctum. Somnum à cibo ſtatim fugere oportet. Si ob gingiuarum, aut dentium curruptionem oris fœtor fiat, corporisq; adſit plenitudo, ex humerali uena primum ſanguis mittendus erit, & cucurbitulæ ſubinde ceruici ſunt affigendæ. Sin cacochymum fuerit corpus, idoneo medicamento redundās, ac moleſtans humor, uacuādus erit. Corpore autem uacuato, localibus utendum, collutionibus præſertim, quæ hoc in loco mirificè conferre ſolent. Inter multas autem hæc non parum conducit, quæ habet: Roſarum purpurearum, plantaginis, polygoni, ſingul. m̄. 1. ſ. gallarum, balauſtiarum, nucis cupreſsi, ſingul. ʒ 2. putaminum malorum granatorum ʒ 1. ſ. aluminis liquidi ℥ 1. Decoquantur in aqua iuſtæ quantitatis, ad tertias, iuri decocti per colum transfuſo admiſceatur mellis roſacei colati, diacaryôn, utriuſque ℥ ſ. diamorôn ʒ 2. Commixtis omnibus, fiat collutio, cum qua mane & ueſperi dentes & gingiuæ colluantur. Proderit etiā frequens collutio ex aqua, cui acetum permixtum ſit, mane & ſtatim à cibo. Quod ſi citra exulcerationem fuerit grauis ille oris odor, iridis radicem in uino ueteri odorato maceratam, ad colluendum aſsiduè exhibere, atque etiam in ore retinere conuenit. Myrrham quoque in uino meraco dilutam, colluendam præbere oportet. Non parum etiam confert commanducatio pyrethri, tamaricis, & rutæ. Collutio item ex aceto ſcillitico, aut decocto ſaluiæ, aut ſolo uino. Decoctum quoque mentæ in aceto & aqua iuuat, ſi illo aſsiduè os colluatur. Hoc ſanè bonum facit odorem, & dentes dealbat. Habet ſalis candidi, pumicis, origani, ſingul. ʒ 2. radicis iridis ʒ 1. florum iunci odorati ʒ ſ. Contritis omnibus iis & commixtis, dentes fricato. Si à calida intemperie fiat oris fœtor, contrariis curetur medicamentis. Sin ab humore in ore uentriculi corrupto

Curatio. Collutio oris. Odorē bonū faciens, & dentes dealbans. Si à calida intēperie.

accidat, per ea quæ humorem illum uacuare possunt sanetur. Commodißimè autem ea quæ in ore uentriculi sunt, per uomitum educuntur. Qua uerò ratione uomitus sit concitandus, diximus cap. 33. Post hæc medicamenta quæ stomachum roborare possunt exhibenda, qualia sunt odoratum rosaceum, diambar, hydromalum, & eiusmodi. Medicamenta uerò quæ in omni causa competunt, sunt garyophylli, mastiche, macer, lignum aloës, cinnamomum, rosæ, santali, nux moschata, carpesia, & alia huius farinæ. Hæc sufficiant. quotquot enim sunt alia capitis mala, quorum nominatim curationem hoc in libro non perstrinximus, facilè ex ijs quæ diximus, curare cuiuis licebit.

Remedia in singulis causis competentia.

LIBRI PRIMI FINIS.

LEONHARTI FVCHSII DE MEDENDIS SINGULARUM PARTIUM CORPORIS HUMANI À SUMMO CAPITE AD IMOS VSQUE PEDES MALIS, LIBER SECŨDUS.

De columellæ inflammatione. Caput. I.



ARNOSA *quædam particula in summa oris parte dependẽs apparet, si quis toto ore plurimum aperto linguam deprimat: quæ quidẽ ueteribus Græcis duobus appellata est nominibus, γαργαρεὼν & κίων, hoc est, gurgulio & columna: posterioribus uerò propè omnibus κιονὶς, id est, columella uocata est. Hæc sæpe admodum inflammatione infestatur, id quod ex influxu sanguinis aliorumq; humorum à capite descendentium accidit. Visui malum subiectum est, acceditq; in degluttiendo difficultas, dolor, tumor, & rubedo columellæ, & febris. Victus ratio talis ferè, qualis in reliquis inflammationibus constituenda. Conuenit autem maximè quies, & taciturnitas, inediaq;. In cœna parum, aut nihil comedendum. Curandi ratio, si plenitudo corporis adsit, à uenæ sectione ordienda erit. Incidenda uerò initio uena in cubito exterior,*

γαργαρεὼν, κίων.

Columela.

Causa.

Signa.

Victus.

Curatio.

Venæ sectio.

quam humeralem nominant, deinde ea quæ sub lingua est.
Auersio. Aluus præterea clysteribus subducenda, ut scilicet hac ratio-
ne non solum uacuentur, uerum etiam à loco patiente con-
fluentes humores deorsum trahantur. In hunc etiam usum
cucurbitulas scapulis affigere oportet. Neq; sanè prætereũda
sunt præsidia, quæ fluxum humorum reprimere ualẽt. Nam
ut in alijs omnibus, in quibus ex influxu humorum morbus
existit: ita & in hac parte prima auxilia fluxum reprimunt.
Adstringẽtis itaq; facultatis hæc esse oportet. Et si quidẽ mo
deratus sit humorum influxus, ea quæ moderatè adstringũt,
qualia sunt quæ austera nuncupantur, adsumenda. Vbi autẽ
uehementior fuerit, acerba etiam sunt adiungenda. Ambo si-
quidẽ adstringunt, sed imbecillius austera, uehementius acer
ba, ut copiosè lib. 4. De simpl. medic. facul. cap. 6. & 7. mon-
Collutiones. strat Galenus. Collutionibus igitur ex ijs paratis utendum,
inter quas moderatæ sunt quæ ex palmulis decoctis, aliquan-
do in sola aqua, aliquando etiam adiecto modico melle. Simi-
liter autem & ex rosis, pampinis uitis, rubo, cypero, cytinis,
siliquis, radice mori, malis austeris, aut acerbis, & sorbis.
His fortiores sunt quæ ex decocto myrti, & baccarum eius,
item acerborum malorum cotoneorũ, & surculis quercus,
similiterq; glandium eius, mespillorum, & cornorum paran-
tur. Præclarißimæ uerò cõficiuntur ex gallis, rhu obsonio-
rum, acatia, & utriusque punici mali floribus, & earundem
putaminibus. Mirum autem, quantum prædictorum mixtu-
Composita medicamenta. ræ, simplicium & immixtorũ usum excedant. Inter compo-
sita uerò medicamenta plurimum præsidij affert hoc quod
habet: Liquorum stillaticiorum rosarum, plantaginis, oxa-
lidis, prunellæ, solani, singulorũ ℥ 2. diamorôn, succi medica
ti è ribes ℥ ß. succi medicati ex oxyacãtha ʒ 2. ß. aceti in quo
Gargarisma. rhus maceratus sit ℥ 1. succi malorum granatorum ℥ ß. Mi-
sceantur

ſceantur ſingula, & cum ijs os colluatur. Aliud æquè præſtans, quod accipit: Roſarum purpurearum, rubi, utriuſque m̃ 1. balauſtiorum, putaminis malorum punicorum, gallarum, glandium quercinarum, ſingu. ʒ 1. rhoïs, hypociſthidis, acatiæ, ſingul. ʒ 2. ſeminis oxalidis & cotoneorum, utriſque ʒ 1. Decoquantur in lib. 1. aquæ fontanæ dum medietas relinquatur. Iuri per colũ transfuſo adijciatur diamorôn ℥ 1. Succi medicati è ribes, diacaryôn, utriuſq; ʒ 2. ß. aceti optimi ʒ 6. Commixtis omnibus, fiat gargariſma. His quidẽ medicamentis in principio morbi utendum, & tunc potiſſimum, ubi affectus non habuerit maiorẽ cauſam, nec ægri corpus multis refertum fuerit humoribus, neq; pars affecta phlegmone natura imbecilla extiterit. Sin contrà euenerit, ſæpe quidem initio, ſæpe uerò paulo poſt, hoc eſt, tertio die, quippiam ex diſcuſſorijs medicamentis cõmiſcendum erit, ut eſt lini ſemẽ, fœnogræci, & altheæ, radix iridis, atq; mel. Quare medicus perſpecta caloris in ipſa inflammatione magnitudine, conſiderataq; influxus ad eam multitudine, atq; amplius in toto corpore humorum copia perpenſa, uel eorum quæ adſtringunt, uel quæ diſcutiunt augebit mixturam? Porrò quotquot ſunt eius generis medicamenta, hæc tepida adhibeantur, ſiquidem ea quæ inflammatione laborant, frigus non tolerat. Poſt uigorem diſcuſſoria medicamenta tuto adhibentur, niſi columella indurari cœperit. tunc enim emollientibus etiam utendum erit medicamentis lini ſcilicet ſemine & fœnogræci, maluæ, altheæ, tragacantha, & ſimilibus è quibus gargariſmata parari poſſunt. Poſthæc diſcutientibus ut eſt hyſſopi, caricarum, & radicis glycyrhizæ decocto, uti oportet. Si uerò ad ſuppurationem tendat, id quod ex eius colore deprehenditur, nec ſua ſponte à collutionibus mulſæ, & oxymelitis ſcillitici pus erũpat, ferro aperiẽda erit. Poſt puris eruptionem

Medicamẽta hæc tepida adhibenda & cur.

nem extergentibus & purgantibus medicamētis, ac subinde glutinantibus, potissimum autem eupatorij succo utendum.

De laxata columella. Cap. II.

NOn raro accidit, ut columella laxata radici linguæ ac faucibus incumbens propendat. Quapropter initio eandem curandi rationem adhibe quā eius inflammatio exigit. Corpus enim & caput principio uacuanda per medicamenta capite præcedenti dicta. Quibus peractis, collutiones & gargarismi ex ijs quæ adstringunt, & exiccant parētur in hunc modum: Rosarum purpurearum, oxalydis, eupatorij, singulorum fasciculum manipularem unum gallarum ʒ 2. aluminis ʒ 1. myrrhæ, thuris, utriusq; ʒ ß. seminis lini ʒ 1. ß. Coquantur in aqua ad tertias, & iuri decocti per colum trāsfuso adijciatur aceti optimi ℥ ß. & fiat gargarisma. Prosunt etiam pulueres per calamum uel arundinem insufflati, qualis est qui habet: Rosarum siccarum, gallarum, aluminis scissi, singul. ʒ 1 ß. piperis, zingiberis, utriusq; ʒ ß. myrrhæ ʒ 1. Contusa & cribrata per calamum insufflato. Nuces etiam accipe uirides & exiccato, & palmularum ossa ubi uelis sufficienter exurito, & amborum æquales partes misceto, ac siccis tritis utitor. Item gallæ immaturæ, salis ammoniaci utriusq; ʒ 1. Trita insufflato. Per ea itaq;, quæ dicta sunt, in naturam suam reducere columellam oportet, omni conatu & molimine adhibito, neque festinandum ad eius excisionem. Quod Hippocrates quoque præcipit, qui sic scriptum reliquit: "Gurgulio sine periculo præcidi & scarificari quoad rubidus ac magnus fuerit haud potest, etenim inflammatio & sanguinis ꝓfusio ei accidit. Proinde oportet hūc alijs quibusdam medicamētis per id tempus extenuare eniti." Hæc ille. Quum autē per præsidia, quibus extenuādi inest facultas

Gargarisma. Puluis. 3. Prog. 23.

tas

tus nihil iuuantur, atq; adeò suffocationis periculũ imminet, ad eius excisionem ueniendum erit, antea tamẽ aluo uacuata. Quod Hippocrates etiã loco prius citato diligẽter monuit, dicens: Vbi uerò secretũ fuerit omne id quod uuã appellant, „ sitq; pars gurgulionis extrema maior & rotunda, superior „ autẽ tenuior: per illud tẽpus manus moliri tutũ est. Sed præ- „ stat simul aluum subducere, antequã manus adhibeatur, si tẽ- Collumellæ excisio. pus ita permittat, ne æger stranguletur. Porrò ut manũ cõ- modius adferas, æger in splendẽti & claro loco collocetur, „ & nunc quidẽ os eius diducatur, mox uerò immisso forcipis „ extremo ipsa columella producta obtorqueatur. Obtorta enim uelut stupida efficitur, & illaqueata curuatur citra magnam sanguinis eruptionẽ. Quapropter immorari oportet aliquãdiu, ac eã detinere, quousq; æger tolerare possit: tũcq; auferre non supra forcipẽ incisione facta, sed ad eius fundũ. Quum enim pelliculis referta sit ipsa columella, & ob laxitatẽ cedat, prolixa sanè inspicientibus apparet. Vnde multi inexperti medici, siue per errorẽ, siue per ignorantiã altius incidẽtes, eam funditus auferũt, maximiq; incõmodi autores ægro existunt. Columella præcisa, caput reclinetur, ne sanguis ad interiora repat, ac subinde os cũ decocto rhoïs acaciæ, gallarum, adiecto stillaticio rosarum liquore colluatur. Postea ea quæ cicatricem inducere possunt, adhibeantur.

De tonsillarũ inflãmatione. Cap. III.

Tonsillæ, quæ Græcis παρίσθμια uocantur, Galeno lib. 3. Aph. Comment. 26. autore, sunt inflammationes eorum quæ iuxta isthmum sunt locorum. Hic uerò per isthmum oportet intelligere partem illam, quæ os & gulam interiacet. Sic autem per metaphoram nominatur, ab ijs qui propriè dicuntur isthmi, qui angusti quidam terræ inter duo

παρίσθμια. Tonsillæ. Isthmus.

duo maria sitæ transitus existunt. Glandium uerò, quæ in fine oris utrinq; linguæ appositæ sunt, è defluxu ex capite tumores & inflammationes, Græcis αὐτιάδες, ut loco iam citato testatur Galenus, appellantur. Verũ ipsas etiã glandulas Græci παρίσθμια καὶ αὐτιάδας, quod scilicet circa isthmum, & sibi ex opposito sitæ sint, nominant: quẽadmodum Latini tonsillas. Barbarã sectantes medicinã amygdalas nuncupãt. Hæ sanè frequẽtißimè inflãmationẽ incurrũt: calidi enim & humidi sunt earũ loci. Hoc malo magis corripiuntur hi qui plurimo sanguine abundãt, & pueri, atq; infantes adhuc lactẽtes, ex lactis haustu. Accidit etiã plerunq; adultis à nimia meri potione, & à multa ac auidiore deuoratione ciborũ, maximè acrium & asperitatẽ inducentiũ. Sic affectis transglutiendi accedit difficultas, & dolor, aliquãdo etiã febris. Incipiẽte itaq; inflãmatiõe, cibũ subtrahere oportet, & aquæ potum, aut cinnamomi decoctũ exhibere, præsertim febre simul irruẽte. In uniuersum uerò uictus ratio talis sit, qualis in alijs inflãmationibus. Cibi autẽ sint sorbiles, quod aliàs deglutiri nõ poßint. Quod ad curationẽ spectat, si leuis fuerit inflãmatio, gargarismi adstringentibus & reprimẽtibus quales in principio inflãmatæ columellæ aßumũtur, utendũ. Cauẽdũ tamẽ inter initia, ne mel gargarismis admisceatur: habet enim acrimoniã, & irritat. Verũ si inflammatio uehemens fuerit, & periculũ suffocationis imminet: uena cubiti exterior, quã humeralẽ uocant, eiusdẽ lateris incidẽda est, repetita sanguinis detractione: maximè si iuuenis sit æger, & multo sanguine abundet. Quod si uenter nõ probè egerat, inijciẽdus est clyster. Infantiũ uerò uentres glande immissa, & sedis illitionibus irritare oportet. Post euacuationẽ reprimẽtibus utendum medicamẽtis, idq; ad morbi usq; uigorẽ. Hæc uerò omnia, ut antea quoq; monuimus, tepida

Margin notes: αὐτιάδες (beside line 3); Causæ. (beside "fantes adhuc lactẽtes"); Signa. (beside "tione ciborũ"); Victus. (beside "tet, & aquæ potum"); Curatio. (beside "quod aliàs deglutiri"); Venæ sectio. (beside "uena cubiti exterior"); Reprimẽtia. (beside "cuationẽ reprimẽtibus")

pida sunt exhibenda. Extrinsecus autem leniter fouere conuenit spōgijs impositis. Cataplasmata quoq; ex farina hordei, semine lini fœnogræci, & similibus imponenda. Remittente autē & declinante inflammatione, mel in gargarismos admiscere conuenit: quod in principio, & in augmēto minimè faciendum, ne acrimonia quam obtinet, fluxum concitet. Hoc etiā tempore calidiores gargarismi prosunt. Extrinsecus autē lana mollis oleo tincta collo circumponēda. Quod si ex usu acriorum collutionum aut gargarismorum inflammatio exasperetur, & mordacitas inde accidat, lenioribus utendum, qualis est ptisanæ succus. lac etiā tepidum gargarissandum. Remittente uerò inflāmatione & dolore, prædicta oris remedia sunt illinenda, immisso digito medio, ita ut cū leni adhibita illitione, partes tonsillarū quæ intumuerunt cōprimantur, quo cōtentā in se materiā excludāt. Veruntamen non uiolenter cōprimere oportet, quēadmodum quidā faciunt: qui autores ob id fiunt, quo inflammatio amplius augeatur. Si tamen aliquem hac ratione lædi contigerit, cōtenti erimus exhibitione lenientium gargarismatum, nihil illinentes. Quod si à prædictorum remediorum admonitione melius non habuerint ægri, suppurationem expectare oportet, quam etiam ex inflammationis augmento, & exacerbationibus ad uesperam fortioribus dignoscere licebit. Vbi autem suppurationem futuram speramus, coadiuuare oportet, ut quàm citissimè fiat. Quare tunc exhibendi sunt gargarismi calidiores, uelut aqua mulsa calida, & decoctum caricarum, hyssopi, & seminis altheæ. Extrinsecus cataplasma ex hordeacea farina, & fœnogræco, cum decocto caricarum, altheæ & melle. Quum suppuratio perfecta fuerit, dolores minuuntur, & inflāmationis tumor mollior redditus, digito cedit: tunc sanè acriores collutiones exhibendæ sunt, ut scilicet

Suppurationis notæ.

cet

cet abscessum rumpant: In cibo accipiēda frusta panis, aqua macerata q̃ maxima, & reliqua similiter quæ eis pro cibo offerūtur aceruatim ingerant. Vehemētiore enim ex ijs circa tonsillas obuolutione facta, consimili modo tumores adficiuntur, perinde ac si sectionem sustinerent. A' ruptura caput ægri inclinetur ad humoris commodiorem exclusionem, & aquam mulsam gargarisset, per se, postea etiam admixto lenticulæ & rosarum decocto. Atq; ijs sanè immorandū est. donec penitus ad cicatricem perducatur.

De serpentibus & malignis tonsillarum vlceribus. Cap. IIII.

Causæ. Malina tonsillarum ulcera interdum præcedente earundem fluxu incipiunt. Aliquando autem à cōsuetis fieri inflāmationibus, potissimū efferatis, perficiūtur. Fiunt autem frequentissimè pueris, atq; etiam ætate iam perfectis, maximè ijs qui uitiosis humoribus abundant. In pueris uerò

Signa. aphtha præcedēte omnino perficiuntur. Colore similia sunt crustis, quæ ferro inuruntur. Accidit etiam ægris siccitas in transglutiendo, & suffocatio coaceruatim incidit, maximè quum rubor subit mentum. Vbi humorum acrimonia præcesserit, nome quæ depascitur locos excipit, succeditq; una

Curatio. putrefactio. Festinanter ijs auxilium adferre oportet. & si sunt ætatis perfectæ, & nihil sit quod prohibeat, confidēter brachij uenam exteriorem, aut si illa non appareat, mediam incidere conuenit. Si uerò uirgines fuerint, quas circa ætatis uigorē dum mensium purgationē appetunt, hoc malum cre-

Venæ sectio. bro apprehendit, tunc eis malleoli uenæ sunt incidendæ, unica sanguinis detractione facta, non tamē usq; ad animi defectionē, ne subinde profluentibus mensibus uirtus planè concidat. Deinde aluus clysteribus, glādulis, & sedis illitionibus mouen

mouenda: atq; omnibus modis conandum erit, ut auersio ab
affectis partibus fiat. In quē usum cucurbitulæ iuxta lumbos Auersio.
affigendæ, ac ligaturis extremitatum utendum. Postea gar=
garismis uti decet, suprà in capite De columellæ inflamma=
tionibus, & sequēti dictis. Post morbi principium diamorôn
colluendum exhibeatur, mulsæ permixtum. Tum etiam iridis
decocto, & alijs loco iam citato cōmemoratis, uti licebit. Co
nandum autem est in uniuersum, ne digitum quidem tonsillis
ulceratis admoueamus, aut leni saltē tactu manum admolia=
mur. Etenim inscij ad quos maximè in rebus dubijs homines
errore quodā confugiunt, uehementius illinunt, simulq; locū
patientē cōprimunt, ac crustam detrahunt: quod minimè fa
cere conuenit, priusquam eleuatam & uix immittentē cru=
stam conspiciamus. Quod si enim adhærentem adhuc cru=
stam auellere aggrediamur, ulcerationes magis in profun=
dum procedunt, & inflammationes consequuntur, augen=
turq; dolores, & in ulcera serpentia proficiunt. Itaq; sicca
quidē remedia insufflare conuenit: liquida uerò cum pinnula
illinire, ita ut quantū licuerit, quàm penitißimè pinnulā im=
mittamus. Mirabiliter autē crustas aufert stercus caninū, cū Stercus caninum.
melle illitū: quod tum optimū erit quum oßibus canes antea
per biduū fuerint nutriti. Magnopere enim auxiliatur, neq;
odiū sui inducit, neq; insuauitatē repræsentat in cibo oblatū.
Cinis item ustarū hirundinū, & centaurij minoris usti cinis
cū melle. Oportet aūt post irritationes à medicamētis factas
lenire cū glycyrrhizæ decocto & eo qui ex mastiche, myr=
rha, tragacantha, amylo, & croco constat gargarismo. Co=
hibito autē iam ulcere pascēte, lac gargarissandum, lemnia
terra permixtum. Quid multa? in repurgandis explanādisq;
ulceribus maximè sollicitū esse oportet. Infantes enim plu=
rimi in ulcerum repurgatione conuulsionem paßi sunt. Ali=

qui uerò uia transglutiendi exiccata, sunt strangulati. Forinsecus certè fomenta adhibere cõuenit, & cataplasmata, cum cautione, ne refrigeremus. Feliciter enim res procederet, si intrinsecus detentam materiã extrà possent transferre. Cõtegantur itaq; semper post cataplasmatum ablationem, partes circa mentum, circumpositione lanarũ mollium in oleo nardino irrigatarum. Porrò ubi crustæ solutæ fuerint, & ulcera ipsa purgata, hoc remedio utendum erit, quod habet:

Illitio. Florum rosarum purpurearum ℥ 3. croci ʒ 1. ß. balaustiorũ ʒ ß. myrrhæ ℈ 1. nucum pinearum repurgatarum ℥ 2. amyli ʒ 1. rhoïs culinarij, aluminis scißilis, utriusq; ℥ 1. ß. Tritis & subactis melle, ad illitionem utere.

De angina. Cap. V.

κυνάγχη. Angina. Κυνάγχη & συνάγχη Græcis, Angina Latinis, propriè inflãmatio est, quæ in gutture uel faucibus fit. Sic dicta quidẽ ἀπὸ τοῦ κυνάγχειν ἢ συνάγχειν, hoc est, à suffocando, quod exitiosum & acutißimũ sit malũ, quod strãgulatu præsentaneũ uitæ discrimen inferre solet. Hippocrates tamen & alij ueteres omnia mala quæ in locis iam dictis accidunt, & quas spirãdi comitatur difficultas, anginæ nomine appellat.

Anginę differentiæ quatuor. Porrò anginæ quatuor differẽtiæ existũt. Vna, cum fauces inflãmantur,

Fauces. per fauces autem φάρυγγα Græci uocant, locũ intra os, ubi tum gulæ, tũ asperæ arteriæ extrema cõueniũt, intellige. Altera, quum neq; fauces, neq; reliquæ oris partes, neq; etiã externarum partium ulla inflammata uidetur, æger tamẽ suffocationis periculũ in gutturæ sentit. Tertia, ubi gutturis partes tum internæ, tum externæ iuxtà inflãmantur. Quarta, ubi ad anteriorẽ regionẽ ceruicis uertebræ luxantur, unde cauus apparet locus, & dolorẽ quum extra attingitur, æger sentit. Recentiores medici, ut Paulus

Aegine

Aegineta, & alij quidã, inter cynanchen & synanchen, item paracynanchen & parasynanchen discrimen faciunt, atque adeò συνάγχην uocãt inflammationẽ, quæ in interioribus fauciũ musculis oritur. Quæ uerò in exterioribus eorundem fit musculis, παρασυνάγχην nominãt. Quod si interiores gutturis musculi inflãmatione cõflictentur, κυνάγχη: si uerò exteriores, παρακυνάγχη his ipsis appellatur. Galenus tamẽ lib. 4. De malè affectis locis, cap. 5. & 3. Prognost. Cõment. 2c, hoc discrimẽ manifestè reprehendit. Oritur angina à sanguine copioso ac calido, præter naturã ad loca nũc cõmemorata cõfluente. Dignoscitur ijs indicijs: Spiritus nõ nisi recta ceruice, aut difficulter trahitur. Transglutiendi quoq; difficultas adest, quibusdã etiã febris. Rubor faciei, & colli. Adhæc in nõnullis etiã tumor superuenit. Aeger aperto ore hiat, atq; aërẽ attrahit. Initio itaq; præceps & cõpendiariũ auxilium omnis angina requirit. Quare protinus cubiti uenam exteriorẽ eiusdẽ lateris incidere oportet, nisi quiddam maioris periculi impediat. Parcè autem, & pluribus interpositis uicibus, non confertim, auferendus sanguis. Quippe cumulata cõfertimq; facta uacuatiõe, animo cito linquũtur, atq; adeò suffocationis periculum superuenit, & aliàs sanè ex refrigerationibus & animi defectione perfacilè materia à faucibus ad pulmonẽ defertur, & ineuitabile periculum infert. Curandum etiam, ut modica fiat uenæ diductio. Nam tum in alijs, tum in magnis uenæ diductionibus aceruatim animi defectus irruit. Neque tamen angustiorem facere uenæ incisionem cõuenit, ne sanguis uelut percoletur, & crassior eius pars intus remaneat, quæ causa huius mali existit. Vtilis est autem eis repetita detractio sequenti die, nisi præpediat ægri tumor, aut animi deliquium. Quod si ægrotans sit mulier, uena malleoli incidenda est, potißimum ubi men-

Causa. Signa. Curatio. Venæ sectio. Modica venę diductio facienda. Si ægrotãs sit mulier.

ses restricti fuerint, moderatéq; sanguis educēdus. Si per hæc parum proficitur, eas quoq; uenas quæ sub lingua sunt, incidere cōuenit, idq; primo statim die, uel secūdo. Quod si quid

Clyster. uenæ sectionem fieri prohibeat, aluus acriore clystere, qualē in capite De apoplexia descripsimus, eluenda erit. Post uniuersales autē euacuationes, cucurbitas affigere oportet. Et si

Cucurbitæ quidē tumor circa maxillas, aut sub mēto persistat, ipsi quidem tumori, & cū scarificatione plurimū sanguinis extrahere, saleq; respergere scissuras, & cōfricare. Quod si nullus extrinsecus appareat tumor, retro in collo iuxta primā uertebram cucurbitula apponēda erit, & constanti attractione

Auersio. utendum, frequentiusq; cucurbita auellenda. Auertēdi quoq; humores, ne ad dolentē atq; inflammatione affectum locum confluant. In quem sanè usum pedes aqua calida foueri debent, & extremæ partes ualidè deligari ac fricari. Collum etiam lanis succidis, aut oleo calido imbutis contegendum.

Gargarismi. Gargarismatis quoq; statim per initia utendum, quæ neque uehementer repellunt, neq; solum discutiunt. Quæ enim admodum repellunt, ea humores ad pulmonem trudēdo, suffocationis periculum afferūt. Quæ uerò tantum discutiūt, plus ratione sui caloris quàm par sit, attrahunt. Quapropter ubi initium fuerit cum multa inflammatione, ea quæ leniter adstringūt, offerre oportet: uelut est rosarum, lentium, & palmularum decoctum. aut certè adstringētibus gargarismis, suprà capite De columellæ inflammatione dictis, aliquid medicamentorum discutientium commiscendum. Eius quidem generis est flos rosarum, aut rhus cum aqua mulsa decoctus, & myxarum decoctum. Quum morbus uiget cōsistit'ue ijs quibus discutiendi tantum facultas inest, utendum præpropere præsidijs, ut est decoctum fœnogræci, ficuum, uuarum passarum, glycyrrhizæ: uel ualentiorum, iridis nimirum

radi

radicis, hyssopi, nigellæ, abrotoni, cum oxymelite. Licebit itaq; hoc tempote uti tali gargarismo, qui habet: Glycyrrhizæ decorticatæ ℥ 1. uuarum passarum ℥ ß. caricarum numero 6. fœnogræci ʒ 2. hyssopi, abrotoni, utriusq; m̃. ß. Coquãtur in libra una fontanæ aquæ, donec medietas absumatur. Iuri decocti colo trãsfuso adijciatur mellis rosacei colati ℥ 1. ß. oxymelitis simplicis ℥ 1. Cõmixtis omnibus, fingatur gargarismus. Item stercus caninum, quale prædiximus cap. 4 aridum cõtusumq́;, & cribratum cum melle, quàm penitissimè illitũ, ut transglutire poßint, præstantißimum, Galeno etiã autore, remedium existit. Est autẽ eiusmodi, quod colore candidum est. Hirundinũ similiter ustarum cinis mirè efficax esse solet. Foris deniq; ceruici, quæ concoquere & discutere possunt ea quæ inflammatione laborant adhibeantur cataplasmata, quale est quod accipit: Farinæ seminis lini fœnogræci, hordeaceæ, singul. ℥ 1. seminis altheæ ʒ 3. maluæ, florũ camæmeli, meliloti, singul. m̃. 1. Coquãtur in aqua donec mollescant, dein in mortario contundantur, & informetur cataplasma. Vel adiectis oleorum chamæmelini, liliacei, utriusq; ℥ 1. ß. & iterum ebullitis, fingatur emplastrũ. Neq; inutile erit, si collum oleis chamæmelino, anethino, liliaceo inungatur: aut decocto fœnogræci, meliloti, chamæmeliq; foueatur. Qui angina infestantur, triduò aqua mulsa pro cibo utantur, inde ptisanæ cremore per se, aut cum suaui quadam potione. Præditus enim est is succus facultate extenuandi, discutiẽdi, alendi & refrigerandi. Vbi inflammatio remiserit nonnihil, & æger iam melius deglutire cœperit, ouorum lutea per liquida, ac sorbitio ex alica præbenda. Quid multa? cibi ægrotantis uiribus respondeãt: ideoq; immodica alimẽta uitanda. Somnus quoq;, ut in alijs omnibus inflammationibus, sic in angina omnium maximè fugiẽdus. Nam in somno,

Gargarismus. Stercus caninum. Cataplasma. Emplastrũ Victus. Cremoris ptisanæ facultas.

Epid.6. Par.5. Aph.29. ut Hipocrates dixit, sanguis intrò repit, atq; adeò humorum ad locum patientem defluxum auget.

De tussi. Caput VI.

Causæ internæ. TVßis uariæ sunt causæ. Nam intemperies frigida instrumentorum raspirationi seruientium, Galeno lib.2. De sympt.causis teste, tußim efficit. Humor item à capite ad asperam arteriam destillãs, & sola asperitas mẽbranæ asperam arteriã intrinsecus ambiẽs, tußim irritãt. Qui præterlabuntur etiam potus & cibi, tußim mouent. Lumbrici quoq; stomachũ infestãtes, tußiculas paruas excitant. Acris deniq; humor stomachum perturbans, ac irritantẽ aliquam qualitatem ad fauces demittẽs, tußim facit. Insuper humor in pulmone & thorace detentus, in pulmonis inflammatione, morbo laterali, & tabe, maximæ tußis causa existit. Externæ. Inter ea quæ extrinsecus adueniunt, atq; tußim mouere possunt, sunt fumus, puluis, & quicquid est eorum quæ asperam arteriam exasperant. Signa frigidæ intẽperiei. Signum autem propter solam frigidam respirationis instrumentorum intemperiem tußientium est, quod sic affecti nihil inter tußiendum expuunt. Neq; uiolenta tussis, neq; coacta, sed adeò exigua est, ut non solùm per spiritus detentionem supprimi, & ne eueniat prohiberi poßit: uerumetiam, nisi magna admodum fuerit, sanari, eò quod per spiritus inhibitionem frigefactæ particulæ calefiãt. Præterea qui hac tußi laborant, per crebras inspirationes magis irritantur, frigiditate uidelicet exinde intentiore facta & aucta. Quare si hi leniter inspirant, ac aërem attrahunt, & in calida domo uersantur, parum, aut omnino nihil tußiunt. Facie deniq; sunt pallida, siti nulla premũtur: calidis optime, frigidis malè afficiuntur. Quæ singula, ut alia omnia, Hippocrates lib.6. Epid. Par. 2. Aph. 12. breuiter admodum ijs comple

complexus est uerbis, inquiens: Tusses siccæ, leuiter irritantes, non admodum siticulosæ, non à maligno, sed uento potius accidunt. Id uerò hinc manifestū fit, quando loquuntur, aut os aperiūt, tunc tußiunt, quum uerò non, minimè. Hæc ille. ,, ,, ,, ,,

Quæ uerò cum titillatione partiū ab utraq; parte palati cōtingunt tusses, palàm ostendunt defluxum à capite ad asperam arteriā deferri, itemq; ad pulmonem: id quod ex difficili quæ comitatur spiratione, facilè deprehenditur. Quod si sic affecti nihil expuant tenuē esse defluxum indicat, qui expulsione spiritus dissectus, præ tenuitate sua nō ultrà fertur, sed rursus fluxum reflectit. *Signa humoris à capite ad asperā arteriam destillantis.*

Ratio uictus pro causarū diuersitate uariabitur. Si enim ex frigida intemperie instrumenrorū respirationi seruiētium orta fuerit tußis, aër & uentus qui inspirantur, cibi etiā potus frigidi uitandi erūt. Sin ob humorē à capite destillantē excitabitur tußis, talis sit uictus, qualem suprà in capite De destillatione descripsimus. In uniuersum autem salsa acria, & quæcunq; arteriam exasperare ualent, fugienda. *Victus.*

Porrò tußis ex frigiditate instrumentorū respirationis orta, per præsidia quæ eadem excalfacere possunt curabitur. Ceruix itaq; lanis calidis uestiatur, raròinspiretur: quòd spiritus cōpreßio, ut paulo antè dictū est, nō solū tussim impediat, imò etiā sæpißimè sanet. Quare multum conducit ut ægrotantes in calida domo uersentur, & leniter admodum inspirēt. Thorax etiā calidis unguētis, quale est irinum, liliaceum, anethinum, & eiusmodi, foueatur. *Curatio tussis ab intēperie frigida.*

Si uerò humor tenuis & acris ex capite in asperam arteriā & thoracem destillās, tußim excitauerit, tū per boni succi cibos, potißimū et p medicamēta quæ refrigerāt, spißāt, acrimoniāq; ac mordacitatem temperant & obtundunt, sanabitur. In quem usum conuenit exhibere serapium uiolaceum, nymphee, de papauere, antidota diatragacanthæ, diapenidij sine *Tusis à tenuibus & acribus humoribus curatio.*

speciebus, pilulas bechicas, & id genus alia. Item ea etiā medicamenta, quæ à ueteribus dolorē leuantia & arteriaca nominata sunt. De quibus copiosißime scribit Galenus lib. 7. De cōp. medic. secundū locos. Inter alia uerò hoc potißimū

Ecligma. cōfert ecligma, quod habet: Sacchari uiolacei & nymphea, utriusq; ℥ ß. diatragacanthæ, diapenidij sine speciebus, utriusq; ʒ 6. succi glycyrrhizæ ʒ 2. pilularū bechicarum ʒ 1. styracis calamitidis ʒ 1. ß. myrrhæ, rosarum siccarum, utriusq; ʒ 1. tragacanthæ, nucum pinearum, utriusq; ʒ ß. serapij uiolacei quantū ad excipiendū satis est, fiat ecligma. In eum locum referenda uenient & ea medicamēta, quæ suprà in capi-

Tussis à crassis & viscidis humorib⁹ curatio. te De destillatione dicta sunt. Cæterum si crassus & uiscidus humor tußis causa fuerit, per ea quæ incidunt & extenuāt medebimur. Quare tum exhibenda ægrotantibus sera-

Decoctum pia de glycyrrhiza, de hyssopo, de praßio, è calamintha, & similia. Aut decoctum hoc, quod accipit: Radicū iridis, petroselini glycyrrhizæ singul. ℥ 1. radicis helenij ℥ ß. caricarū num. 7. uuarū passarū mūdatarū ℥ 1. seminū urticæ, anisi, fœniculi singul. ʒ 2. hyssopi, adiāti, scabiosæ, marrubij, singu. m̄. 1. ß. agarici optimi ʒ 1. Coquātur in aqua fontana iustæ quātitatis, donec tertia pars absumatur, dein colo transfundātur, & iuri decocti adijciantur serapij de hyßopo, è marrubio,

Purgatio. utriusq; ℥ 2. ß. fiatq; potio. Postea, si ita è re ægrotantis esse uidebitur, corpus per ea medicamenta quæ crassos & lentos humores purgāt, euacuandū. Inter alia uerò cōplura, quæ in superiore libro à nobis dicta sunt, unicè cōfert agarici dilu-

Agarici dilutum. tum, quod in eū paratur modū: Accipe agarici electi ʒ 2. zinziberis ℈ 1. salis foßilis grana 5. Trita macerētur per noctē in uini albi odoriferi ℥ 2. liquorisq; stillatitij absinthij, & fœniculi, utriusq; ℥ 1. Mane colentur & exprimantur, atq; adijciātur compositionis indi maioris ʒ 2. ß. oxymelitis scyl-

litici

litici ℥ ß. & formetur potio. Vacuato tandẽ corpore, ecligmata, quæ officinis hodie Arabica uoce loch appellantur, deuoranda erunt, cõmixtis interdum alijs antidotis in hũc uel consimilẽ modum. Accipe eclygmatis è pino, sani & experti, Ecligma. *è scylla, singu. ʒ j. diaireos solomonis ℥ j. pastillorum thoraci adaptorũ ʒ j. ß. pulueris diapenidiôn cũ speciebus ʒ j. pulueris radicis helenij, iridis, utriusq; ʒ j. ß. succi glycyrrhizæ ʒ j. ß. serapij de marrubio quantum ad excipiendum sufficit. Thorax præterea extrinsecus inungatur oleis calidis, liliaceo, irino, amygdal. dulcium, adiectis pinguedinibus, & alijs hoc quidẽ modo: Accipe oleorum liliacei, amygdal. dulcium,* Vnguẽtũ. *utriusq; ʒ. j. pinguedinis gallinæ ʒ j. ß. butyri recẽtis ʒ ij. succi fœnogræci, radicis altheæ, utriusq; ʒ j. styracis ʒ ß. pulueris radicis helenij, iridis, utriusq; ʒ. j. croci ℈ ß. Cum cera quod satis est, fiat unguentũ. Reliqua quæ ad tußis curationẽ necessaria sunt, ex capite De destillatione petenda erunt.*

De asthmate Cap. VII.

Q*Vi circa febrem crebrò respirant, ut solent, qui citatiore cursu fatigati sunt, à symptomate quod superuenit, medicis Græcis ἀσθματικοὶ, Latinis anhelosi & suspiriosi appellãtur. ijdẽ ab alio symptomate, qđ scilicet perpetuo uniuersum supra thoracẽ corpus penitus rectũ habere cogũtur, metuentes ne suffocẽtur, ὀρθοπνοικοὶ, quasi dicas, non nisi recta ceruice spirantes, nominantur. Inspiratio enim minor ipsis cõtingit, quàm respirationis frequentia expostulat, quãuis thorax plurimũ ipsis diducatur. Ex quo manifestum fit, coarctationẽ locorum præter naturam intrinsecus adesse, cuius etiã manifestè ægri sensum pcipiũt. Fit itaq; asthma, quũ aut crassorũ, & tenaciũ humorũ* Causæ. *copia pulmonis bronchijs cartilaginibus'ue fuerit infarcta:*

ἀσθμαστικοί. Suspiriosi. ὀρθοπνοικοί.

aut tumor quispiam abscessui similis in ipso constiterit. Similiter uerò difficulter spirāt, qui asperā arteriā à multa destillatione repletā habēt. Facilè autē inuicē hæc mala distinguntur. Nam destillatio etiam sanis ex manifesta causa confestim accidit, in totum ferè citra febrē, cōcomitantibus etiā proprijs destillationis indicijs. Si uerò tumor abscessui similis in pulmone fiat, necessariò febris cōsequitur: neq; ita diu post, inflāmatione suppurata, pus cum tußi reijcitur. Si autē nonnullis crudum tuberculum gignatur, ij neq; grauitatem magnā sentiunt, neq; difficultate spirandi admodū infestantur. Qui uerò propriè asthmatici & orthopnoïci appellantur, in totum febrē non habent, grauitatis autē sensus eis contingit, neq; quippiā purulentū per sputum reiectāt. Porrò uictus ratio in uniuersum calida & sicca sit. Quapropter uitandus aër frigidus & humidus. Carnibus utendū perdicum, auicularum montanarum, gallinarū, caporū, & eiusmodi. Fugiēdi pisces, fructus, legumina, et itē omnia alia quæ crassos & lentos humores procreare possunt. Vsus frequēs sit hyssopi, oreoselini, & fœniculi. Vini quidē potio ambobus cōuenit malis, saltē tenuis substantiæ. Potus uerò in uniuersum sit exiguus, ijs quibus abscessus oboritur: multus autem, quibus bronchia & cartilagines tenacibus & craßis humoribus sunt obstructa. Siquidē eos humores repurgātia et abstergētia medicamēta, necessario tusses cōmouēt. Verū nō facilè per sputū reijcitur ob craßitudinē, id quod repurgatum & abstersum est: humectatione igitur multa, quo facilius efferatur, indiget. Exercitio ante cibum utendum, at nequaquā subito, quod cōplures hac ratione extincti sint. Frictiones thoracis prosunt. Animi perturbationes, ira potißimum & mœror, fugiendæ. Cæterū curatio prædictorū malorum quiddā commune obtinet, quiddam etiā propriū. Cōmune

Signa.

Victus.

Curatio.

mune quidẽ utrisq;, ut redundantia humoris hæc uitia pro=creantis absumatur & aboleatur. Propriũ uerò, ut si à crassis ac tenacibus humoribus oriatur malũ per extenuãtia & extergẽtia medicamẽta sanetur. Si uerò à tumoribus abscessui similibus pathos fiat, per extenuãtia & exiccantia. Quæ quidẽ curandi ratio uniuersis in profundo corporis latentibus cõmunis est. In craßis itaq; & tenacibus humoribus cõueniũt ea quæ citra uehementẽ calefactionẽ extenuãt & abstergunt medicamenta. Siquidem ab immodico calore, ueluti etiã frigore, craßi & tenaces humores magis crassescũt, coguntur, cõtrahunturq;, ita ut subinde difficulter abstergi & auelli poßint. Quare eis maximè prodest oxymeli scylliticũ, ipsaq; scylla assa, cum melle trita & delinita. Serapia item ex glycyrrhiza, è marrubio, & hyssopo, atq; decoctum quod paulo antè in capite de tußi commemorauimus. Quod ad euacuationẽ spectat, si neceßitas urgeat, uena in cubito media, aut interna præ omnibus ijs incidenda, & tantum sanguinis, quantum uires patiũtur, detrahendũ. Sin corpus plethoricũ haud fuerit, præmissa humorũ ad euacuationẽ præparatione, medicamenta fortiora, quæ crassos & tenaces humores uacuãt, frequenter propinãda. Quare in hunc usum cõueniunt catapotia de agarico, & cochia uocata, item diaturpetu cum rhabarbaro scenitico, cõpositio indi, & diaphenicõn, Dandũ etiã agarici dilutum, quod præcedenti capite descripsimus. Aluus præterea clysteribus ualidioribus eluẽda. Vomendũ etiã per interualla ex sumpto raphano, & alijs quæ uomitum citant, de quibus capite. 33. libri primi diximus. Interea tamẽ dum frequẽtior sit purgatio, exhibenda erunt medicamenta, quæ sensim & paulatim humores in thorace extenuare ac discutere possunt. Proinde aristolochia rotũda, helenij & iridis radices, urticæ semen, hissopus, nigella,

Si crassi sint humores.

Præparatio humorum.

Vacuatio. Venæ sectio.

Purgatio.

nigella, calamintha, & id genus alia medicamenta, è quibus decocta, uel ecligmata construere licebit, assumenda. In quē usum etiā ea ecligmata quæ suprà in capite de tussi recensuimus, cōpetent. Extrinsecus thoraci cataplasmata è ficubus, & hordeacea farina, magis uerò ex loliacea habente resinā, mel, & ceram commixta, imponenda. Thoraci etiā olea & unguenta calefacientia, irinum, anethinum, rutaceū, & eiusmodi admouenda. Tale est, quod habet: oleorū anethini, rutacei, utriusq; ℥ ß. adipis gallinæ, anatis, utriusq; ʒ 2. Radicū iridis, helenij, dracontij maioris, singul. ʒ 1. seminis lini ℈ 2. styracis ʒ 3. ceræ quod satis est, fiat unguentē. Thorax tamē nunquā non antea fricandus linteo aspero, quo reseratis ac diductis meatibus uis medicamentorū ad profunda prōptius penetrare ualeat. Cæterū ijs etiā medicamētis utendum, quæ exulcerare cutē, & saniē serososq; humores extrahere possunt, qualia sunt quæ rubefacientia nominātur. In hunc usum thorax & pectus cū urticis confricari & cædi potest. Loci autem rubefacti cum lauacro ac oleo calido curandi. Porrò in malo inueterato, & omni medicina frustra adhibita, ad ustionem confugiendum erit. Quæ qualis esse debeat, docet Aëtius lib. 8. cap. 57. Quod ad abscessus attinet, qui attenuantibus & resiccantibus indigent medicamentis, ut dictum est, sciendū eos aromatū maximē facultatibus gaudere, quod scilicet hæc omnia sint tenuiū partiū, & exiccatoria, nec nō calefacientia. Quare tum antidota ex ijs cōposita, ut est theriaca, mithridacion, diamoschi dulcis, diambar, odoratū rosaceum, & id genus alia, maximè danda sunt asthmaticis.

Vnguētū.

Abscessus curatio.

De pleuritide. Cap. VIII.

Pleuritis.

Πλευρῖτις, exquisitè & propriè loquendo, inflammatio est mēbranæ intrinsecus costas & latera succingen

cingen

cingentis. Latinis lateralis dolor appellatur. Nec temerè adiectum est (exquisitè & propriè loquendo) siquidē ex cruditatibus plurimis, cibisq; craßis ac pituitosis crudi, lentiq; & craßi humores in corpore generātur, qui nōnunquā repentè se in uacuū thoracis locum, Aetio lib. 8. cap. 68. teste, ingerunt, aut in ipsum etiā pulmonē, atq; sua multitudine succingentē latera intrinsecus membranā distendētes inferūt dolores, ut imaginatio factæ inflāmationis imperitis exhibeatur. De ea itaq; hic nihil agetur, quod curatio eius ab asthmatis curatione parū, aut nihil absit. Pleuritis, quæ succingētis intrinsecus latera mēbranæ est inflammatio, fit ex sanguine copioso calido, ad iam dictam membranā præter naturā cōfluēte. Hāc cōseqtur spirādi difficultas, tußis febris cōtinua, dolor uehemēter pungēs, pulsus durus, & serræ modo asper. Quod si sputū rubrū & cruentū fuerit, sanguinē superare significat. Sin flauum & subpallidū, flauā bilem. Quemadmodum si albū fuerit, & leuiter spumosum, pituitā: nigrius uerò, melancholiā in sanguine præualere mōstrabit. Succo ptisanæ primis duobus diebus cōtentus in cibo æger sit. Deinde quū ptisana amygdalæ mūdatæ & tritæ, decoquātur, idq; matutino potißimum tēpore. Vespere sumat lac amygdalarū, aut panis puri micas cum iure gallorum, maximè ubi ægri uires imbecillæ fuerint. Pisces etiam saxatiles in declinatione potißimum morbi dare cōuenit. Acerba & adstringentia in uniuersum omnia uitanda. Potus sit aqua in qua decoctū sit cinnamomū. Frigidā aquā, quod sputū incrudescere faciat, tanquam summè exitiosam uitet æger. Vino quoq; omnino arceatur. Decumbat in latus affectum. Iram & mœrorem, aliasq; animi perturbationes molestas fugiat. In curandi ratione principio diligenter à medico erit considerandum, num corpus ægri plenitudine laboret nec ne, ut nimirum intelli

Dolor lateralis.

Causa.

Signa.

Victus.

Acerba & adstringentia vitāda.

Curatio.

intelligat, quãdo calorificis medicamentis inter initia dolor mitigari ac dissolui poßit, & quando minus. Si enim corpus plethoricum nõ sit, tum incipiente phlegmone, calefacientibus medicamẽtis & fomẽtis, dolor mitigari & discuti debet. Nempe Galeno lib. 2. Vict. acut. cõment. 1. teste, fomẽta calida cutem ipsam ad perspirationes rariorẽ efficere, phlegmonisq; sanguinem tum tenuare, tum per halitum digerere cõsueuerunt. Quæ si facta fuerint, non solùm aliquid sanguinis euacuabitur, uerumetiã partes affectæ, quæ minus distendũtur, mitius subinde dolebunt. At si uel plethoricũ corpus fuerit, uel malo succo redũdet, ut lib. 13. Ther. meth. testatur Galenus, curatio per ea quæ sic calent non inchoanda, fluxionẽ enim ad partẽ affectam citat. Siquidẽ pars cui calorifica hæc admouentnr, plus trahit quàm euaporet. Quapropter tum fomentorum calidorum, utpote quæ dolorẽ soluere nõ possunt, nullus esse usus debet, sed totum corpus uenæ sectione præuacuandũ erit. Huc sanè respexit Hippocrates, qui lib. 2. Vict. acut. ab initio statim sic scriptum reliquit: Lateris dolorem siue is per exordia fuerit, siue postea obortus sit, tentare calidis fomentis dissoluere, non abs re existit. Tentare, inquit non abs re existit, quasi dicat: Quũ fomenta calida dolorem non soluerint, ijs diutius utendum non erit, quod scilicet sanguinis in phlegmone copiam dissoluere haud poßint, sed cõfestim ad totius corporis, per sanguinis mißionem, ueniendũ uacuationem. Secanda igitur uena cubiti interna quam iecorariam & lienarem uocant, in eo brachio quod è directo loci patientis positum est. Nam (ut Galenus in libro De curãdi ratione per sanguinis mißionem ait) Sanguinis mißio quæ è directo laborantis lateris adhibita pleuriticis fuit, clarißimam sæpe utilitatem affert: quæ uerò ex brachio opposito, aut omnino nullam, aut obscurã, aut certè post temporis in-

Si corpus plethoricũ non sit.

Fomenta calida.

Si corpus plethoricũ vel cacochymicum sit.

Venæ sectio.

ter

teruallum. Siquidem hæc non solùm à parte affecta retrahit, uerumetiã celeriter, quod in pleuritide, alijsq; inflammationibus internis maximè requiritur, euacuat: quemadmodum in nostra aduersus Brachelium apologia copiosè, multisq; argumentis demonstrauimus. Eousque autem Hippoc. loco paulo antè citato, teste, sanguis auferendus, donec uel multo rubicundior, uel pro puro rubidoq; liuidus fluxerit. A' uenæ incisione clyster leuis aluo, si modo sponte sua, ut conuenit, non deijciat excrementa, infundatur, qualis est qui habet: Maluæ, foliorum uiolarum purpurearũ, mercurialis, spinachiæ, intubi hortensis utriusq; singul. m̃. 1. hordei integri ℥ 1. Coquãtur singula in aqua iustæ quãtitatis, quoad tertia pars absumatur. Dein accipiatur iuris decocti lib. 1. medullæ casiæ fistularis recens extractæ ℥ 1. ß. oleorum chamæmelini, uiolacei, utriusq; ℥ 1. ß. butyri recentis salis expertis ℥ ß. salis uulgaris ʒ 1. Commixtis omnibus fiat clyster. A' corporis uacuatione calorifica & dolorẽ leuantia fomenta extrinsecus adhibeãtur, ut sunt sacculi, qui à posterioribus Græcis μαρσύπποι uocãtur, è floribus chamæmeli, anethi, meliloti, uerbasci, seminibus lini, fœnogræci, milio & surfure cõpositi. Aqua etiã calida, aut iam dictorum medicamẽtorũ decoctũ, aut olea in utre, uesica, uel alio uasculo adhibendũ. Quinetiã utiliter admouetur spongia magna mollisq; prædictis rebus irrigata, & subinde expressa, ac calida imposita. Vestienda uerò fomenta sunt, ne scilicet uis eorum celeriter euanescat. In hunc etiam usum cõuenit hoc emplastrum, quod accipit: Florum chamæmeli, uerbasci, anethi, singu. m̃ ß. seminis lini, fænogræci, utriusq; ʒ 3. seminis anisi ʒ 1. farinæ hordei m̃. ß. Contusa ebulliant in aqua, dum in mellis craßitudinem coëant: postea adiectis oleorũ anethini & chamæmelini, utriusq; ℥ 1 ß. ebulliant iterum, & addantur duo uitelli ouorum,

Clyster. Fomenta. Emplastrũ

croci

croci ℈ 1. & fingatur emplastrũ. Post septimum uerò diem, si eodem modo persistat dolor, cucurbita lateri affigẽda est, & cutis scarificãda. Manifestissima enim in pleuriticis utilitas ex cucurbitæ appositione apparet. Vulnuscula uerò scarificati loci sale cõspergenda, si modò sustinere ægri queãt. In alijs autem linteolũ oleo madefactum ac sale conspersum imponatur. Sequẽti deinde à scarificatione die, optimum est rursus cucurbitam affigere, quo sanguis saniosus ex impactis uulnusculis extrahatur. Hæc enim detractio priore commodior existit: nõ enim sanguis, sed sanies in secũda detractione aufertur. Non negligat etiam medicus exhibere ægrotãtie medicamenta, quæ ad sputi facilem excreationẽ cõducunt, ut est diapenidiôn, diatragacanthes, saccharum uiolaceum, pastilli pectorales, adiectis alijs ecligmatis capite de tussi commemoratis. Extrinsecus adhibẽda medicamẽta, quibus discutiendi inest facultas, ut est fœnogræcum, anethum, melilotũ, hyssopus, et similia nunc sæpius cõmemorata. Quod si tamẽ permutationis in pus signa appareãt, coadiuuare permutationem oportet, hoc aut simili unguẽto, quod habet: Oleorũ chamæmelini, amygdal. dulcium, liliacei, singul. ℥ 3. butyri salis expertis, pinguedinis gallinæ, utriusq; ℥ 2. succi fœnogræci, seminis lini, altheæ, singul. ℥ 1. ceræ quod satis est, fiat unguentum. Rupta tandem phlegmone ea quæ extergunt, atq; à pure ac sanie purificant, exhibeantur: ut est aqua mellis, aut decoctũ hordei, aut sacchari rubei. facta puris & saniei abstersione, glutinantia adhibeantur medicamenta. De quibus omnibus copiosè in capite de phthisi dicemus.

Cucurbita. Sputi eductionem facilem efficientia. Vnguẽtũ.

De Peripneumonia. Cap. IX.

Peripneumonia. Causa.

PEripneumonia inflammatio est pulmonis, cum febre acuta. Hæc magna ex parte à ualidioribus in pulmonem destilla

destillationibus, aut angina, aut asthmate, aut pleuritide, aliis'ue morbis fit. Aliquādo etiā ipsa inflāmatio mali origo est. Hoc quidē correptos cōseqtur difficultas spiritus. pulmo enim cordi incumbēs, suffocationem infert: febris acuta & ardens, grauitas distensioq; thoracis citra dolorem. Quòd si mēbranæ ipsius, quæ cum thorace secundū longitudinē eius sunt cōnexæ, fuerint inflāmatæ, etiā dolorē percipiunt. Malæ iis rubēt, & tota facies, nasus in summo fit simus, uenæ temporū eleuantur, oculi intumescunt, linguæ adest siccitas, deiectio appetitus, expiratio calida, aquæ frigidæ, magis uerò aëris frigidi cōcupiscētia, tußis sicca. Si autē quid efferatur, spumosum est ac biliosum, ampliusq; cruentum & floridum uehementer: quod etiam peßimæ significationis existit. Et si mortale malū fuerit, uigiliæ amplius aderunt, aut somni breues comatodes, extremitates frigidæ, ungues liuidi incuruantur, quarta, aut summum septima die hi moriuntur. Verū si ad salutē permutetur morbus, sanguinis eruptio abundanter sequitur, aut alui perturbatio, multis exeuntibus biliosis & spumosis humoribus. Aliquādo autē inflāmatione in pus cōmutata, per uentrē aut urinam pus excernitur, statimq; ab omni molestia liberātur. Quòd si in pulmonē irruperit aceruatim, aut suffocat, aut cum grauibus symptomatis in tabem permutatur. Quod ad cibū spectat, dāda est peripneumonicis sorbitio ex ptisanæ cremore cū melle, origano, aut hyssopo: magis enim quàm in pleuritide extenuatoriis cibis opus est. Chōdrus quoq;, seu alica, ex aqua mulsa iis nō parū conuenit. Potus sit exiguus, siquidem humiditas pulmoni nocet. Poßūt roboris tuēdi gratia, potißimū ubi suffocatio urget, uti mulsa per se, & cū nucleis pineis: aut mulsa in qua decoctum sit hyssopus, aut iris sicca aquæ mulsæ inspergēda. In uniuersum autē uictus ratio eorū qui peripneumonia laborant,

Signa. | Signa mortis. | Salutis. | Victus. | Humiditas pulmoni nōxia.

rant, præcipuè uerò qui à peripneumonia cõualeſcunt, eadẽ ferè ſit quæ pleuriticorũ. In curãdi ratione ſanguinis detractio uiãda eſt in iis, qui ex aliis morbis in hoc malũ incidũt, maximè ſi diu in hoc ſtatu fuerint, uel ſi per initia ſanguinẽ miſerint. Aluus clyſteribus ducẽda, ſi ægrè deiicit: aut cucurbitulæ, ubi nihil obſtat, thoraci & lateribus admouẽdæ ſunt, eæq; prægrãdes & multæ, cute inciſa & ſcarificata. Sin peripneumonia ſtatim ab initio inuaſerit, ſanguinẽ mittere, ſi uires & alia permiſerint, oportet. Incidẽda uerò uena in cubito interna: & ubi uires ſuſtinuerint, ex utroq; brachio ſanguis detrahendus: primum quidẽ modicè & minimè uſq; ad animi defectionẽ, ut uidelicet aſſeruetur ad repetendã extractionem. Si uerò quid ſanguinis miſsionẽ prohibuerit, cucurbitulas certè uniuerſo thoraci lateribusq; affigere oportet: iisq; tantum ſanguinis eliciendũ, quantũ uires patiũtur. Aut acri clyſtere aluum eluere cõuenit, ex decocto nimirũ hyſſopi, iridis, rutæ, adiecta colocynthidis medulla, ſale foſsili, et aliis quæ ad eiuſmodi clyſteres ſunt neceſſaria, quæ facilè ſtudioſi ex libris noſtris de cõpoſitione medicamẽtorum inſcriptis cognoſcent. Poſthæc curandũ, ut per crebrã ſputionẽ & excreationẽ, quæ certè ſit celerrima & facillima, thorax atq; pulmo expurgetur. In quem ſanè uſum ea quæ ſuperiori capite de pleuritide à nobis cõmemorata ſunt ecligmata, unguenta, & emplaſtra uſurpanda erunt. Quæ in eo tantũ diuerſa à prioribus ſint, quod quæ nũc ſunt adhibenda, omnia ualentiora eſſe, maioriq; extenuandi facultate prædita conueniat. Dandum igitur ecligma è ſcylla, è pulmone uulpis, radicis iridis ac helenii decoctum. Ceratum autem conficiendũ ex oleo rutaceo, nardinoq;, adiectis medulla ceruina, iride, hyſſopo, marrubio, tenuiſsimè tritis, & terebinthina reſina exceptis, totiq; thoraci & lateribus imponendum.

Curatio peripneumoniæ ex aliis morbis.

Si ſtatim ab initio inuaſerit.

Ecligmata.

Ceratum.

De

De sanguinis reiectatione. Cap. X.

Αιμοπτόης, uel certe rectius αἱμόπτυσις ἢ αἱματ©- πτυσις, nihil aliud Latinis significat, nisi sanguinis reiectationẽ, aut cruentam spuitionem. Hæc nonnunquã accidit à causa externa & manifesta, nempe delapsu ex alto, plaga extrinsecus illata, percußione uehementi, saltu, aut si grauius aliquod corpus thoraci inciderit, clamore denique magno, aut frigore immodico. Nam frigus uenas rumpere, Hippocrates etiam testatur. Calor quoq; sanguinis reiectionem efficere potest, iuxta id Hippocratis dictum: Calidum ubi quis sæpius utatur, profluuia sanguinis affert. Nonnunquam ex causa interna & occulta, ueluti plenitudine, sanguine uitioso & uenas erodente, atque oris uenarum apertione. Venarum autem ora aperiuntur propter uasis imbecillitatem, sanguinisq; qui ad os eius impetu ruit copiam: ad hæc acrẽ quempiam, quæ illi extrinsecus incidat, qualitatem. Ipsa uerò uasorum erosio ex acribus contingit humoribus, siue à capite in pulmonem delabentibus, siue in ipso pulmone generatis. Porrò sanguis qui reijcitur, modo ex thorace ac pulmone, aut aspera arteria uenit, modo ex alijs locis oris, aut gingiuarum, aut faucium, aut columellæ, aut uentriculo, ad quem ex uenis & partibus adiacentibus, iecore nimirum & liene, sanguis delabitur. Causæ externæ è sermonibus ægri aut aßidentium cognoscuntur. Internæ uerò per indicia eiusmodi. Si enim ob plenitudinem sanguinis reiectatio accidat, tum confertim sanguis reijcitur, & post uacuationem melius leuiusq; agunt. At si propter oris uenarum apertionem, tum calidi affectus præcesserunt: ueluti si calidis balneis plurimis usus sit æger, habitaueritq; in calida regione, consimili existente maximè anni tempore, cibis quoque

αἱμόπτυσις.

Causæ externæ.

6 Epid. Par. 3

Aph. 10.

Causæ internæ.

5. Aph. 16.

Sanguis ex quibus partibus reijciatur.

Notæ.

Plenitudinis.

Apertionis oris venarum.

& potionibus calidis usus sit. Etenim multitudo sanguinis calida existens, uenarũ pulmoni incumbentiũ ora aperit & dilatat, atq; hoc modo coaceruata effusio contingit. Si uerò ex uenarũ erosione cruentum editur sputum, non cõfertim, sed paulatim sanguis cum tußi expuitur, & semper peius habẽt. Poßibile est etiã propter erosionẽ uehementẽ, cõfertã sanguinis eductionẽ cum tußi fieri. Quod sic deprehendes: si enim præcedẽti tẽpore per modica interualla sigillatim, & cum tußi expuerit quis sanguinẽ, & sequentibus diebus neq; casus, neq; alia externa uiolenta causa acciderit, & tamẽ copiosa sanguinis eruptio prodierit, magnam erosionẽ factam esse euidẽtißimum est. Porrò si sanguis qui educitur spumosus sit & subalbidus, atq; ex interuallo prodierit cum tußi, absq; tamen dolore, firmißimum signum eductionis ex pulmone est. Si uerò pituitosa cum leuiore tußi aut excreatione reijciantur, ex aspera arteria prodijsse scito. Si ater sanguis, & in grumum concretus, cum tußi etiam & dolore partis affectæ reijcitur, ex thorace eductũ esse mõstrat, per pulmonem aut asperam arteriã facta translatione. Si uerò ex locis qui circa fauces sunt per palatũ sanguis feratur, cũ excreatione excernitur. Sin ex aliquo loco oris aut gingiuarũ, simpliciter expuitur. Accidit autem nonnunquam per palatum sanguinem educi, propter hirudinẽ deuoratam, & alicui indidem particulæ adhærescentẽ: id quod localis dolor qui cõcomitatur patientẽ particulã, & sanguis ipse qui tenuis est & serosus, ostendent. Porrò si à capite sanguis defertur, titillatio palati aderit, & frequẽs excreatio, ac tußis nonnunquam, sanguine nimirũ ad guttur delapso, iterumq; sursum elato. Ad tußim itaq; irritantur, & tamen non ualde tußiunt. Habet & suam figurã sanguis à capite delapsus. Est enim nõ adeò paucus, colore niger, leuis, cum pure aut pituita mixtus,

Erosionis venarum.

Magnæ erosionis.

Eductionis ex pulmone.

Ex aspera arteria.

Ex thorace.

Ex faucibus.

Ex ore aut gingiuis

Ex palato.

Ex capite.

xtus, & cum excreatione statim se in linguam infert rotundus, facileq; per sputũ reijcitur. Præterea magna ex parte capitis dolor, aut grauitas præcedit. Si ex stomacho eductio fiet, nõ magna sanguinis eruptio cõtinget: graciles enim stomachi uenæ existũt. Si uerò ex iecore ac liene sanguis in uentrem deferatur, aderit in dextro aut sinistro latere tumor. Quod ad uictus rationẽ attinet, utendũ cibis qui moderatam quandã adstrictionẽ obtineãt, ut sunt oryza, alica, alijsq; similes frumẽtacei cibi, quibus succus mali granati, aut pyrorũ adiectus sit. Ex carnibus conuenient columbæ syluestres, turdi, perdices, si cum omphacio seu succo uuæ acerbæ, & rhoë obsoniorũ coquantur. Vtendum quoq; cotoneis, pyris, pomis adstringentibus, moris rubi, & alijs suprà in cap. De sanguinis nariũ profluuio memoratis. Bibẽdũ uinũ crassum, rubeũ, aut p ea aqua, in qua chalybs initus extinctus est. Cauendum à clamore, frequẽti loquutione, omni corporis motu, & iracũdia. Curãdi ratio pro causarũ diuersitate uariatur. Si enim à capite fertur sanguis, isq; exiguus, simplicior & exigua sufficit curatio. Adstringẽtia enim per collutiones palato adhibita frigida, curationẽ perficiẽt. Hæc autẽ ex capite de columellæ inflãmatione petẽda erunt. A` calidis autẽ & rarefaciẽtibus collutionibus abstinendũ, quod ab ijs plus sanguinis erumpat. Quod si multũ à capite defluxerit, euacuatione opus erit. Quare citius per nares, aut per uenæ alicuius incisionẽ euacuare oportet, ne per negligentiã cõsuetudo fiat sanguini in hos locos delabendi. Qui ob destillationem sanguinẽ expuũt, ijs protinus in principio uenam incidere oportet, nisi uehementer acris humor destillauerit, ac pro uiriũ modo sanguinẽ detrahere. Dein acri simul clystere adhibito, & euacuata aluo ac frictis quàm plurimum manibus, brachijsq; & cruribus per medicamentũ calefactorium

Ex stomacho.

Si sanguis ex iecore ac liene in ventriculũ feratur.

Victus ratio.

Curatio.

Sanguinis à capite destillantis.

Curatio eorum qui ob destillationem sanguinẽ expuũt.

ac extenuatorium extremæ eorum partes deligentur. Postea si malũ diutius durauerit, raso capiti medicamentũ, cui exiccãdi & discutiendi facultas inest, quale est quod ex fimo syluestrium columbarũ constat, imponendũ, & post triũ horarum interuallum in balneum deducito, sic ut caput nulla pinguedine inungatur. Postea uerò mediocriter cõtectos sorbitionibus austeris alito, deinde dormituris theriaces antidotũ exhibeto. Sequẽti die omnibus corporis partibus, capite tantum excepto, perfrictis, in quiete adseruato, rursusq; ad uesperã theriacen exhibeto. Quòd si ex ijs destillatio nõ sistatur, tertia die mane mel parum coctum præbeto, quiescereq; sinito, ac totum corpus defricato. Quarto die post acceptã theriacen, rursus plurimũ mellis præbeto, capitiq; medicamentum ex fimo columbino imponito. Quòd si malũ diutius durauerit, cucurbitula occipitio affigẽda est. Postremum ea quæ humores qui in pulmonem defluxerunt, expurgare ualent, propinato. At si acris admodum fuerit humor, qui destillat ex capite, sanginuis detractio caueri debet, ac purgatione potius utẽdũ, alimẽtisq; & præsidijs ijs, quæ infrà dicemus, & suprà ubi de destillatione egimus, cõprehensa sunt, utendum. Qui ex pulmone sanguinẽ reijciũt, ruptis scilicet in eo uenis, aut earundẽ patefactis oris, ijs præcipiendũ imprimis, ne respirent ualde, sonũq; edant, & ut parũ loquãtur, & ferè in totũ sileant. Decumbãt in locis aëri expositis, lectoq; immobili, ac figura sublimi. His etiam statim uenam incidere oportet in cubito internam, ac sanguinis detractionẽ bis aut ter reiterare paulatim, reuellẽdi gratia. Nõ enim euacuatiõe copiosa indigent tales nimirũ à malo ipso euacuati. In hunc usum, hoc est, ut ad contrarium auersio fiat, frictionibus extremitatum, & earundem cum latis linteolis constrictione & ligatione utendum. His sic peractis, primum quidem po-

Theriace. Cucurbitula. Purgatio. Curatio eorũ qui ex pulmone sanguinem reijciunt. Venæ sectio. Auersio.

scam

scam dilutam & tepidam bibendam exhibere conuenit, ut si quis sanguinis grumus in uiscere hæreat, inde dissolutus eijciatur: neq; quicquam obstat bis & ter in tribus horis hanc potionē iterare. Post hæc medicamēta adstringētia, & meatus obstruendi uim habentia (emplastica uocāt) intra & extra corpus adhibēda. Per os quidē adsumpta proficiūt portulaca comesta, quamquam succus eius bibitus efficatior sit: succus polygoni, uuæ acerbæ, decoctum rhoïs, gallæ, calyculorum glandium, radicis rubi, balaustiorū, seminis oxylapathi, radicis equiseti, & aliorū quæ in capite de sanguinis ex naribus profluuio cōprehensa sunt. Præstantiora prædictis sunt terra lemnia, & lapis hæmatites in tenuißimū pollinē detritus, & cum succo mali punici, uel polygoni sumptus. Pondus autē lapidis hæmatitis erit scrupulus unus. Inter cōposita usus esse poterit huius ecligmatos, quod habet: Sacchari rosacei ueteris, succi medicati è ribes, utriusq; ℥.1. diatragacanthes, diacotoneôn simplicis utriusq; ʒ ß. pulueris corralliorū, lapidis hæmatitis, terræ lemniæ, singulorū ℈.2. boli armeniæ ʒ 1. sanguinis draconis ʒ ß. balaustiorum ʒ 1. thuris, radicis symphyti maioris, utriusque ʒ 1. ß. serapij myrtini, quantū ad excipēdū satis erit, fiat ecligma. Extrinsecus thorax ex uino adstringēte, oleisq; rosaceo cotoneorū, aut myrtino irrigādus. Si uerò multa sanguinis eruptio fiat, potißimum æstate, ac citra tußim eius reiectiones contingāt, neq; æger debilis sit, sed robustus & carnosus, acetum pro uino admouendū est spongijs exceptum. Proderit iam dictis oleis adijcere bolum armeniam, & terram lemniam, corallia, & similia, atq; cum cera componere unguentum, quale infrà libro 3. cap. de appetitu canino describemus. Cataplasma quoque ex palmulis, acatia, symphyti radice, cortice mali granati, & lentium farina paratum, admouendum. Nec minus

Adstringētia. Portulaca. Ecligma. Vnguētū. Cataplasma. Ceratum.

nus confert quod ex carnibus malorum punicorum, thure, corallijs rubeis, balaustijs, bolo armenia, terra lēnia, & eiusmodi cōponitur ceratum. Maximū enim hoc est, & cui animum diligenter attendere oportet, ut mox facta uasorū ruptura, & dum adhuc cruentum est uulnus concrescat, priusquam scilicet inflammatio appræhendat. Nam si inflāmatio præuenerit, parū spei est ad huiusmodi uulneris conglutinationē, quippe quæ se in multos dies extēdit. Eluere enim oportet tum pus, tum serosum sanguinē ipsius ulceris, posteaquā inflammatio fuerit soluta. Reliquam autē curationē, quemadmodum in tabidis, fieri oportet. Hic tamē monendus mihi lector erit, ne extrinsecus profluenti particulæ admoueātur tum adstringētia, tum citra adstrictionem frigida, nisi postquam in alia prius auersio facta fuerit. aliàs enim sanguinem intrò compellunt, & uenas quæ in alto sunt implent. Quare prius semper ad contraria reuellendum, ac subinde adstringentia extrinsecus imponenda. Qui ab erosione sanguinem expuunt, ijs primùm quæ acres humores in pulmonē destillantes purgare possunt medicamēta propināda, ueluti antea quoq;, & in capite de destillatione dictum est. Deinceps ea quæ alterare & incrassare acres tenuesq; humores, atque adeò sistere destillationem ualēt, ut est serapium uiolaceum, rosaceū, myrtinū, hydromalon, miuā cotoneorū uocāt, et ijs similia. In eum usum interdum serapium è papauere, & alia somnifera & stuporem quasi inducētia adhibentur. Destillatione desinēte, erosæ partes cibis boni succi, & medicamētis carnem generantibus reficiantur. Porrò qui uomunt sanguinē, ea uictus & curandi ratione quæ antea cōmemorata est utantur. Hoc est, si uenā in cubito inciderint, si ex iecore: sin ex liene in uentrem feratur sanguis, si eam quæ inter paruum & annularē digitū in sinistra manu est: & cibos & potus

Curatio eorū qui ab erosiōe sanguinē expuunt.

Curatio eorū qui uomunt sanguinem.

tus adstringentes sumpserint, sola hac cura adhibita, ne crebrò cibum aut potũ sumant. Quippe facilè curantur, si auxilia quæ bibuntur, particulis ipsis sanguinẽ fundẽtibus planè applicẽtur. Atqui sanguine in uentriculo instar grumi cõcreto, coagulũ potandũ est, maximè leporinũ, uel tymbra seu satureia cũ aceto, uel ex aloë sic affecti uacuari debent. Qui per palatum sanguinem excreant, gargarizabũt ex adstringentibus, frontiq; & capiti admouebuntur ea, quæ sanguinẽ ex naribus fundẽtibus accõmodantur. Porrò postquã omnia, ut postulat ratio peracta fuerint, & sanguinis fluor substiterit, uires ipsis reficiẽdæ sunt, roburq; adhibendũ. In primis uerò cauendus frequens usus balnei, uini potio, ira, & uenus. Curatio eorũ qui per palatũ sanguinẽ excreant.

De empyemate. Cap. XI.

Εμπύημα Græcis purulentam excreationẽ significat, Latini suppurationẽ uocãt. Hinc ἐμπυϊκοὶ καὶ ἔμπυοι hoc est suppurati & purulenti, qui hoc malo laborant, & quibus in thorace pus cõtinetur, appellãtur. Fit, quãdo abscessus in membrana intrinsecus succingẽte costas, aut aliqua alia thoracis mẽbrana factus, aceruatim rumpitur, & in uacuũ thoracis locũ, qui est inter pulmonem & succingentẽ costas mẽbranã effunditur. Accidit interdum propter sanguinis eruptionẽ, ulcere ad cicatricem non perducto. Interim etiã ꝓpter cõfluxũ ex capite, et alijs superioribus partibus illuc manantẽ. Quod in angina sæpe contingere solet, iuxta hoc Hippocraticũ: Quicunq; ab angina liberãtur, ijs ad pulmonẽ uertitur, & in septem diebus pereunt: si uerò has effugerint, suppurantur. Suppuratos autem hoc pacto cognosces. Grauitas in profundo thoracis adest, tussis ualida siccaq; cum dolore, aliquando etiam cum humiditate, ob quam releuari quoque uidentur. Febres per initia ipsis accidunt Empyema. Suppuratio. Empyici. Purulenti. Causæ. 5. Aph. 10. Signa.

cidunt languidæ, inordinatæ, & ad iudicandũ difficiles. Postquam autẽ ruptura abscessus iam appetit, uehementius cum quodã horrore febricitant, & in sermone cõturbãtur, offensi in spiratione. Rupto abscessu aliquid in profundo thorace transfluere apparet, iuxta multiplices reclinationis permutationes, & maximè quũ ab uno latere in alterũ decumbunt, tũc sanè multitudo puris manifestatur, & fluctuationis cuiusdã sonitus sæpè sensibiliter in reclinationibus ipsorum auditur. Pus etiã educitur nũc purũ, nunc feculentũ. Erumpunt autẽ suppurationes aliquæ quidẽ sursum uersus, in uacuum uidelicet thoracis locũ: & hæ periculosiores existunt. Aliquæ uerò deorsum in aluum, & intestina, ac uesicã trãsfunduntur, per uasa quædã transmißione ad eas partes facta. Quæ qualia sint, Galenus lib. 6 de patientib. locis, capite 4. ostendit. Semper autem hectica febri laborant, quoad sursum omnia fuerint educta. Qui suppuratione laborãt, aẽrẽ

Victus. inhabitẽt siccũ. Cibis utantur boni succi, & cõcoctu facilibus iure gallorũ, carnibus gallinæ, pullorũ gallinaceorum, auium mõtanarũ. Iure quoq; cicerũ cum herbis, hyssopo, & oreoselino. Potus sit aqua mulsa, ac uinũ albũ & tenue. Por-

Curatio. rò nisi in ijs qui suppuratione laborãt summa diligẽtia adhibeatur, protinus puris collectio tabẽ accersit, pulmone ulcerationẽ cõtrahente. Primũ itaq; suppurationis concoctio adiuuanda fomentis per spongias, cataplasmatis & emplastris ex hordei, fœnograeci, & seminis lini farinis, caricis, columbarũ fimo, althea, & resina modica paratis. Cerata etiã ex butyro, iride, baccis lauri & ruta composita, & alia quæ collectionem maturare & discutere possunt, qualia multa in

Rũpentia abscessum. capite de asthmate dicta sunt, imponenda. Quòd si malum non discutitur, quæ abscessum rumpunt admouenda. Rupturam autẽ abscessus, promouet in latus sanum decubitus, sal-

sorum

ſorum eſus, & catapotia illa dormituro data, quæ habẽt: Pu- *lueris hieræ picræ* Galeni ℥ 1. *pulpæ colocynthidis* ℈ 1. *cum ſucco abſinthij quod ſatis eſt ad excipiendũ, formentur pi- lulæ, quarũ una aut altera teneatur in ore.* Hac *enim ratione accidit ut æger crebrò expuere conetur, atq; adeò nimium expuendo abſceſſus rumpitur.* Ruptione *facta, diligẽter erit animaduertẽdũ, quò pus prorepat. adiuuare enim eius excre tionẽ oportet. Si enim ad aluũ proreptet, magis emollientia ſint quæ offerũtur: ſi uerò ad ueſicã ſerpat, ea quæ urinã ciẽt magis adhibenda. Si uerò per tuſsim puris expurgatio fiat, nihil cõuenientius aut familiarius exhiberi poteſt, quàm pti ſana optimo melle permixta.* Proderunt *etiam abſtergentia, quæ partim in capite de pleuritide dicta ſunt, partim etiam ſtatim in capite de tabe dicentur.* Cæterum *quæ urinas cient, cibis commodè admiſcentur, undecunq; tandem puris excre- tio cõtingat.* Ad *puris uerò expurgationẽ mirificè utilis eſt aqua mulſa cum iride, & plurima glycyrrhiza decocta,* R*adicis etiam dulcis ſuccus commanducatus prodeſt.* Co- *nuenit deniq; decoctum hyſſopi, iridis, marrubij, & ſimiliũ, quæ ex capite de aſthmate petenda ueniunt.* Reliqua *quæ ad curationem ſuppurationis neceſſaria eſſe uidentur, in ſequen ti capite commemorabimus.*

Catapotia. Pus expur gantia.

De tabe. Caput XII.

Φθίσις Græcè, *tabes aũt* Latinè, *propriè eſt exulcera tio pulmonis ad ſanguinis ſputa cõſequẽs.* Fit *magna ex parte, ob acris & erodentis humoris ex capite in pulmo- nem defluxum.* Interdum *etiã, quum ſanguinis aut puris eru- ptio in ſuppuratis, pleuriticis, & peripneumonicis cohibe- tur.* Qui *hoc malo laborãt, agnoſcuntur totius corporis & carnium extenuatione.* Nares *etiã ijs acutæ, collapſa tẽpora,* oculi

φθίσις. Tabes. Clyſter. Signa.

oculi concaui, scapuleq; instar alarũ auium prominẽt, hinc Hippocrati alijsq; Græcis πτερυγώδεις appellatur. Præterea tußiunt, ac febre hectica febriũt, difficulter spirãt, genæ liuescunt, ungues curuãtur, pallidiq; apparẽt. Malo uincente uenter turbatur, sitis ipsos magis conficit, capilli defluunt: & id quod per sputũ reijcitur, uehemẽter fœdi odoris est. Quæ singula Hippocrates ijs uerbis innuere uoluit.

πτερυγώδεις.

5. Aph. 14. A tabe, inquiens, habito profluuiũ alui superueniẽs letale. Et " iterum: Quibuscunq; tabe laborantibus capilli à capite de" fluunt, ijs alui profluuio superueniẽte moriuntur. Et rursus:

5. Aph. 12. 5. Aph. 11. Qui tabe molestãtur, si sputũ quod extußiũt carbonibus in" iectum graue olet, & capilli à capite defluunt, letale. Porrò

Curatio difficilis quare. ulcera pulmonis difficillimè curantur, propterea quòd citra tußim nõ repurgantur. Tußientibus autem ulcus dirumpitur, atq; malũ quasi quodã circuitu reuertitur. Pulmo etiã inter uiscera propter respirationẽ in perpetuo est motu, & tußiendo quoq; lancinatur. Vlcera uerò quæ sananda sunt, quietẽ utiq; requirũt. Medicamentorũ præterea uires ad ulcus, priusquã in uentriculo & iecore permutentur, peruenire nõ possunt. Vtcũq; autẽ propter causas nunc cõmemoratas difficilis sit curatio, tamen nihilominus conandũ, ut ulceratio illa curetur.

Victus. Initio itaq; tabidis conueniens uictus ratio præscribenda, in eũ sanè modum. Aërem siccũ, in calore uerò & frigore temperatũ, inhabitent. Cibus eorum sit ptisana hordei, lac amygdalarũ, oua sorbilia, carnes auium montanarum, perdicũ, phasianorũ, merularũ turdorum, gallinarum, caporũ, uitulorũ, hœdiq; lactantis. Pisces deniq; squamati, saxatiles, potißimùm uerò cancri fluuiatiles. Cæterùm

Lac. lac inter omnia cibaria tabidis optimum, primum quidẽ humanum, dein asininum & caprinum: quod ex mammis, si fieri potest, sugatur: aut statim mulctum dum adhuc calet

biba

bibatur, quemadmodum copiosè libro 5. Ther. meth. Galenus docet. Cauendum tamen unicè, ne statim à lactis usu alium cibum (potissimum autem uinum) sumant: quod alias in uentriculo prorsus corrumperetur. Quòd si uerò impensè admodum febricitant, putrida maximè febre, lactis usus haud conducet. Inter fructus prosunt uuæ passæ, amygdala dulcia, nuces pineæ, ficus, palmulæ, & pistacia. Exercitia & motus uehementes deuitent. Suauiter autem ante cibum deambulare, haud incommodabit. À cibo penitus quiescant. Somno utantur nocturno, & mediocri. Fugiant iram, tristitiam, uigilias immodicas, famem, sitim, coïtum, laconicum, & quicquid corpus exinanire potest. Potus sit uinum aquosum & tenue: aut si uehemens est febris, cinnamomi decoctum. aut bibat potionem quæ à barbaris medicis hippocras nominatur. Cuius quidem compositionem in lib. 1. cap. De resolutione monstrauimus. Quòd si malum à defluxu humoris acris ex capite oriatur, curandi ratio à destillationis amolitione inchoanda erit, quam quidem suprà peculiari capite docuimus. In præsentia igitur quomodo pulmonis exulceratio curanda sit, monstrabimus. In eius itaque curatione in primis quæ abstergendi facultate prædita sunt, & quæ ut facilè pus sursum feratur, efficiunt, exhibenda erunt. In quem usum potissimum hydromeli conuenit, & decoctũ hordei cum saccharo & melle. Item hyssopi, iridis, caricarũ, adianti, & similiũ. Serapiũ de hissopo, marrubio, & glycyrrhiza. Si accesserit febris, prædictis semina quatuor frigida commiscenda erunt. Extrinsecus uerò admouenda emplastra & cataplasmata ex semine lini, fœnogræco, & alijs in capite De empyemate commemoratis. Ex capite quoq; De asthmate multa remedia ad præsentem usum cõducentia petenda erunt. Absterso & à pure purgato pulmone, ea quæ ulcus

Statim à lacte cib⁹ nõ dãdus.

Impensè febricitantibus lac nõ dandum.

Curatio.

Abstergẽtia.

Glutinantia. ulcus glutinare possunt, medicamenta sunt exhibenda. In hũc usum ab omnibus ferè medicis cõmendatur saccharum rosaceum: hoc enim nõ solum glutinandi, uerumetiã abstergendi facultatẽ obtinet. Abstergit autẽ magis quod recẽs est, glutinat uerò quod antiquius. Mirificè etiã cõfert bolus armenia, sanguis draconis, succinũ, corallia, semen portulacæ, & similia, quibus abstergẽdi & glutinãdi facultas inest. Cõducunt quoq; ecligmata de pulmone uulpis, è pino, saccharum symphyti maioris, et adianti. Ex ijs igitur tale parabitur medicamentũ, quod habet: Sacchari symphyti maioris & adianti, utriusq; ℥ ß. sacchari rosacei ℥ 1. ecligmatis è pulmone uulpis ʒ 1. ß. ecligmatis è pino ʒ 2. specierũ diatragacãthes ʒ 3. boli armeniæ ʒ 1. ß. serapij de papauere, quantũ ad ea excipienda satis est, formetur ecligma. Plurimũ quoq; adiumenti afferet is puluis quotidie exhibitus, q accipit: Seminis papaueris albi ʒ 5. gummi arabici uocati, amyli, tragacãthæ, singu. ʒ 1. ß. seminũ cucumeris, citrulli, cucurbitæ, melonum, cotoneorum, singul. ʒ 3. ß. eboris usti, succi glycyrrhyzæ, utriusq; ʒ 1. ß. Penidiorũ æquali omniũ pondere, fingatur puluis, de quo mane dentur quotidie ʒ 2. cum serapio de papauere, aut rosaceo. Eo præterea tẽpore quo cicatrix obducitur, extrinsecus thoraci oleum myrtinum, aut rosaceũ inungendũ, adiectis interdum rhoẽ obsoniorũ, hypocisthide, malicorio, acatia, galla, & similibus. Postremùm corpus extenuatũ iusta & cõuenienti uictus ratione reficiendum omnibus ijs cibis, qui boni succi sunt, ac facilè cõcoquuntur, & plurimũ alunt. Quo tempore hoc quoq; medicamentum exhibendum erit, quod habet: Pulpæ capi ℥ 1. testiculorum galli, nucum pinearum, pistaciorum, amygdalarũ dulcium, singul. ℥ ß. specierum antidoti de gemmis ʒ ß. specierum diarodon abbatis, dianthõn, odorati rosacei, singul. ℈ 1. santalorum alborum, cinna

Eligma. (margin, beside "dicamentũ, quod habet")

Puluis. (margin, beside "pienda satis est")

Morsuli refectorij. (margin, beside "alunt. Quo tempore")

cinnamomi selecti, utriusq; ʒ ß. maceris ℈ 1. sacchari candidißimi lib. 1. diluti in liquoribus stillaticijs buglosi & rosarum, fingantur morsuli. De quibus quotidie unus sumatur.

De cordis palpitatione. Cap. XIII.

Παλμὸς καρδίας Græcis, *cordis palpitatio & tremor dicitur, motus est cordis deprauatus, nimirum diastole, seu dilatatio eius præter naturã. Recentiores medici perperã cardiacam nominãt.* καρδιακὴ *enim ad stomachũ, quem ueteres olim* καρδίαν, *ut multis in locis significauit Galenus, uocarunt, pertinet, eiusq; planè erosio seu morsus existit, ut alibi quoq; copiosius monstrauimus. Fit ab omni eo quod præter naturam cor afficere potest, ut est quæuis intemperies, aut humoris multitudo in ambiente cor membrana contenta, aut tumor præter naturam, & alia quæ à Galeno libro 5. De patientibus locis, cap. 1. recensentur. Dignoscitur facilè de sermonibus ægri, palpitationẽ hanc euidenter sentientis, & ex pulsu. In calida intemperie febris, & pulsus uelox atq; magnus existit. In frigida cõtrà. Si humoris copia in pericardio cõtenta palpitationẽ accersierit, pulsus est mollis et lãguidus. Victus ratio pro causarũ malũ efficientiũ diuersitate uariè instituitur. Siquidẽ in calida intemperie aër esse debet mediocriter frigidus: in frigida uerò modicè calidus. Quare ex capitibus quæ præmisimus, facilè constitui à quouis leuiter admodum perito potest. In uniuersum autem uitandum, quicquid spiritum uitalem resoluit ac conturbat, ut est nimius æstus, ira, fames, uigilia, coïtus, frigus immodicũ, cibi mali succi. Si multitudo humoris in ambiente cor membrana contenta palpitationem procreauerit, tota diæta sit extenuatoria. Potus in calida intemperie sit uinum aquosum & tenue, aut zulapium uiolaceum, uel rosaceum,* aut

[Margin notes: Cordis palpitatio. — καρδιακή. — Causæ. — Signa. — Victus. — Vitanda. — Curatio calidæ cordis intẽperiei.]

aut bugloßi decoctum. In frigida uinum meracius bibatur.

Frigida medicamenta. *Qui ob calidam intemperiem cordis palpitatione corripiũtur, ijs per frigida medicamenta, quæ imtemperiem calidam corrigere, & robur cordi adijcere possunt, succurrẽdũ. Talia uerò ex simplicibus sunt rosæ, uiolæ, flores nympheæ, santali, corallia, caphura, & ijs similia, de quibus in lib. nostris De cõpos. medic. etiã diximus. E` cõpositis est diamargari, diarrhodon abbatis, saccharum, rosaceum, uiolaceum, buglossaceum, & earundem stirpium succi & serapia. Ex iam dictis itaq; potiones, antidota, & morsuli pro cuiusq; arbitrio cõponi possunt. Extrinsecus admouenda unguenta, emplastra, maximè uerò epithemata uocata, sacculi, & alia quæcunq; calidã cordis intemperiem alterare ualent. In primis autẽ inter unguẽta hoc cõuenit, quod habet: Oleorũ rosacei, uiolacei, nympheæ, singul. ℥ 2. coralliorũ rubeorũ, santalorũ purpureorũ, rosarũ purpurearũ, singul. ℈ 1. caphuræ grana 2. ceræ albæ quod satis est, fiat unguentũ, quo cordis regio, & spina dorsi inungatur. Inter epithemata hoc potißimũ cordi imponatur, quod accipit: Liquoris stillaticij rosarũ, oxalidis, & bugloßi, singu. ℥ 3. liquoris stillaticij mellissophylli ℥ 1. specierũ antidoti cordialis uocati ʒ 1. santalorũ purpureorũ, coralliorũ rubeorũ, utriusq; ʒ ß. caphuræ grana 3. croci grana 4. cõmixtis omnibus fiat epithema. In genere sacculorũ is potißimũ cõpetet, qui habet: Florum bugloßi, uiolarũ, rosarũ purpurearũ, singul. m̃. ß. santalorũ omnium, singul. ʒ 1. coralliorũ rubeorũ & alborũ, singu. ʒ 1 ß. unionum ℈ 1. Contusa in sericum demittãtur, formeturq; sacculus. Cæterùm qui frigida cordis intẽperie laborant, ijs inter simplicia medicamẽta prosunt ambar, moschus, crocus, lignũ aloẽs, styrax, garyophylli, macer, zedoaria, melissophyllum, & eiusmodi. In genere compositorum, antidotus diambar,*

Vnguẽtũ. Epithema. Sacculus. Curatio frigidæ cordis intẽperiei.

diambar, dianthôn, aromatici rosacei, pleresarchigoῦ, & similes. Ex quibus sanè uaria remediorũ genera parari possũt, haud secus quàm in calida cordis fecimus intẽperie. Siquidẽ unguenta in eum cõponentur modũ: Oleorũ liliacei, è spica, & de croco, singul. ℥ 2. ß. galliæ moschatæ, garyophylorum, utriusq; ℈ 1. ligni aloës ℈ ß. maceris ℈ 1. croci gra. 3. ceræ quod satis est, fiat unguentũ. Epithematũ hæc forma erit: Liquorum stillaticiorũ melissophylli, maioranæ, buglossi, singul. ℥ 4. specierũ antidoti diambar, diamoschi, utriusq; ʒ ß. maceris, ligni aloës, utriusq; ℈ 1. ambar granũ 1. uini optimi ℥ 1. Cõmixtis singulis, formetur epithema. Sacculorum hæc esto forma: Florũ melyssophylli, buglussi, utriusq; m. 1. ß. cinnamo. selecti, garyophyllorũ, maceris, singul. ʒ 1. ligni aloës ℈ 1. corticũ mali citrij ʒ 1. ß. croci. ℈ 1. ambar granũ 1. Cõtusis omnibus fiat è serico sacculus cordi imponẽdus. Quòd si ab humore aliquo in pericardio cõtẽto palpitatio fiat, extenuãti uictus ratione, et uenæ sectiõe quæ in cubito fit, Ga. lib. 5. De patiẽ. loc. cap. 1. teste, curatur. Siqdẽ is ibidẽ sic scriptũ reliqt: Palpitatio cordis plurib. integra ualetudine degẽtibus tum adolescẽtibus, tũ adultis, subitò sine alio manifesto symptomate euenire uisa est, atq; omnes eos sanguinis detractio iuuit. Hoc enim pacto pleriq; perfectè ab hoc symptomate liberati sunt: præsertim qui utebãtur & uictu, & medicamẽtis, quibus esset extenuãdi facultas. Hæc ille. Seccãda uerò est uena incubito interior, aut media, atq; deinde unguenta, epithemata, & sacculi, eiusq; generis alia medicamenta, quibus extenuandi & corroborandi cordis inest facultas, extrinsecus & intra corpus adhibenda. Quorũ omniũ priuatim exempla proferre superuacaneũ putamus, quũ facilè admodũ sit cuiuis ex iam dictis, & alibi commemoratis, componere omnis generis ad institutum suum facientia medicamenta.

Vnguẽtũ. Epithema Sacculus. Curatio palpitationis cordis ab humore. Venæ sectio.

De syncope. Cap. XIIII.

Syncope. Causæ.

SYncope, Gale. lib. 12. Ther. meth. autore, nihil aliud est nisi præceps uirium lapsus. Accidit ob plurimã sanguinis excretionẽ, immodicã uentris inanitionem, motum uehementem, dolorẽ ingentẽ, uigilias multas, sudores copiosos, omnesq; alias immoderatas euacuationes, timorem, terrorem, & alias huius generis animi perturbationes. Ob crudorum deniq; humorum redundantiã, inflammationis magnitudinẽ, uitiosos & tenues humores, auræq; fœtidæ inspirationem.

Notæ.

Cognoscitur syncope ijs indicijs. Pulsus est rarus & obscurus, extremarum partiũ frigiditas, sudor circa faciẽ, nitoris cutis quæ in ea existit ablatio, & totius corporis quasi resolutio. Ad hæc accedunt desperatio, animi angor, & corporis iactatio.

Syncope cordis.

Porrò euenit interdũ syncope cordis uitio, ubi scilicet ipsum uehementer intẽperatum est: interdũ etiã stomachi, in eo nimirum redundãtibus & cõgestis aut crudis, aut acribus & erodẽtibus humoribus. Eius generis syncope, stomachica nominatur.

Syncope, stomachica.

Qui propter humorũ crudorũ in ore uentriculi copiã syncopẽ incidunt, his hypochondria inflata sunt, & totũ corpus ampliore mole quàm pro naturæ modo cernitur, tum eiusdẽ color ijs ad albidius, quàm pro naturali habitu sit, est mutatus: & in summa corpus aqua inter cutẽ laborãtibus simile. Nõnullis etiã ad nigrius aut liuidius, quos quidẽ plumbei palloris appellamus, accedit. Pulsus tamẽ arteriæ omnibus minores sunt, præterea obscuri & inæquales. Qui uerò propter acriũ humorũ redundãtiã syncope corripiũtur, ij assiduas in ore uẽtriculi uellicatiões ac mordicationes sentiũt. Qui ob tenues succos, q ocyssimè exhalãt, syncope corripiũtur, in ijs mortifera illa species in facie celeriter apparet, nasus acutus, oculi caui, et alia quæ deinceps p Hippocratẽ sunt adscripta. Reliquæ syncopes causæ ex adstantiũ

ser

ſermonibus nullo negotio cognoſcentur. Curandi rationem pro cauſarũ diuerſitate uariari, nemo eſt qui neſciat. Si enim propter ſanguinis excretionẽ, aut aliã immodicã & repentinã euacuationẽ ſyncope inuadit, frigida faciem aſpergere oportet, aut liquore roſarũ ſtillaticio, qui in hoc caſu mirificã quandã uim obtinet. Extremæ corporis partes uinculis uehementer ſunt cõſtringẽdæ, ac linteis modicè aſperis perfricãdæ. Crura qdẽ, ſi ſuprà eruptio fiat: manus uerò, ſi infrà. Cucurbitulæ quoq; leues pro partiũ, è qbus euacuatio procedit, aut ſanguis erumpit, diuerſitate affigẽdæ. Os deniq; diducendum, cunei aut digitorũ, aut alterius rei immiſſione: auditorius uerò meatus & nares cõprimẽdæ, ut inſpiratus aër interiora petẽs, ſpiritũ reficere ac excitare queat. Cõfeſtim etiã uarijs odoramẽtis animũ reuocare cõuenit. Nihil enim eſt (Hippocrate in libello De alimẽtis teſte) quòd uires odore citius reuocet. Prodeſt itaq; pullos gallinaceos aſſos, ac per mediũ ſciſſos atq; diſcerptos, naribus ægrotantiũ admouere. Itẽ roſas, uiolas, mala cotonea, citria, et eiuſmodi. Poſtea iuſculis, et alijs ſorbitionibus cõcoctu facillimis alẽdus æger. Vinum huic propinandũ tenue & dilutum. Aër cubiculi ſit frigidus, cubiculũ uerò ipſum non ualde lucidũ. Stragula eis incũbentia tollantur: operimẽta uerò, quibus cõtegũtur, mollia ſint. Pauimentũ irroretur, ac folijs cõſternatur myrti, uitis, quercus, rubi, atq; ipſis etiã roſis. In immodico ſudore exudantibus partibus oleũ myrtinum, roſaceum, & cotoneorũ illinendum: in primis uerò collum, thorax, loca ſub alis, & inguina. In hũc uſum etiã cõducit amylũ, & thuris pollinẽ cãdido oui ex cepta, aliaq; adſtringẽtia medicamẽta illinere. Odoramenta quoq; tũ uaria offerẽda, nimirũ roſæ, ſantala, cotonea poma, flores nymphea, et caphura. Extremas uerò corporis partes tum nõ oportet uincire. Si propter dolorẽ

Curatio.

Eius quæ propter immodicã inanitionem accidit.

Faciei aſperſio.

Ligaturæ

Cucurbitulæ.

Oris diductio.

Odoramẽta.

Victus.

Sudores imodicos coërcẽtia.

Odoramẽta.

Curatio syncopes à dolore. syncope fit, diligēter de causa inquirere oportet. Si enim extrinseca fuerit, facilè eius amotione dolor sedabitur, atq; syncope curabitur. Si uerò à nulla extrinseca occasione dolor cōcitatus fuerit, internā aliquā esse causam, quæ dolorē efficit, existimare oportet. Si enim plenitudo distendēs, dolorem excitauerit, protinus si uires patiātur, sanguis mittēdus est è uena, quæ parti dolēti uicina fuerit. Sin uires imbecilles sint, tū reuellendū duntaxat, aut sursum aut deorsum deriuandū, aut utrinq;, aut frictionibus utēdū. Vbi uerò à uitiosis humoribus dolor oritur, purgare magis oportet. Si utraq; coëant, ambabus utendū uacuationibus, sanguine prius misso. Dein si noxius humor in parte fixus & impactus est, curationem per discutientia medicamēta moliri oportet. Reliquorū dolorum curationes ex proprijs capitibus, præsertim uerò ex capite De colli doloribus, petendæ. Qui ob mœrorē, timorem, & alias animi perturbationes syncope corripiuntur, ij planè suorū cōtrariorū admotione curandi sunt. Nec in mœrentibus prætereūda sunt odorifera, et alia quæ intra corpus sumpta spiritus recreare possūt. Qui ꝓpter crudorū humorū copiā syncope laborāt, ij neq; sanguinis missionem, neq; purgationē sustinēt, utpote quos etiā sine ijs syncope subitò adoriatur. Curare itaq; hos ꝑfrictiōem oportet. Initio itaq; mali statim incipiendū, ac crura quidē primùm à superiore parte deorsum, linteis non admodum mollibus, sed modicè asperis perfricāda, dein etiā tota brachia ab humeris pariter ad infimas partes. Vbi uerò iam artus omnes abundè incaluerint, & metus fuerit, ne quis ex nimia frictione lassitudinis sensus superueniat, oleo relaxāte utendū, quale est anethinū, & camæmelinū. Cauendum autē quàm maximè ab adstringēte. Quū iam artus plurimū perfricueris, postea oleū detergendū, inde ad spinā dorsi transeundū, hæcq; tota perfricāda simili

Venæ sectio.

Curatio si syncope fit ob animi affectus.

Curatio syncopes ex redundantia crudorum humorum.

ſimiliter, linteo ſcilicet primum, mox oleo. Ab hac rurſus ad crura & ſubinde ad brachia, tum rurſus ad ſpinā remeandū, & ita toto die faciendū: idq; in ſplendido quodam minimeq; humente cubiculo, cuius aër temperatus ſit. Præterea mulſa in qua hyſſopum coctum fuit, ijs eſt aptiſsima: cauendūq; ne uel cibum, uel ſorbitionē, uel aquam exhibeas, uel omnino liberaliter bibere ſinas, niſi mulſam tribus primis diebus duntaxat, alternatim fricando, ut ſolū illud tempus interſit quod ſomno datur, qui certè mediocris ſit. Quòd ſi pulſus ijs paruus admodū infirmusq; ſit, aut etiā ſuprà hæc uehemēter inæqualis, ſcire licet extremum periculū eſſe, facienda tamē nobis quæ retulimus, nec aliud quicquā moliendū. Sin pulſus robore mediocri ſit ac magnitudine, præterea minimè interciſus & cōpreſſus, cōſiderāda quæ ad aluum ſpectāt: ac ſi ſua ſponte cōmodè nō deijciat, audacter per inferius aliquid infundes. Accidit nāq; poſt aquā mulſam, ut quæ in primis uenis, quæ ſcilicet circa iecur & meſenterium ſunt, colligi ſuperuacua ſolent, hac cōmodè deijciantur. Quòd ſi maior iuſto recrementorū impetus ad aluum citetur, principio quidem percoquere mulſam amplius oportebit: ita enim minus aluū ſubducet, & magis nutriet. Poſthæc ſi ſuperuacua largius deſcendant, ne ſic quidem ſiſtenda aluus, ſed exhibendus pro aqua mulſa ptiſanæ cremor eſt. Si uerò fluere pergant, alicæ ſorbitione nutries, pulſuum interim ratione obſeruata. Aliquādo enim ſubitò ad imbecillitatē, uel inæqualitatē, uel paruitatem mutantur. Quo ſanè tēpore panē ex uino diluto exhibere, conueniet: idq; ſi nec uenter, nec iecur phlegmone laboret: hac enim ſi infeſtētur, iam corpore crudis ſuccis referto, planè deſperata ſalus ægro eſt. Ergo in eiuſmodi ægri caſu, teipſum à culpa immunē præſtabis, ſi moriturum prædixeris, ac nullo generoſiore medicamento uſus fueris. At

Mulſa.

qui si quādoq; craßi abūdè humores deprehēdantur, oxymeli pro mulsa cōfestim exhibendū. Ergo si æstas sit, & æger frigidæ potioni assuetus, frigidū huic oxymeli dabis. Sin hyems sit, omnibus calidū, tū ijs q calidæ, tū ijs qui frigidæ insueuerūt, offeres: æquè ut si immodicus æstatis tēpore æstus sit, etiā qui calidæ assueti sunt frigidū: utiq; si nullū sit ijs uiscus ad iniuriā oportunū. Sanè ijs aduersißima sunt tum balneum, tū aër ambiēs, quoties uel nimiū calidus est, uel frigidus. Itaq; ut lauandi ij non sunt, sic & reclinādi in domo sunt: æstate quidē quæ frigeat, hyeme quæ caleat. Læduntur nāq; non parum ab utroq; excessu: uidelicet in balneo, æstate, & omni caloris incremento crudis humoribus liquatis, ac per omnes corporis partes fluentibus: ita ut metuendū sit, ne ad pulmones & cor ferātur: aliqñ etiā, ne cerebrū subeant: quū longè præstet, ut circa iecur & primas uenas subsistāt. In domo autē immodicè frigida, & hyeme, & deniq; ambiēte frigido succi, qui crudi sunt & inepti ad cōcoquēdū manēt, & iecinoris obstructiones, si leues sunt, augent: si nullæ sunt, eas craßitudine sua hærentes impactiq; creant. Si uerò ad eos, quos syncope iam premit, sis accitus, ubi uēter et iecur phlegmone uacent, panē exhibebis exiguū, hūcq; ex uino aliquo, quod celerem in corpus distributionem adiuuet: statimq; ad frictiones uenies, quas etiam pro tradito iam modo administrabis. At si quidem æstas sit, aut regio naturaliter calēs & æstuans, aut status cœli uehementer calidus, aqua frigida uinum dilues: si nihil eiusmodi sit, cum calida. Quæ tamen secundo & tertio dabitur potio, omnino calidam exhibendam curabis. Quippe ad uniuersam eam curationē, cuius gratia frictiones adhibemus, calor præstat, utpote crudorum humorum concoctionem adiuuans. At quibus ex flaua bile, quæ os uentriculi infestet, syncope incidit, ijs frigida exhibenda potio

Syncopes iam prementis curatio.

potio est. Vinum tamen quod & calidum natura sit, colore fuluum, substantiaq; tenue, aetate uetus, ut distributionem in corpus promoueat, omnibus quos syncope male habet, offerre coueniet: distribui naq; per corpus nutrimetu quod sumptum est, non in uentriculo manere uolumus. Qui tenuium humorum uitio syncope premutur, eos paulatim & aßiduè uacuare oportet, propterea quòd multā simul uacuationem ferre nō queāt. Hos etiā paulatim et aßiduè nutriemus. Summa cutis densanda, & aër cubiculi frigidus, & adstringens cōparādus, queadmodum copiosè Galenus libro nono Ther. meth. cap. xiiij. docet. Vngendi praeterea sunt adstrictorijs unguentis: tum cibi ijs dandi, qui non admodum promptè diffluant, non aqua mulsa, non ptissanae cremor, sed panis, & sorbitio ex alica, & fructus austeri, qui non facilè corrumpantur, tum ipsi per se, tum uerò & cum pane, etiam alica quae in aqua sit cocta. Dabis uerò aliquādo ijs & oua, praecipueq; eorū uitellos. Album enim eorū aegrè concoquitur. Praeterea gallinaceorum, qui lacte sint alti, testiculos. Itemq; suillū cerebrū, sed uel diligenter assum, uel in aqua, adiectis porro & anetho, legitimè elixum. Deniq; omni ratione agendum, ut & succorū materiā craßiorē reddas, & cutim dēses, & exhalationem inhibeas. Vinum uerò ijs aquosum necessarium inter initia est, sumptum post cibū. Quòd si ex sententia nobis omnia responderint, etiā carnei ijs aliquid nutrimēti post alia dabimus: potißimum post quartū diem, succis iam ad concoctionem uenientibus. Si ob inflammationis magnitudinem syncope accidat, artus fricandi & fouendi, manusq; ac pedes uinciendi, uigiliae imperandae, quia sanguis in somno (ut inquit Hippocrates,) ad interiora repit. A cibo & potu penitus arcēdi. Quicūq; propter uitiosos humores os uētriculi erodētes syncopē incidūt, ij curādi sunt uomitus irrita

Syncopes ex tenuib⁹ humorib⁹ curatio. Victus.

Syccopes ab inflammatione curatio.

Syncopes curatio ob erodentes stomachū humores.

irritatione: aut si id non successerit, aluus mouendus, aliaq; facienda, quæ infrà in capite, De dolore stomachi exponemus.

Si ob balneum syncope accidat.

Qui in balneo animo linqui incipiunt, eos celeriter educere oportet, neq; multa aquæ infusione humectare. Qui autem iam inciderũt syncopẽ, celerrimè exportãdi sunt, & reliquũ qdẽ corpus leui quopiã uelamine cooperiendũ. Facies uerò spongia frigida imbuta madefiat, aut frigida, aut stillaticio rosarũ liquore aspergatur. Fricanda etiã facies, uentriculus & pedes. Os quoq; aperiendũ pennarum aut digitorũ immißione, omniq; modo conandũ, quo humor ipsius syncopes autor euomatur, aqua tepida ori instillata. Qui perfectiori sunt ætate, ijs capilli euellẽdi sunt. Et uociferatio quidẽ unius utilis est: multorum autẽ & simul edita, nocet. Vbi cõualuerint, fugere oportet tum in calidam, tum in frigidam aquam demißiones. Aut enim laxatis corporibus, calore discusso et resoluto pereunt: aut à frigiditate adstringẽte extinguuntur. Reliqua quæ hic desiderantur, facilè quiuis ex alijs locis huius methodi petere poterit, & ex quinto Aëtij libro.

De lactis defectu. Cap. XV

Causæ.

Lactis defectus accidit propter siccã mammillarũ, aut totius corporis intemperiẽ: item ob boni sanguinis paucitatem, & quia infans imbecillis non probè ex mãmis sugit. Quantò enim plus sugẽdo ex illis adimit, tantò etiã plus attrahitur.

Signa.

Notæ quibus causarũ diuersitas deprehẽditur, notiores ferè sunt ex ijs quæ antea dicta sunt, quàm ut nũc repeti debeãt. Ne tamẽ imperiti aliquid desiderare queant, eas denuo narrare nõ grauabimur. Sicca intemperies ex habitu totius corporis aut mammarũ macilẽto & arido, & alijs suprà commemoratis, dignoscitur. Sanguinis probi paucitas, è malo corporis habitu, eiusdẽq; uitioso colore, & ex corporis

ris quæ præcesserũt euacuationibus immodicis, mensium nimirum, alui, exercitijs ualidioribus, inedia, & id genus alijs. Quod ad curandi rationẽ attinet, de lactis defectu qui è sicca intẽperie nascitur, hoc in loco nihil dicemus, quod facilè ex ijs quæ antea dicta sunt in alijs capitibus, & postea in capite De hectica cõmemorabuntur, curari poßit. De eius itaq; qui fit ex sanguinis boni paucitate curatione, hic tantũ agemus. In hoc igitur primũ sanguis est contẽplãdus: sic monente Galeno lib. 5. Simpl. med. facul. cap. 20. aut enim minor est quàm cõuenit, aut deterior. Itaq; qui modicus est, uniuersam uictus rationẽ exposcit, humectãtẽ & calefacientẽ mediocriter. Quæcũq; enim plus q̃ expediat calefaciũt, quæq; desiccãt aut refrigerãt, partim qualitatẽ ipsius sanguinis uitiãtia, partim ipsum modicũ reddẽtia, lac prouenire prohibent. Dare igitur cõuenit panẽ purũ, lac, carnẽ uitulinã, pullos gallinaceos, perdices, hœdos, oua sorbilia, pisces saxatiles & squamatos, uuas passas, amygdalas dulces, lactucã, buglossum, melyssophyllum, cucurbitas, & eiusmodi. Bibẽdum uinum tenue & aquosum. Fugiendũ immodicũ exercitium, ira, mœror, & omnia quæ sanguinẽ paucriorẽ efficere possunt. Si uerò deterior fuerit sanguis, si quidẽ biliosus sit, primum purgationẽ desiderat biliosi humoris, mox uictũ quem modò diximus. Sin pituitosus, medicamẽta requirit excalfaciẽtia aut primo aut secũdo ordine: nõ tamẽ desiccãtia. Hæc enim pituitosos humores excalfaciẽtes in sanguinẽ uertunt. Verùm inter ea potiora sunt, quæ nõ tãtũ sunt medicamẽta, sed etiã nutrimẽta: uelut eruca, fœniculũ, anethũ, apiũ, sium, eaq; uirentia priusquã siccẽtur. Nam sicca plus quàm oportet & excalfaciunt & desiccãt. Quæ uerò desiccãt, humorẽ sanguinis depascentia, craßiorem simulq; pauciorẽ efficiũt. Et si natura quoq; fuerint calida, iusto etiam calidiorem: sin

Curatio siccæ intẽperiei.

Sanguinis paucioris.

Sanguinis deterioris.

frigida, frigidiorē. Debet enim esse modicè calidus, ac neutiquā crassus, ut ex eo lac generetur. Proinde quæ mediocriter excalfaciunt, nullāq; insignē adiunctā obtinēt siccitatē, lactis pcreatricē facultatē habēt. Inter quæ sanè, præter ea quæ paulò ante dicta sunt, est sesamū in uino decoctum. Item butyrum recēs pondere unius unciæ cum uino potū. Præterea amygdalæ dulces, pistacia, nuclei pinearū triti, & cū butyro comesti. Laudatur etiā ferculum hoc in primis, quod accipit: Orizam decies ablutam, exiccatam subinde, & in puluerem redactā, coctamq; in lacte optimo iuxta ignitos carbones. Intercoquendum autē sacchari candidißimi quod satis est adijcitur, formaturq; pulmentum. Fit præstantius, ubi addūtur amygdalæ dulces, pistacia, nuces pineæ, farina hordei, cicer, & eiusmodi. Annitendum tamen erit, ut etiam cum leni thoracis frictione, alijsq; medicamentis calidis & tractoria facultate præditis, ad mammas lac alliciatur.

Lac procreantia. quæ.

Ferculum.

De lactis redundantia. Cap. XVI.

Contingit interdum, ut ob lactis redundantiā mammillæ tumefactæ repleantur, atq; eousq; extendantur, ut copiā eius uix ferrè queant. Quod sanè malū Græci σπαργάνωσιν uocant. Fit à causa planè cōtraria, nimirū boni sanguinis copia. Visu & tactu dep̄rehēditur malum. Huic quidem statim succurrendū, quòd alias metuendū sit, ne mammæ inflāmatione corripiantur. Inter initia itaq; uena secāda poplitis, aut media quæ in cubito est. Deinde utēdū ijs quæ leuiter reprimūt, ne scilicet ad pulmonē impetu quodā trudatur sanguis. In hunc quidē usum proderit spongiā mollem posca tepida imbutam madefactamq; & expressam imponere, & mammis fascijs circūligare. Vel palmulæ cum pane & posca tritæ adhibendæ. Vel ouum totū cū rosaceo imponendū.

σπαργάνωσις.
Causæ.
Signa.
Curatio.
Venæ sectio.
Reprimētia.

Con

Conuenit etiam apponere emplastrũ ex oleo rosaceo, santalis, coriãdro, psyllio, portulaca, farina fabacea, lentium, plantaginis succo & aceto in hunc modũ cõpositum. Farinæ fabarum, lentium, utriusq; ℥ 1. seminis portulacæ ʒ 1. seminum lini & altheæ, utriusq; ʒ 2. ß. plantaginis m̃. 1. seminis coriãdri ʒ 2. Bulliãt omnia in aqua, donec ad mellis craßitudinem redeant. postea adiectis olei rosacei ℥ 1. ß. succi plãtaginis ℥ 1. aceti ℥ ß. denuo ebulliãt, et additis duobus oui uitellis, fiat emplastrum. Aut fingatur ceratum hoc quidem modo: Accipe oleorũ rosacei & myrtini, utriusq; ℥ 1. ß. farinæ fabaceæ, lentium, utriusq; ʒ 1. ß. mentæ, rutæ, utriusq; ʒ 1. plantaginis ʒ 1 ß. seminis coriãdri ʒ ß. Cum cera & resina laricea quod satis est, formetur ceratum mãmis adhibendũ. Erysimon etiã, quod rapistrũ hodie uulgus herbariorũ uocat, mirificè prodest, cum aqua & melle illitum. Ricini insuper folia trita, & apium uirens illitũ, non exiguã commoditatem ostendũt. Pyrites deniq; lapis tritus cum rosaceo & aceto impositus, mirificam uim in lactis redundantia declarat. Porrò uniuersa uictus ratio talis sit, ut ex ea paucus procreetur sanguis. Quare inedia huic malo præ cæteris mirificè confert.

Emplastrũ

Ceratum.

Victus.

De lacte in grumos cõuerso. Cap. XVII.

Grumescit lac, & in casei formam transit nonnunquã, & hoc malum Græci θρόμβωσιν, quasi dicas Latinè grumescentiã, nominant. Fit ob lactis abundantiã, quum nimirum diutius in mammis coaceruatum detinetur, nec exugitur. Ab intẽperie etiã calida, dum scilicet à nimio calore, quod in lacte tenuium erat partiũ digesto ac discusso, quod reliquũ est cõcrescit, & in grumos abit. Idem etiã à frigiditate accidere solet, quæ ut alia liquida cõtrahere, ita quoq; lac ipsum ut concrescat efficere potest. Interdum etiam lac ipsum

θρόμβωσις.

Causæ.

Lactis abundantia.

Intemp. cal.

Frigida.

Lactis crassities.

ipsum suapte natura satis crassum & lentum est, ob id facilè
Signa. in grumos uertitur ac cōcrescit. Notis nullis ad malū digno-
scendum opus est. Ex tactu nanq;, atq; adeò ægri sermonibus
et relatione, statim agnoscitur. Victus ratio in hoc malo pro
Victus. causarū diuersitate uariatur. In calida enim intemperie mā-
marū, ad frigidū: in frigida cōtrà, ad calidū declinet. Si pro-
pter crassitiē lactis euenerit uitium hoc, extenuanti omnino
Curatio. uictus ratione utēdū erit. Quod ad curationē ipsam spectat,
Si lac redū det. si lactis fuerit redundantia, nec adhuc in māmis grumescat,
ab adultis, in hocq; peritis mulieribus sensim leuiterq; exu-
gendū erit. Mammæ aūt extrinsecus apij uirentis, mētæ, &
fœnogræci succo illinantur, aliaq; quæ suprà in capite De
redundātia lactis dicta sunt admoueātur. Leporis uerò coa-
gulum ex aqua tritum si illinatur, ad omnes mammarum tu-
mores, & præsertim è uitiosa earundem lactis copia eueniē-
tes, conducit. Lentes insuper in muria elixatæ mirificè con-
ferunt, si decocto quidem mammæ colluantur, lentes uerò cō
tusæ illinantur. Altheæ deniq; & fœnogræci decoctum, non
Si cal. sit intemp. parum commoditatis adfert. Si quidē nimia mammarum ca-
liditas ut lac grumescat in causa fuerit, tunc portulacæ suc-
cus, & solani hortensis, illinendus erit. Item rosaceum cum
aceto adhibendum. Alsine quoq;, quam uulgus herbariorum
morsum gallinæ appellat, illita mirā efficaciā ostendit. Be-
ne facit etiam cimolia terra ex aceto, aut aqua & oleo ro-
saceo illita. Præterea lentes in aceto elixatæ, & (ut paulò an-
Si frigida. te dictum est) adhibitæ. In frigida intēperie mammarum, de-
cocto chamæmeli, fœniculi, anethi, seminis lini & fœnogræ-
ci utendum, eoq; fouendæ mammæ. Oleis quoq; chamæmeli-
no, anethino, liliaceo, & similibus inungendæ. Cauendum ta-
men, ne papillam contingāt. Fel bubulū illitum confert. Me-
dulla panis cum aceto illita prodest. Sed licebit adijcere mē-
tam,

tam, aut apium, & fit medicamentum ualidius. Præter cætera uerò hoc potißimũ ualet, quod habet. Mellis ℥ ß. styracis calamitæ ʒ 3. fellis bubuli ʒ 2. olei chamæmelini ℥ 1. myrrhæ, thuris, utriusq; ℥ 2. ß. Misceantur singula, & redigantur in formam emplastri, quod mammis imponatur. Emplastrũ

De inflãmatione mammarũ. Cap. XVIII.

Causę. Accidet interim, instar aliarum inflammationum, propter sanguinis copiosi & calidi ad mammas defluxũ. Interim etiam ob lac casei modo concretum & coactum, ac subinde ad suppurationem tendens. Facilè iam dictæ causæ discernũtur, quod scilicet prior inflãmatio ijs quæ neq; grauidæ, neq; puerperæ sunt accidat: altera uerò, iam commemoratis duntaxat. Signa. In curandi ratione obseruãdum, ut in prima inflammatione confestim sanguis mittatur ex interna cubiti uena, uel media eiusdem lateris, nisi mensium subesset retentio: tunc enim cõsultius est, poplitis aut malleoli uenam incidere. Curatio inflamma. ob sangui. copio. & cal. Venæ sectio. Post hæc ad reprimentia ueniendũ medicamenta, quæ nõ oportet esse ualida, ne ad interiores corporis partes nobiles humorũ impetus trudatur: aut aliqua quæ discutere possunt, ijs miscenda. Adstringẽtia. Quare ad eum maximè usum cõuenit rasaceũ cum succo aut stillaticio liquore solani, aceto, & decocto chamæmeli, ut scilicet in ijs lintei madefacti & intincti, mãmis imponantur. Valet etiã emplastrũ ex farina hordeacea, semine lini, santalis, bolo armenia, adipe porcino, & rosaceo compositum. Quòd si medicus non admodum conferre medicamenta reprimentia animaduerterit, ad ea quæ discutiunt statim est progrediendum. Discutientia. Quapropter hoc emplastrum est adhibendum, quod accipit: Farinæ fabaceæ, fœnogræci, seminis lini, singul. ℥ ß. florum meliloti, & chamæmeli, utriusque ʒ 2. ß. medullæ panis triticei ʒ ß. myrthæ. Emplastrũ

Ebul

Ebulliant in aqua iustæ quantitatis, dum in mellis craßitudinem coëant. postea adiectis oleorum chamæmelini, & anethini, utriusq; ℥ i.ß. bulliant iterum, & addantur uitelli ouorum tres numero, croci ʒ i. fingaturq; emplastrum. In hunc usum lini semẽ, uel fœnogræcum in oxymelite decoctũ illini potest, & alia eiusmodi quibus discutiendi facultas inest, de quibus antea sæpè dictum est. Quod si uerò discutiendi spes omnis sublata fuerit, maturatione & suppuratione auxiliabimur, quæ perficitur hoc cataplasmate, quod accipit: Maluæ, altheæ, foliorũ uiolæ nigræ, chamæmeli singul. m̃. i. ß. radicis altheæ ʒ i. Bulliãt in aqua, donec mollescant, dein cõtundantur, & informetur cataplasma. Aut fingatur emplastrũ ex semine lini & fœnogræci, caricis, radice altheæ, & liliorum candidorũ, adiectis oleis chamæmelino & linaceo, adipibus porcina, gallinacea, & similibus. Suppuratione facta, ad ruptionem sectionem'ue mammæ ueniendũ. Hæc autẽ ferro, aut medicamentis perficitur. Medicamenta uerò, quæ suppuratos in mãmis humores emanare faciũt, sunt, fimus columbinus, fermẽtum cum puluere cantharidum, calx uiua cũ fimo anserino. Si ferro uti magis placuerit, locus prope papillã lunari sectione accuratißimè incidendus erit, ut incisione abscessus quidẽ profunditas denudetur, sed papilla cõseruetur. Curatio reliqua talis sit, qualis aliorũ ulcerũ. Porrò si propter lac coactam inflammatio accidit, tunc per initia utendũ est spongia molli tepida posca imbuta, & expressa loco illigata. Item palmulæ cum pane ac posca tritæ imponendæ. Medulla quoq; panis, additis myrrha, croco, menta, & alijs quæ in cap. De redundantia lactis cõmemorata sunt, imponẽda. His peractis, si inflãmatio perseuerauerit, ad alia remedia, quæ paulò suprà cõmemorauimus, progrediendũ.

Suppuratio.

Cataplasma.

Emplastrũ

Ruptio, aut sectio.

Curatio inflamma. ob lac coactũ.

LIBRI SECVNDI FINIS.

LEONHARTI FVCHSII DE MEDENdis singularum partium corporis humani à summo capite ad imos vsque pedes malis, Liber tertius.

De imbecillitate ventriculi. Caput I.



ENTRICVLI *imbecillitas ex intemperie qualitatum effectricium citra humoris confluxum oboritur. Nam (ut testatur Galenus lib. tertio. De sympt. caus. cap. 1.) Omnis uehemens intemperies uires deijcit. Fit etiam ex humore in ipso sinu & amplo uentriculi spacio contento, qui aut calefaciẽdi, aut refrigerandi, aut humectãdi, aut siccandi, aut etiam horũ aliqua per coniugationẽ efficiẽdi naturam obtinet: interim uerò & in ipsas uentriculi tunicas immerso & infarto. Nudam qualitatẽ calidam testantur sitis uehemẽs, cibi fastidiũ, nidorosiq; ructus. Frigidam contraria indicant, modica nimirum sitis, immodica appetentia, acidiq; ructus. Quid multa? si calida uel frigida interperie uẽtriculus afficitur, assumptos cibos ad intemperiei naturam permutat, ut apareant cibi citra alicuius humoris complexum in nidorem aut acorem permutationẽ accepisse. Præterea frigidis medicamentis, cibisq; & poti-*

Causæ. Intemperies. | Humor. | Signa in temp. cal. & frigid.

bus

bus statim adiutum hominē uidebis, si calida intemperies extiterit. Si uerò frigida, calidis cibis & medicamētis iuuabitur, à frigidis uerò lædetur. In humida nulla uel exigua saltem sitis ægrū affligit, saliuæ copia adest, & cibis gaudet humidioribus. In sicca, linguæ siccitas, corporis extenuatio, saliuæ paucitas, sitisq; uehemētissima. Porrò copiam humorū uitiosorū nausea, uomitus, grauitas uentriculi, & ructus potissimum à cibo ostendūt. Quòd si flaua bilis redundat, oris amaritudo, bilis uomitus, sitis, ructus nidorosi, & uentriculi morsus aderunt. Sim pituita, nulla prorsus uētriculi erosio excitabitur, nisi salsa fuerit: acidi ructus, nulla sitis, tensióque uentriculi adsunt. Si uerò atra bilis abundet, tristitia metusq;, ructus & excreationes fœtidæ, piscesq; olentes, somnus cū accessione imaginationū alienarum, contractioq; & dolor poplitū & surarum. Intemperies omnis per cōtraria corrigitur atq; emendatur. Calidam itaq; refrigerare oportet, frigidam uerò calefacere: siccam humectare, humidam siccare. Similiter uerò etiam compositas intēperaturas aut calefacere & siccare, aut humectare et calefacere, aut refrigerare et humectare, aut siccare & refrigerare oportet. Calida igitur intemperie affecti, refrigerante uictu curantur, præcipuè uerò si ex aceto frigida assumatur. Panis itaque posca sit imbutus. In carniū genere pullis gallinaceis, perdicibus, uitulinis carnibus, cum aceto aut omphacio decoctis, utendum. Inter olera lactuca & portulaca maximè conducunt. Poma item, & pyra acida. Bibēda aqua frigida, si assueuit æger: sin minus, decoctū cinnamomi, aut uinum tenue & aquosum propinandum. Extrinsecus ea quæ medocriter adstringunt, & refrigerant medicamēta imponēda. Frigida intemperie uentriculi laborantes, contrarijs medicari oportet, anisi, rutæ, oreoselíniq; decocto. Cibi quibus utuntur, odoramentis, nępe cinna

Marginal notes: Humidæ. Siccæ. Signa cōmunia uitiosorū humorum. Flauæ bilis. Pituitæ. Atræ bilis. Curatio. Calidæ intemperiei curatio. Frigidæ intēperiei

cinnamomo, calamo odorato, garyophyllis, pipere & similibus cõdiantur. Danda quoque antidotus diatrionpipereôn nominata, diacalaminthes, & theriaca, forinsecus ea quæ calefacere possunt ung[illegible]ta inungenda. in potu usus sit uini ueteris & subadstringẽtis. Humidæ intemperiei auxiliãtur cibi, qui citra ualẽtẽ calefactionem refrigerationem'ue siccant. Insuper consuetæ potionis parcitas. Sicca instar hecticæ, de qua in libro quarto dicemus, curabitur. Copiosissimè uerò Galenus eius, ut etiã reliquarũ intẽperantiarũ uẽtriculi, curationẽ prosequitur, lib. 7. Ther. meth. unde ea quæ hic desiderantur petenda erũt. Cæterũ si humor aliquis calefaciẽdi uel refrigerandi uim obtinens uentriculi imbecillitatẽ effecerit, diligenter considerãdũ erit, an is humor in sinu seu amplitudine uentriculi innatet, an eiusdem tunicis impactus sit. Si in sinu cõtinetur, ac biliosus fuerit, per uomitũ statim expurgandus erit. Facilẽ uerò uomitũ reddit aqua calida, uel mulsa dilutissima bibita. Satius erit, ut ante hæc humectantia exhibeas, ue luti est ptisanæ cremor, aut oui lutea. Sin in uentriculi tunicas est receptus humor biliosus, hiera picra aluus purgabitur, qua q̃dẽ (Galeno loco antea citato teste) nullũ aliud medicamentũ ad uitiosos humores qui in uentriculi tunicis detinentur præstantius inueniri potest. Humore uacuato, uictu utãtur eodem, quo eos qui calida eiusdẽ intẽperie correpti sunt uti debere, paulo antè diximus. Intra corpus assumenda sacchara, quibus refrigerãdi & humectãdi inest facultas, itẽ antidota iisdẽ uiribus prædita. Extrinsecus uẽtriculo adhibeãtur refrigerãtia, & mediocriter adstringẽtia, ut est oleum rosaceũ, cotoneorũ, adiectis santalis, balaustiis, coralliis, & caphura. Infrigidãtiũ tamen mediocris semper sit usus, pro intẽperiei cõtrarietate. Nã immodicus horum usus, non modo non iuuat, sed etiã sæpe insanabilem morbũ efficit: quod scili-

Humidæ.

Siccæ.

Curatio imbecillitatis ventriculi ab humore.

Bilioso.

Pituitoso. cet ad concoctionẽ calore summè opus sit. Si uerò pituitosi; atq; adeò craßi & lenti humores amplitudini uentris innatent, oxymelite utendũ est, in quo ex medicamẽtis quibus incidẽdi & extenuãdi facultas quædam insit, sint decocta (uerbi gratia) hyssopus, iridis radix, origanũ, satureia, & marrubiũ. Sin tunicis uentriculi immersi fuerint, tum primũ exhibenda quæ lentã & crassam pituitã dissecent, postea uerò purgandũ. Qualia autẽ medicamenta sint quæ iam dictã pituitã purgẽt capite duodecimo primi libri diximus. Est uerò & ipsa hiera picra ad crassorũ humorũ purgationẽ nõ inutilis. Victus quoq; ratione extenuãte tum utendũ erit. Antidotis item calefaciẽtibus diatrionpipereon, diagalanges, dia cinnamomi, diãbar, zingibere cõdito, diacori, & similibus. Extrinsecus uentriculo adhibenda sunt olea calefacientia, quale est nardinũ, è menta, absinthite, mastichinum, & alia consimili facultate prædita. In hunc usum etiam cõmendantur cerata, quæ uulgus medicorũ hodie scuta stomachalia nominat. quale est hoc quod accipit: Cinnamomi selecti, garyophyllorũ, piperis longi, singu. ʒ 1. galliæ moschatæ, maceris, utriusq; ʒ ß. calami odorati, thuris, utriusq; ʒ 1. ß. ligni aloës ℈ 1. mentæ satiuæ ʒ 2. masticbes, ladani, utriusq; ʒ 2. ß. oleorũ mastichini & nardini, utriusq; ℥ ß. Cum cera & resina terebinthina quod satis est, informetur heratũ, uentriculo imponendum, & obducatur serico purpureo. Aut utendũ hoc medicamento, quod habet: Mastiches in puluerẽ redactæ ℥ 1. ß. Quæ subinde spargitur in corio scuti formã obtinente, & affunditur ei oleum nardinum. Postea igni quoad liquescant singula, adhibentur, & inspergitur ijs cinnamomi selecti, nucis moschatæ, garyophyllorum in puluerem redactorum, singul. ʒ 1. & uentriculo admouentur. Quid multa? Hæc & alia uentriculum roborantia & calefacientia sunt adhibenda:

Victus.

Scutũ stomachi.

Corroborãtia & calefacientia ventriculum.

benda: uerbi gratia menta, absinthiũ, thus, mastiche, cinnamomum, acorus uerus (galangã maiorem hodie uocãt) zingiber, macer, lignum aloës, calamus odoratus, & id genus alia libro primo, quẽ de cõpositione medicamẽ. scripsimus, commemorata. E` quibus omnibus uaria remediorum genera pro cuiusq; arbitrio componi possunt.

De nausea & vomitu. Cap. II.

NAusea, quæ facultatis expultricis uentriculi deprauatus motus est, ex uitioso humore, tum calido, tum frigido in uentriculo contento gignitur, qui aut in concauitate ipsius innatat, aut in tunicis eius infarctus instar uisci adhæret, atq; ægrè auelli põt: aut serosior existẽs in ipsis uẽtriculi tunicis, uelut aqua in spongia, immergitur. Atque eiusmodi humores ex uentriculi intẽperie tum calida, tum frigida nõnunquã nascuntur. Nonnunquã autem ex toto corpore, aut alijs partibus prius malè affectis in ipsum uentriculũ, ueluti illarũ excremẽta, confluũt, utpote ex iecinore, aut liene, aut capite, aut ex uniuerso corpore. Si ex intemperie nascuntur, facilè idipsum ex notis capite præcedẽti commemoratis, deprehendes. Vtrum uerò is humor in cauitate uentriculi innatet, aut tunicis eius infarctus sit, ita cognosces: Humorẽ uitiosum innatantẽ in uentriculo, ac nauseam excitantẽ, magna ex parte uomitio sequitur, atque ipse cibos corrumpẽs manifestè eiusmodi humore imbuit, & in suam naturã permutat. Si uerò uentriculi tunicis humor tenax immersus sit, nauseam quidem efficit, sed tamen talem, quam inanes uomendi irritationes comitentur, quæ lancinant tantum, & nullum humorem educunt. Sin serosus fuerit, non solum ante cibum, sed & post sumptum cibum uomitum inducit, idq; si in uentriculi amplitudine innatet. Qui enim superficiei uen-

Causæ.

Signa.

Humoris natantis in ventriculo

Immersi tunicis ventriculi.

Serosi.

tris infarti adhærent, ante cibum magis inanes uomitiones mouent. Quādo uerò aliæ partes, è quibus in uentriculū excrementa defluunt, prius malè afficiuntur, ipse æger primū affectæ partis læsionem sentit. aut enim caloris sensus iuxta patientē partem ipsi accidit, aut frigoris, aut grauitatis, aut etiā tactui nostro dura succumbit. Si uerò uniuersum corpus uitiosis humoribus plenū fuerit, idipsum ex colore, & pustularū eruptionibus circa cutē cognoscitur, atq; ex ipsa adeò urina. In curandi ratione diligenter cōsiderandum erit, num uentriculi tantū pathos sit, aut totius corporis, aut alicuius alterius partis. Siquidē ex alia quadā parte, aut ex uniuerso corpore humores in uentriculum cōfluāt, priorē curā totius corporis, aut partis prius malè affectæ habere oportet: ita tamē ut neq; uentriculū ipsum negligamus. Nisi enim uniuersum corpus humoribus uitiosis prius probè expurgetur, nihil egerit quisquis humorē qui se in locum aliquē receperit, expugnare conabitur. Sic quoq; is qui primum patientem particulā curat, uelut fontē omnium in uētriculum influxionum excindit. Qua uerò ratione partes quæ excremēta uentriculo demittunt sint curandæ, ex proprijs de ijs capitibus perdiscendū erit. Cæterū si in uentriculo nati fuerint humores, cōcitantes nauseā, cōsiderandum num tenues, biliosi & serosi sint, & in uentriculi sinu cōtineātur: tum enim tenuissimus ptisanæ succus dādus, aut aqua calida & ad uomitum cogēdus æger digitis, aut pennis in os immißis. Si autē intrinsecus circa superficiē uētriculi infarti fuerint, drachma una aloës in aqua diluta potui exhibenda. Siquidē calidorū qui in uētriculo sunt humorū aloë optimū est medicamētum, ita ut sæpenumero uentriculo malè habentes una die sanauerit. Post humores uacuatos, aliaq; adhibita medicamēta lenientia seu tēperātia bilis acrimoniā, quæ præcedenti capite sunt cōme

Affectus per cōsensum.

Curatio.

Si malum sit per consensum.

Si in uentriculo nati sint humores.

Biliosi.

memorata, calida uentriculi intemperies (ut eodem in loco docuimus) curãda erit. Si autẽ pituitosi, aut uiscosi, et craßi humores sint, qui amplitudini uentriculi innatent, curandi sunt ad eum modũ, qui in præcedẽti capite est à nobis expositus. Deinde frigida uentriculi amouẽda intemperies. Quòd ad uomitum quidẽ attinet, initio sciendum eum nõ esse reprimendum, à quo æger melius sese habet, iuxta hoc Hippocratis dictum: In uomitibus spontaneis, si talia purgẽtur, qualia purgari oportet, cõfert, & leuiter ferũt. Sin minus, contrà. Non erit itaq; reprimẽdus, qui decretorius fuerit, aut ubi ex uniuerso corpore in uentriculum confluunt humores, aut in ipso uentriculo propter intemperies nascũtur. Quare tunc potius is expultricis facultatis motus adiuuandus erit, in calido quidẽ pathemate aqua calida cum oleo uiolaceo pota: in frigida uerò, oxymelite propinato, & alijs quæ anteà sunt à nobis commemorata. Quòd si uerò immodicus fuerit uomitus, atq; ægri planè uires iam deijcere cœperint, tũ suppreßioni eius studendum erit. Quare principio decubitus sursum uergens adornetur, in conuenienti & malo contraria domo: quæ frigida quidem sit malo existente calido: cõtrà uerò calida, ubi frigidum malum existat. Extremæ corporis partes fricẽtur, manibusq; calfactis palpentur, quin & uiolentius uinculis stringantur. Deinde pedes & manus in aquam solito calidiorem demittantur. Odoramenta uerò naribus admoueantur olfacienda boni odoris, uelut rosæ, mala cotonea, pulegium, menta, fœniculum, spica nardi. Ventriculus extrinsecus oleis absinthite & rosaceo illinatur. Cataplasmata è palmulis, malis cotoneis, absinthio, item cerata ex ijs & similibus, nempe menta, lolij farina, mastiche, thure, parata, & uentriculo imposita prosunt. Palmulas autem in uino ueteri maceratas optimè conterere oportet, deinde

Pituitosi.
De uomitu
1. Aph. 2. 22
Immodici uomitus curatio.

mastichen & thus unumquodq; per se optimè tritum adijcere, & rursus simul terere. In hunc locum etiam reuocanda remedia, quæ partim in capite De cholera, partim etiam De dysenteria dicemus. Porrò malo diutius permanente, & cibis non retentis, cucurbita ad os uentriculi cum plurima flamma affigenda, donec locus rubefiat, atq; ipsa adhuc affixa cibus præbeatur.

Diuturni vomitus curatio.

De siti immensa. Cap. III.

Causæ.

SItis, Galeno lib. 1. De simplic. medi. facul. capite 30. teste, duplici ratione prouenire solet, partim humoris inopia, partim caloris copia. Calefit autem uentriculus multis & uarijs modis, propter scilicet calidam intemperiem nudæ qualitatis simplicem uel compositam, aut calidos & biliosos humores in eo natos, aut ad eum cõfluentes. Item ob uini ueteris & copiosi potum. Exiccatur uerò propter siccam quæ in eo est intemperiem, aut humores salsos, aut salsæ aquæ potum: item nonnunquam ob consensum totius corporis, ut in ardentibus & hecticis febribus accidere solet. Causarũ diuersitas facilè ex ægri sermonibus & ijs notis quas in duobus capitibus præcedẽtibus narrauimus, cognoscitur. Porrò causa cognita, unicuiq; peculiaris curãdi ratio est adhibẽda. Quare siti ex calore prouenienti, refrigerãtibus est subueniendũ. Cõuenit itaq; frigidi aëris attractio, & aquæ, aut uini aquosi potio. Item cucumeris semen cõmanducatum. Decorticatum uerò & tritũ, ex aqua potatũ, siti ex calore uentriculi ortæ, ualde auxiliatur. Eodẽ modo prodest lactucæ semẽ mãducatũ & potum: itẽ semẽ portulacæ. Optimum ad sitim tollendam est hoc, quod habet: Cucumeris satiui seminis decorticati ℥ 1. tragacãthæ ℥ ß. Tragacanthã contundito & cribrato, semẽ uerò conterito, eisq; ouorum crudorum recentium candida adijcito,

Ventriculus quibus calefiat.

Quibus siccetur.

Signa.

Curatio sitis ex calore.

Catapotia sub lingua detinenda.

adijcito, & simul omnibus contritis catapotia informato, ac in umbra exiccato. Ex his deinde unum detinẽdum præbeto, ut paulatim dissolutũ deglutiatur. Quibus autem longo iam tempore uentriculus æstuat, eis succurrit radicis dulcis succus potus, atq; ipsa etiã radix ex aqua, & portulacæ succus. Cæterum qui siti præmũtur ex calore & siccitate, ut accidit in ardẽtibus febribus, & peraridis omnibus, & in ijs q æstate laborãt, ac in graui æstu, ijs optimè medetur oxycratum, ut quod ex aceto & aqua cõpositũ sit. Acetum autẽ strenuè refrigerat, & quouis expeditè permeat: aqua uerò, supra quàm quod refrigerat, omniũ quoq; est uel humidissima. Nihil enim (ut loco antea citato testatur Galenus) aqua est humidius. Sitim etiã quæ in febribus oboritur, lenire solet capitis irrigatio ex frigidissimo oleo, aut rosaceo, ex alto nimirũ syncipite irrorato. Siccitatis quoq; optimum remedium est somnus. Quare rectè ab Hippocrate 5. Aph. 27. dictum est: Qui noctu bibere appetunt, his admodum sitientibus si superdormierint, bonum. Vbi autẽ caliditas & humiditas coëant, ut accidit in ea aquæ inter cutem specie, in qua in uentre salsi humoris copia congeritur, aut in ijs quibus salsa pituita uentriculus refertus est, tum acetum optimum est remedium. Conducit etiam ijs absorbere malorum cotonerum cremorem, aut pyrorum, aut omphacij succum cum aqua. Si autem biliosi aut salsi humores in uentriculo innatantes, aut eidem immersi & infarcti sitim excitauerint, tum exhibẽda erunt medicamenta, quæ eosdem uacuare possunt humores. Deinde uerò adstringentibus & roborantibus uentriculum utendum est: quorum omnium exempla è superioribus petenda. His qui ob multi uini ueteris potum sitiunt, frigida aqua potata succurrit, & alia quæ lib. 1. capite 14. sunt commemorata.

Curatio diuturnæ sitis.

Ex calore & siccitate.

Oxycratũ

Curatio sitis quæ in febribus accidit.

Si caliditas & humiditas coeant.

Si biliosi aut salsi humores sitim excitauerint.

De dolore stomachi. Cap IIII.

καρδιακή. καρδιαλγία. καρδιωγμός. Causæ. Syncope stomachica Signa. Victus.

DOlorem stomachi Græci καρδιακὴν & καρδιαλγίαν nominant. Siquidē prisci os uentriculi, ut testatur Galenus 4. Aph. comment. 17. & lib. 5. de patient. locis, capite 5. & multis alijs in locis, καρδίαν, hoc est cor nominarunt. Hinc est quod hoc malum Hippocrati etiam καρδιωγμός, id est, cordis morsus dicatur. Fit hoc uitium, ubi in stomacho praui, uenenati, & morsu uellicantes humores detinentur. Vnde accidit, ut propter intolerabilem mordacitatem syncopen inferant, quam stomachicam appellamus. Malum ex aßidua in ore uentriculi punctura & uellicatione statim innotescit. In hoc malo cibi refrigerantes, & qui robur stomacho afferre possunt, offerendi sunt. In quo censu habētur lactucæ, & portulacæ cū aceto acceptæ: item mala punica, & citrea uocata, pyra, uuæ acerbæ, & eiusmodi. Panis etiam, aqua egelida maceratus, conuenit. Reliqui quoque cibi tales sint, ut facilè concoquantur, & tamen corruptioni non sint obnoxij. Eius quidem generis sunt pulli gallinacei, perdices, aues montanæ, & similia cum omphacio cocta. Item pisces saxatiles cum aceto, limonibus, & acido citrij mali succo cocti. Bibāt ægri cinnamomi decoctum, aut uinum aquosum tenue.

Curatio. Vomitus. Purgatio.

Quantum ad curandi rationem attinet, initio uomitus est per remedia quæ antea dicta sunt eliciendus. Dein quoq; per inferna purgare oportet, hiera picra assumpta. Quibus per actis remedijs uentriculum roborantibus utendum, tam extra quàm intra corpus. De quibus non est necesse sermonē prolongare, quòd de ijs suprà capite secundo, & alijs locis satis copiosè dictum sit. Quare ad alia uentriculi uitia progrediamur, atq; quo pacto ea sint curanda ostendamus.

De inflammatione ventriculi. Caput V.

INflammatio uentriculi haud secus atq; aliarum partium corporis fit, à confluxu sanguinis copiosi & calidi. Hãc autem testantur dolor immensus, assiduus, & qui nullis medicamentis admotis mitigari potest. Praeterea tumor, aestus qui tactu dijudicari queat, febris, grauitas & nausea. Victũ perinde atq; in alijs inflammationibus tenuẽ & exquisitum esse cõuenit. Quòd etiã monet Galenus lib. 13. The. methodi. quod scilicet eius munus toti animali cõmune sit. Vtẽdũ itaq; ptisanae cremore, abstinendũ uerò à carnibus, uino, & alijs cibis calidis. Bibat aeger decoctũ cinnamomi, aut succũ malorum granatorũ acidorum, aut aliorum fructuum frigidorũ & adstringentium. Parum dormiat, & nõ multũ admodũ loquatur. Fugiat quoad fieri potest tristitiã, uerseturq; in aëre mediocriter frigido. Curãdi ratio à sanguinis missione auspicanda, modo corporis uniuersi plenitudo, ac uiriũ robur adsint. Incidenda uerò cubiti uena interna, & pro uiriũ robore sanguis detrahẽdus. Post haec quae reprimũt & adstringunt, foris ubi dolor & tumor maximè apparẽt, sunt imponenda. Ventriculus enim, potissimum uerò os eius, eorũ quae adstringunt cõplexu semper quidẽ indiget, multo maximè uerò ubi fuerit inflammatus. Quare qui solis relaxantibus praesidijs, citra eorum quae corroborant admixtionem, curationẽ tentant, periculũ uitae inferunt. Oportet itaq; siue oleum sit, quo inflammationem patientes foueantur, siue cataplasma ipsis imponatur, semper aliquid ex adstringentibus admiscere. Quapropter in hunc usum maxime conuenit oleum in quo absinthium, aut malum cotoneũ decoctum sit, admixta simul mastiche adhibere. Item succum cotoneorum, aut pyrorũ,

Causae.
Indicia.
Victus.
Curatio.
Venae sectio.
Reprimẽtia & adstringẽtia.

adiectis rosis purpureis, hordei farina, santalis, bolo armenia, & similibus. Licebit etiã uti hoc cerato, quod habet: Farinæ hordei ℥ ß. santalorum alborum & purpureorum, rosarũ purpurearum, singul. ʒ 2. ß. boli armeniæ ʒ 1. ß. aloës, mastiches, utriusq; ʒ 1. absinthij, nucis moschatæ, balaustiorum, singul. ʒ ß. oleorum mastichini, rosacei, utrorũq; ℥ 1. ß. Cum cera & resina terebinthina quod satis est, informetur ceratum uentriculo imponẽdũ. Quòd si maiori adstrictione opus erit, id quod tum fit, quãdo tanta fuerit stomachi imbecillitas, ut ne cibum quidẽ retinere possit, rectè prædictis misceatur omphaciũ, aut absinthij succus, aut hypocisthis, & rhu obsoniorũ. Hæc autẽ omnia, si uehemẽs sit inflammatio, actu frigida sunt admouenda. Quòd si aluus nihil deijciat, clysteribus leuibus irritanda erit. Neq; temerè facit, qui æstus uehementia paululum remissa, casiæ fistularis ℥ ß. intubi satiui stillaticio liquore dilutam exhibet. Hoc etiã tempore adstringentibus medicamentis, quæ extrinsecus imponuntur, nonnulla quibus discutiendi facultas inest, permiscenda erunt: ut est farina fœnogræci, flores chamæmeli, altheæ, & lini semina. Nunquam autẽ, ut antea quoq; monuimus, etiã ne tũc quidẽ quum nihil amplius affluit, & repelli quod in laborãte particula continetur, nõ potest, solis relaxantibus & discutientibus utendum: sed semper adstringentia quæ robur uentriculi cõseruare ualent, admiscẽda, ut diligenter etiã Galenus lib. 13. Ther. meth. cap. 10. monuit. Quare hoc tempore illius emplastri usus cõueniens erit, quod accipit: Farinæ seminis lini, fœnogræci, utriusq; ℥ ß. seminis anethi ʒ 2. florum chamæmeli, meliloti, utriusq; ℥ ß. absinthij, balaustiorum, rosarum purpurearum, utriusq; ʒ 2. hypocisthidis ℈ 2. oleorũ chamæmelini, liliacei, rosacei, mastichini, singul. ℥ ß. axungiæ gallinæ, anserinæ, utriusq; ʒ 2. Commixtis omnibus reducan

Ceratum.

Si aluus nihil reijciat.

Emplastrũ

ducan

ducantur in formam emplastri. Antequam tamē apponatur, non ab re erit, si hoc unguento uentriculus inungatur, quod habet: Oleorum chamæmelini, anethini, cotoneorum, singu. ℥ 3. pulueris radicis altheæ, absinthij, seminis lini, singul. ℈ 1. ceræ quod satis est, fiat unguentum. Vnguētū.

De cibi fastidio. Cap. VI.

Cibi fastidium diximus malum, quod Græci ἀνορεξίαν, Latini uerò appetentiæ amißionē uocant. Accidit aut ob sensus exuctionis uenarū (qui sanè naturalis fames, Galeno lib. 1. de Symp. causis cap. 7. teste, existit) amißionem, aut quòd exuctio nō fiat, aut quòd corpus nō inaniatur. Contingit etiam sæpe propter aliquam calidā, potißimum uentriculi intemperiē, quæ solida corpora laxādo dissoluit, atq; ad attractionis functionē reddit imbecilliora: humida uerò fundendo supra modū extendit. Oritur interdum ob uitiosorum humorū in uentriculo redundantiā, & ob immoderatā uentris & intestinorū fluxionē, item sanguinis immodicā mißionem. Respuunt quoq; cibū ægri in cōtinuis & uehementibus febribus, uentriculi, iecinoris, uuluæq; inflāmationibus alijsq; multis de causis, quas nō opus est nunc recensere. Indicia quæ calidā testātur intemperiē, suprà cōmemorauimus, nempe capite primo. Qui biliosorū humorū uitio cibum auersantur, uentriculi morsu torquentur, nauseaq; & siti magis cōficiuntur. Quibus autē humores cōputruerint, ij etiā interdum febricitāt. At quibus craßi lentiq; humores fastidiū pariūt, ij nec rosionē uētriculi, nec sitim experiūtur. Cōmuniter autē omnibus superuenit nausea. Si iuxta principiū morborū accesserit fastidiū, aut iuxta eorundē uigorē, quū uires adhuc sustinere possunt, nihil molestiarū infert: modico enim alimento ægri indigent. Si uerò in declinatione totius

Margin notes: ἀνορεξία. — Appetentiæ amißio. — Signa. — Quando fastidium periculo vacet, nec ne.

tius morbi appetentiæ perditio accedat, aut in diuturna imbecillitate, aut uiribus debilitatis, aut ex immodica inanitione, periculo nõ uacat. Augetur malum hoc ab ætate. Incommode enim eo pueri afficiũtur, utpote q natura uoraces sunt, et aßiduo fomite indigent. Quare magnus præter naturã excessus significatur, si pueri appetitus perditione fuerint affecti. Quod ad curãdi rationem attinet, si ex uirium uentriculi imbecillitate appetentiæ amißio fiat, considerandum qualis intemperies uires exoluit: & per contraria ea ipsa corrigẽda, ueluti suo diximus loco. Si uerò uitiatorum humorũ præsentia fastidium excitarit, & tenues atq; mordaces fuerint, antequam aliam curã adhibeamus, cõtentos in uentriculo humores, uomitu uacuabimus. Quòd si ægrè uomit laborans, sorbitiones & alia quæ humectare possunt alimẽta exhibebimus, quæ eiusmodi humores ad aluum elicere, atq; infernè expellere consueuerunt. Aut plenè hiera picra aluus purgãda. Deinde per ea quæ ad hanc rem idonea sunt, corpora ad bonũ perducemus tẽperamentũ. Quibus craßi lentiq; humores fastidij autores fuerint, ijs medeberis extenuãdo ipsos, incidendoq; tum oxymelite, tum ijs quæ ex hoc & ex muria cõponuntur, ut cappari, oliuis, sinapi, & similibus, quæ capite primo exposuimus. Si uerò propter inflãmationẽ, aut obturationẽ alicuius alterius partis cibi fastidiũ accidat, tũ illius curationẽ adhibere cõuenit. Conandũ uerò unicè, ut per odoramenta appetentiam reuocemus, aut uino, odoro diluto, aut malorũ cotoneorum decocto, aut pyrorum. Inunctione item leni idẽ conabimur per olea, rosaceum, mastichinũ & similia, ac moderata corporis frictione. Insessus etiã lumbos & pectinẽ amplectentes adhibendi sunt. Cibi apparẽtur etiã plures & uarij, ac optimo apparatu. & ultra dulcedinem quoq; illiciẽtes, & appetitũ irritãtes: frumentacei in primis gene

Curatio fastidij ob intemperiẽ.

Ob vitiatos humores.

Tenues.

Crassos.

Ob inflammationem.

generis,ac multi alimẽti,uelut eſt alica ex decocto palmularũ,ac prunorũ damaſcenorũ lota, oua ſorbilia, & ex uolucribus nõ graueolẽtes,& macræ & mõtanæ: pedes ſuilli in decoctione plurimũ eliquati. Eiuſmodi enim cibos ſi guſtauerint tantũ,ſufficiẽs alimentũ deinde corpori afferẽt. Omnia uerò quæ exhibẽtur eiuſmodi eſſe cõuenit, ut facile deuorari poßint. Quæ enim multa cõmanducatione indigẽt,iniucunditatem quãdam adferunt, & appetitum auertunt. Nec negligendum, quin præter unguenta extrinſecus etiam imponantur uentriculo cataplaſmata ex palmulis,malis cotoneis, abſinthio,& ſimilibus. Item cerata ex eadem materia apparata,quorum etiam exempla è ſuperioribus petenda.

De appetentia canina. Cap. VII.

CAnina appetẽtia,quæ Græcis ϰυνώδης ὄρεξις dicitur, contrariũ eſt amißioni appetitus malũ. Qui enim ſic laborãt,ij plures appetũt cibos,& cũ appetitũ cohibere nequeãt,in ingerẽdis cibis modũ excedũt: deinde multitudine eorum grauati,et aſſumptos cibos citra noxã ferre haud potentes,ad uomitũ diuertũt. Poſtea rurſus cibo ſe explẽtes,denuo aduomitũ reuertuntur quẽadmodũ canes: unde etiã malũ hoc appellationẽ accepit. Fit ꝓpter frigidiorẽ uentriculi tẽperaturam,aut propter uitiatos & acidos humores,qui os uentriiculi mordẽt et irritãt. Quippe frigidi humores uitiati roſionẽ quæ ſuctioni proportione reſpondeat inducũt,ciborumq; appetentiã haud aliter q̃ naturale pathema excitant. Accidit etiã nõnunquã propter totius corporis immodicam dißipationẽ,quæ aut caloris uim,aut retẽtricis facultatis imbecillitatẽ ſequitur,ut copioſe lib. 1. de Symp. cauſis ca. 7. Galenus mõſtrat. Frigida uentriculi intẽperies ex deprauata cõcoctione,inflatione,murmure,ac egeſtionibus multis dignoſcitur,

Canina appetentia.

Cauſæ.

Signa.

scitur, alijsq; indicijs suo loco cõmemoratis. Acidi humores è ructu acido, multaq; egestione & liquida admodũ deprehenduntur. Immodica dißipatio si in causa fuerit atq; ob caloris qui instar ignis cibos cõsumit, & cutem rarefacit, uim acciderit: tunc pauciores uentris egestiones procedũt, quàm pro eorũ quæ ingeruntur modo ac proportione, & quæ egeruntur sicciora sunt. Sin ob retẽtricis facultatis quæ cibis dominari nõ potest, imbecillitatẽ prouenerit, tũ eorũ quæ fuerunt ingesta, multa fit deiectio. Quòd ad curãdi rationẽ spectat, frigida intẽperies ad eũ quẽ suo loco diximus modũ curatur. Si uerò ab acidis humoribus ori uẽtriculi impactis, ac ueluti aqua in spõgiã immersis canina, atq; adeò immodica appetẽtia fiat, initio hiera picra Galeni exhibenda erit. Hæc enim nõ tantum calefacere, uerũctiã dissecare, ac repurgare, extrahereq; ex profundo ori uentriculi infarctos humores, & per aluũ infernè euacuare potest. Quin & robur uẽtriculo addit, ut subinde nõ facile nociuũ humorẽ suscipiat. Quare ea ad uitiosos humores uẽtriculo impactos, ut suprà etiã cap. 1. à nobis cõmemoratũ est, educẽdos, præstantißima est. Exhibeatur autẽ pondere drachmarũ quatuor ex uino cum aqua calida diluto. Si uerò puer hoc malo laboret, qui ob amaritudinẽ bibere nequeat, in catapotia duas drachmas huius medicamẽti digeremus, & forinsecus melle cocto oblinẽtes deuoranda exhibebimus. Quum uerò magna ex parte à pituita acida malũ hoc accidat, ijs utendũ cibis & medicamẽtis quæ hãc incidere, dissecare, repurgare, & calefacere possunt: ueluti sunt allia, porrũ, thymus, satureia, origanũ, pulegium, & quæ ijs similia existũt. Quapropter uacuatis initio uitiosis humoribus, hac tandẽ uictus ratione utantur. Panis non sit recens, neq; bene fermentatus, cui etiam quæ urinam mouent admisceantur, uelut est anisum, careum, cuminũ, petro

Curatio.

Si ex acidis humoribus.

Victus.

trofelinum, & quæ eius generis existũt. Cibi sint pingues, & oleosi. Sorbitiones itaq; cõuenient appetitũ destruentes, ueluti sunt pultes ex melle multo, & oleo plurimo, aut adipe anserino, gallinaceo, aut suillo. Ex oleribus aũt malua. Cerebella item & pinguiores uolucriũ partes, pisciumq́; eodem modo, & omnino quæ appetitũ auertunt, & satietatẽ inducunt, & quæ magno cumulo accepta, modicè alunt. Vinum autẽ ipsis rectè datur copiosum, quantũ uidelicet bibere possunt ex eorũ numero quæ impẽse calefaciunt, cuiusmodi sunt colore fulua, substantia tenuia, odora, adstrictionisq́; expertia. Hoc enim uẽtriculũ excalfacit, & humorũ destruit acorem, ut sæpe solũ suffecerit cũ pinguibus & oleosis cibis ad perfectã curationẽ: ita ut rectißimè ab Hippocrate dictum sit: Famem uini potio soluit. Exhibendum uerò tam ieiunis, quàm ijs qui cibum sumpserũt, etiam si nondum sitierint. Ieiunis tamen calidum, aut certè tepidum. Abstinere autẽ oportet ab omnibus acidis & adstringentibus cibis ac potibus, maximè uerò à fructibus. Bellaria eorum sint, pistacia, amygdalæ, nuces pineæ, & oliuæ ex mellæ. Lac etiã ipsis exhibẽdum tum per se, tum cũ paßo aut melle: ita tamen ut obseruemus ac uitemus in eis, quibus in uentriculo acescere cõsueuit. In ijs enim maius nocumentum quàm utilitas cõsequetur. Probè uerò concoctum non solum appetitũ obtundit, sed & aluum obturatam emollit, fluxionesq́; eius sistit. Apparandæ etiã ex ipso lacte potiones & placentæ, ut sunt dulciaria, & oryza cum lacte decocta exhibẽda. Lauare quoq; per interualla oportet, cuticulãq́; ipsorũ largè pinguefacere. Isto quidem curationis modo tantisper utendũ, dum à malo penitus liberetur æger. Si uerò ex immodica dißipatione, ac transpiratione canina appetentia oritur, tunc eorum qui hoc modo patiuntur cutem dẽsare, ac spißiorem reddere conuenit, cum oleo

2. Aph. 21.

Ab quibus abstinẽdũ.

Si ex immodica dissipatione.

oleo ex immaturis oliuis expresso, aut rosaceo, aut myrtino, aut alio in quo quippiã adstringẽs ad lentum ignem decoctũ sit. Quinetiã optima ratione æger in aëre frigido ac spirabili uersabitur. Fugiat uerò aërem calidum, & balnea cõsimili qualitate prædita, uini potum, & omnia quæ tum extrinsecus, tum intrinsecus calefacere possunt. Potus autẽ sit aqua frigida, aut cinnamomi decoctum. Ducatur æger ad lauacrũ frigidũ, si quidẽ nihil id fieri prohibeat: utpote corporis gracilitas, aut pars aliqua corporis refrigerata, thorax (uerbi gratia) aut alia quæpiam. Cibi eis exhibendi sunt stabiles, & ægrè corruptibiles, ut sunt cochleæ, & totum genus testaceorum, si ex duarum aquarum reiterata decoctione apparẽtur: carnes itẽ suillæ in uigore existentes, maximè uerò uentres. Bubulæ quoq; pinguiores, & omnia simpliciter pinguia, & quæ uẽtri innatãt, tardeq; cõcoquũtur ac distribuũtur. Sunt enim qui sic afficiũtur, quãdoquidẽ ipsis calor acris ac mordax, & ut quispiã dixerit febriculosus inest, ex eorũ numero, qui minori negotio bubulas carnes aliaq; concoctu difficilia, quàm saxatiles pisces, similiaq; cõcoctu facilia cõficiunt, ut fusius in præfatione libri primi de alimentorũ facultatibus Galenus docet. Ex ouis, ea quæ coquẽdo sunt indurata, aut sartagine frixa conueniunt. Similago absq; melle ex pinguibus iusculis apparata, similiter oryza cũ butyro decocta, & panes nõ fermẽtati. Iuxta proportionẽ autẽ quantũ malum imminuitur, tantum ex craßi humoris cibis est detrahendũ, & ex adstringẽtibus forinsecus admotis imminuendum. Aliquãdo enim sedata uehemẽtis appetẽtiæ acceßione, quũ corpus crudis & craßis humoribus repletur, in aliud grauius malũ transitio fit. Inter adstringẽtia uerò, præterea quæ suprà dicta sunt, illius unguenti usus esse poterit, quod habet: Oleorũ myrtini & cotoneorũ, utrorũq; ℥ ß. olei rosacei

Vnguentũ adstringẽs.

ſacei ℥ 1. ſucci plantaginis ʒ 2. ſantalorum purpureorũ, maſtiches, biſtortæ, roſarum purpurearum, ſingul. ʒ 1. boli armeniæ ℈ 2. hypociſthidis, acatiæ, ſanguinis draconis, ſingul. ℈ 1. ceræ quod ſatis eſt, formetur unguentum.

De bulimo. Cap. VIII.

Βούλιμος Græcis nihil aliud eſt quã ingens uehemẽsq́; — Bulimos.
fames. βου enim particula alijs uocibus adiecta, ſigni-
ficationẽ eorũ auget. Fit ex uẽtriculi frigiditate, indigẽtiaq́; — Cauſæ.
& uirium imbecillitate, & ferè in totũ ab externo frigore
initiũ capit. Siquidẽ peregrinationes multæ, & lõga itinera,
maximè per niuẽ facta, malũ hoc inducũt. Dignoſcitur hac — Signa.
ratione: fames initio multa adeſt, quæ tamẽ non uſquequaque
perdurat. Nã poſtea repẽte animo linquuntur ægri, cum ex-
tremarũ partiũ refrigeratione, & ſpiritus defectione. Porrò — Curatio.
huic malo ſtatim adhibẽda curatio erit, quod ſint qui in locis
deſertis, aut in balneo eo correpti confeſtim, auxilij facultate
deſtituti, perierint. Quare eos qui in itinere, aut aliàs fame — Si malũ ſi-
magna citra febrẽ infeſtantur, refouebimus aceto, aut pule- — ne febre ſit
gio, ad odorandum exhibito, aut terra quæcunq; tandem cõ-
tigerit aceto conſperſa, aut malis, aut pyris, aut ſimilibus a-
lijs fructibus qui ad manũ fuerint. Auxiliatur & panis recẽs
naribus admotus, et caſeus boni odoris, caro ſuilla aſſata aut
cocta, et in uniuerſum omne qđ multũ alit, maximè uerò qđ
nidoroſum ac probè conditũ, ſufficiẽtemq́; odorẽ habet. Per
huiuſmodi enim odores, tales ut plurimũ refocillantur: quum
nihil ſit, ut diximus lib. 2. capite de ſyncope, quod odore citius
uires reficere poſſit. Cæterùm & extremæ eorum partes fa-
ſcijs conſtringendæ ſunt, manuumq́; ac pedũ ſummitates ca-
lidæ aquæ feruentiori imponendæ, ipſiq́; tum maxillarũ pun-
ctura, tum capillorũ & aurium uellicationi excitãdi. Reuo-

catis uerò iam ab exolutione, panem ex uino diluto, aut aliud quippiã eorum quæ aceruatim uires reparare possunt, offeremus: uelut sunt oua sorbilia, alica cum uino. Cõpendiosissimũ enim auxilium ex cibo sperare possunt, quẽ etiam si oblatum assumere nõ possunt, ori indere oportet uiolenter, cogereq; ut ipsum deglutiãt. E` uestigio enim & à fame, & ab animi deliquio liberãtur, & celeriter excitãtur. In hũc quoque usum cõueniunt antidota ex odoramentorũ uarietate cõposita, ut est odoratũ rosaceũ, diambar, diãthôn, diamoschi, alipta moschata, & id genus alia. Quòd si in febribus (quod tamẽ raro accidit) bulimos inuaserit, atq; circa exacerbationũ febriliũ declinationẽ eius accessio irruerit, intrepidè cibi sunt offerendi. Si uerò in principio accessionis, aut in uigore acciderit, per odoramenta prædicta reuocãdi sunt ægri, maximè per ea quæ sunt frumentacei generis, uelut est polenta aqua madefacta, aut panis calidus nidorem adhuc emittens: frictio quoq; extremarum partiũ adhibẽda, & cataplasmata ex palmulis, aut malis cotoneis in uino decoctis. Atque hæc usq; ad remißionẽ facere oportet, ut oportunè cibum offerre liceat. Quòd si ex ijs nihilo melius habeant ægri, audendũ est per ciborum ingestionem auxiliũ adferre. Cremorem itaque ptisanæ, aut buccellas unã & itẽ alteram uino albo & tenui madefactas exhibebimus. His enim refocillati, ac ex improuiso respicientes, deinceps usq; ad remißionem perueniunt. Vitabimus autẽ omnino in ijs qui hoc malo sunt apprehensi, longiorem cibi dilationẽ ac inediam. Verùm solerti ratiocinatione facta, singulis horis simplicißimũ modicumq; cibum dabimus. Aßiduus enim bulimos & exoluit, & animi deliquia, ut dictum est, affert, quibus ægrè auxilium reperitur. Quòd autem in ipsa etiam accessione liceat ægrotantes nutrire & cibare, pereleganti historia Galenus lib. 10. Ther. meth.

Si in febribus malum accidat.

meth. capi. 3. ostendit, ubi multa quoq; ad institutum facientia offendent studiosi.

De cruditate. Cap. IX.

CRuditas, quam Græci ἀπεψίαν uocant, est ubi cibi in totum non permutantur. Causæ eius intemperies uentriculi, inflãmationes, scirrhi, abscessus, & quæcunque eius generis existunt. Aliquãdo autem uentriculo nihil patiente cibi crudi permanent, aut propter immoderatã ciborum ac potuũ ingestionem, aut ob uitiosam ipsorũ ciborũ qualitatẽ, aut ex intempestiua, aut etiam inordinata sumptione, aut ob recrementum uitiosum, aut somnum breuem, quemadmodum Galenus libro 3. De sympt. causis cap. 1. copiosè docet. Causarũ diuersitas partim ex ægri & aßidẽtiũ sermonibus, partim etiam ex indicijs certis deprehenditur. Ex sermonibus ægrorum & aßidentiũ cognoscuntur immodica ciborũ & potionum, itemq; intempestiua & inordinata ingestio, somniq; breuitas. Vitiosæ autẽ ciborũ qualitates è nidoribus & ructibus. Corruptiones enim nidorosæ in calidioribus & biliosioribus, acidæ uerò in frigidioribus natura, & magis pituitosis. Eodẽ modo & de excrementis, quæ in uentriculo præexistunt, iudicandum erit: quæcunq; enim ex eis pituitosa & frigida sunt, acidas corruptiones efficiunt: quæ uerò calida & amara bile mixta, nidorosas. Ipse quoq; uentriculus aliquo modo affectus, si quidem frigidus morbus existat, acidas permutationes facit, calidus uerò nidorosas. Quum uerò citra corruptionẽ perfecta cruditas oboritur, ut quales aßumpti sunt cibi, tales permaneant iuxta omnẽ suam qualitatem, ex hoc cognoscere datur uictum esse uentriculũ, aut ab immoderata ciborũ quantitate, aut per uehementem insiti caloris refrigerationẽ. Vt ne quis igitur in cruditatem inci-

ἀπεψία
Cruditas.
Signa.
Victus.

dat, cautione in omnibus prædictis est utēdū, ut neq; in multitudine, neq; in qualitate eorū quæ in cibo accipiūtur, neque in acceptionis opportunitate, neq; in ordine delinquat: & ut quæcunque concoquere ualeat, ea tantum ingerat, & non quæ appetitus expostulat. Mensuræ itaque maximè omnium diligentem curam habere oportet, appetentiamq; refrænare, & neq; plus quàm uires tolerant assumere. Ordinē etiā præposterū cauere oportet, ne scilicet mala cotonea, aut punica, aut aliqd aliud tale imprimis ingerat, deinde uerò olera assumant ex oleo & garo, aut etiam alia quæ aluū emolliūt. Intēpestiuam quoque assumptionem euitare conuenit, ne scilicet antequàm uel ipse modicè fuerit exercitatus, uel hesternus cibus probè descenderit, prandeat, aut etiā præter consuetam horam. Fugienda etiā omnia quæ natura difficulter concoquuntur, ueluti sunt carnes natura duræ, bubulæ nimirum, & ceruinæ, aut ætate, ut sunt omnia seniora. Cauendum etiam à pinguibus, salisq; condimento seruatis, ac uetustis. Ex oleribus quæ calidioris sunt naturæ, ualdeq; frigidæ: item quæ flatus pariunt, incommoda existunt. Ex piscibus qui duras carnes habent, & repositione arefacti. Abstineāt quoq; à cibis corruptis, & fœtidis ac grauеolentibus. Vitent fructus dulces, aut flatus generantes, & immaturos. Bellaria item quæ difficulter concoquuntur. Non minus autē uitandi cibi peregrini & inconsueti, ac medicamentariā uim habentes, quales frequenter placentis ac panibus immiscentur. Iuxta tempus uerò accipiēdi cibi neq; impetuosè, neq; aceruatim, neq; solidis partibus, aut absque commanducatione eos ingerere oportet. Neq; etiam potus cibum interpellet: id enim unitionem ciborum impedit, singulosq; innatare facit. Post assumptum cibum motus inæquales ac conturbantes uitandi, item æstus & refrigeratio: hæc enim concoctioni ciborum resistunt.

Cibi modus.

Ordo.

Tempus.

ſtunt. Adiuuant autem eandem calefactio hypochondriorũ, & frictio pedum. Quòd ſi grauitas adſit circa uentriculum, & ex ea moleſtia quædam in uniuerſum corpus diffundatur, ex paſſa manu os uentriculi apprehendendum eſt, aut puerulus carnoſus admouendus. Cõfert ſiquidẽ amplius, Galeno lib. 5. De ſimpl. medi. facul. cap. 5. autore, magisq; multo familiaris eſt eo calore, qui à fomentis paratur. Eiuſdem utilitatis gratia, quidam paruos catellos per quietem uentri imponunt, copiã coquentis cibos caliditatis adaugẽtes. Somnus etiã nocte imperturbatus & æqualis ꝓcurãdus. Adhæc erectior decubitus apparetur, et ea quæ capiti ſubijciũtur ſublimius inſternantur, & reclinatio ipſa in ſiniſtrum latus fiat: atq; ſi quis uigilijs infeſtetur, citra corporis uexationẽ cõmotionem'ue permaneat, eãdemq; decubitus formam obſeruet: frequentes enim agitationes cibos perturbãt, inteſtinaq; inflata reddunt. Curandi ratio pro cauſarum diuerſitate uariatur. Aliam enim intemperies uentriculi calida, aliam frigida requirit. Aliam item inflammatio, aliam ſcirrhus & abſceſſus, quas omnes è proprijs capitibus petent ſtudioſi. In præſentiarum hæc dixiſſe ſatis ſit, quum iniucundus ructus proueniẽs manifeſtè ciborum corruptionem eſſe factam indicat, citra cunctationẽ ad uomitũ ueniendum erit, atq; aqua tepida ingeſta, omnia corrupta ad excretionem cogenda. Si enim in uentre permãſerint, & torſionum, & grauitatis capitis cauſa exiſtunt. Aliquando autẽ bilis ſupernè ac infernè effuſionem, aut profluuium uentris, aut etiã febres inducunt. Quare eos qui difficili cõcoctione apprehendi ſolent, longo ante tempore aſſuefaciemus ut facile uomãt: commodiſsimus enim in plurimis periculis exiſtit. Quòd ſi quis natura difficulter uomat, & ob nullam cauſam malè diſpoſitus ſit ad frigidæ potum, non inconueniens erit cyathum unum aquæ frigidæ

Curatio.

Quãdo vomendum.

Si quis ægre vomat.

gidæ puræ absorbere. Corroboratus enim uentriculus celer= rimè quæ in ipso hærent extrudit, & ad subiectas partes de= mittit. Sequēti deinde die in q̃te æger asseruetur, frictioneq; pedū utatur, & hypochondriorū cōcalefactione, donec mur mura & flatus circa intestinum rectū eruperint, eructatio nesq; cū qualitate māsuetiori recurrerint. Et tūc sanè exur= gere conuenit, ut primū aluus ea quæ corrupta sunt egerat: deinde ad deambulationē moderatā æger procedat, atq; otiū agat, propter cōmotos uapores ex corruptione in caput de= latos. Post hæc autē ad quotidianas actiones mēs applicanda est citra perturbationē ac indignationē. Deinde rursus uen= ter cogēdus est ad corū quæ relicta sunt excreationē. Postea quiescere iubebimus, atq; aqua calidiore pedes perfundere ac fouere, frigida uerò pura facie proluta, in lecto quiescere o= mnibus conatibus somnū illiciēdo. Post quē modica deābula= tio, deinde balneū suscipiatur. A balneo cibū capere cōuenit moderatū, & cui cōcoquēdo corpus sufficit. Non prætereū= da tamē sunt medicamenta, quæ cōcoctionē iuuare possunt: ueluti est piper, maximè longum, quod unicè concoctionem adiuuat. Si tamen idipsum non adsit, albo utendum erit: quod si neq; hoc adsit, nigro. In eundem usum antidotus diacoto= neon conuenit, & diospoliticum Galeno & alijs ueteribus dictum. Sunt etiam alia tum simplicia tum composita uen= triculum roborantia intra & extra corpus exhibenda, quæ in superioribus capitibus recensuimus. Debent autem omnia hæc medicamenta, potißimum quæ oxypora, hoc est cito pe= netrantia accipiūt, ut sunt careum, fœniculum, apium, ligu= sticum, oreoselinū, ammi, piper, zingiber, & similia, duabus ante cibum horis dari. A cibo uerò nunquam assumenda: di= stribuitur enim simul cum ipsis aliquid crudorum ciborū, & obstructionē operatur. Quare usus illorū maximè sit post matutinam frictionē, & duabus ante exercitium horis.

Piper longū cōcoctionē iuuat.

Oxypora quando dāda.

De inflatione ventriculi. Cap. X.

VEntriculus ex flatibus in eo generatis inflatur. Generã- tur autem ex humoribus in ipso pituitosis, aut ex cibis in uapores per deficientem & imbecillum calorẽ resolutis. Etenim absoluta frigiditas nullum omnino flatum efficit, propterea quòd neq; extenuare, neq; conficere, neque dissoluere cibum poßit. Vehemens autem calor, magna ex parte uincens ea quæ comprehẽdit, plus quàm pro uaporis generatione cibum extenuat, nisi is suapte natura facilè in flatũ transeat: uerùm flatus ita genitus & turbidus erit, & nebulosus: quinetiam paucus, & parum duraturus, ut ad unum aut alterum ructum statim euanescat. Calor uerò in cibos agens, si parum ualidus fuerit, ut eos quodammodo dissoluit, ita non omnino cõficit: unde sanè flatuum generationẽ fieri necesse est, ut copiose libro 3. De sympt. causis cap. 7. Galenus docet. Accedit ita laborãtibus uẽtriculi grauitas & distẽtio, aliquando etiam tumor & eminentia quædam iuxta os uentriculi, & ipsum adeò uentriculũ efficitur, ructusq; inanes fiunt modicè alleuantes, inhibitioq; flatuum qui per aluum excerni consueuerunt. Malum etiam ipsum aliquando quidem iuxta totum thoracem, aliquando uerò retro iuxta spinam ac dorsum ipsaq; uerticilla irruit: sæpe autem & utrinq; occupatos tenet. Vltra hæc uehemens difficultas spiritus ob septi transuersi compreßionem adest, ut aliqui non dißimile quiddam suffocationi se perpeti æstiment. Leuantur autem cibo infernè subeũte, & flatibus siue per ructus, siue per aluũ exclusis. Murmura deniq; intus audiũtur. Si itaq; ex cibis pituitosis fit uẽtriculi inflatio, uictus sanè ratione extenuante utendũ erit, & medicamẽtis ijs quæ pituitã dissecant & euacuant, de quibus capite primo huius libri diximus. Sin

Causæ.

Signa.

Curatio inflationis ex cibis pituitosis.

Ex imbecillo calore. ex deficiente et imbecillo calore orta fuerit inflatio, cibis certè utendum erit concoctu facilibus, & boni succi. Parum etiã comedendum: siquidẽ inedia huic malo summè confert. Post omnẽ cibum uinum meracius exhibendũ. Multum tamẽ potum tanquàm infestissimum hostem deuitẽt. Fructuũ quoq;

Solia calida. atq; olerum humidorũ esum semper suspectũ habeant. Solijs etiam calidioribus utantur, hæc enim Paulo lib. 1. ca. 51. teste, mitigãt, emolliunt, flatus ubicũq; fuerint dissoluũt, somnũq; conciliant. Vbi uerò somnus accesserit, non parũ leuat ægro

Decoctum tantes, quod scilicet concoctionem mirificè iuuet. Cæterùm quod ad medicamenta ipsa attinet, bibãt hoc decoctum, quod habet: Calaminthæ, mentastri, chamæmeli, origani, mentæ, pulegij, singul. m. 1. absinthij m. ß. seminũ anisi, apij, cumini, dauci, oreoselini, fœniculi sing. ʒ 1. seminis urticæ, carei, utriusq; ʒ 2. radicis helenij ℥ 2. decoquantur in aqua iustæ quantitatis, donec tertia pars absumatur: dein colo transfundantur, adiectoq; saccharo sufficienti ius decocti dulce reddatur, addanturq; serapij de calamintha ℥ 3. & fiat potio, de qua æger in aurora singulis diebus sumat ℥ 4. uel utendum medi-

Tritura. camento hoc quod accipit: Specierum dianisi, diacumini, dia calaminthes singul. ℈ 2. seminum anisi, carei, dauci, fœniculi, singul. ℈ 1. carpesiorum, garyophyllorũ, utriusq; ℈ 2. zingiberis ℈ 1. piperis ʒ 1. sacchari lib. ß. misceantur singula & fiat tritura, uel ut barbari loquuntur tragea. Eos qui non ita

Glandes. diu antè cibum sumpserunt, primum uomere oportet. Glandes quoq; confidenter & citra dilationẽ supponẽdæ sunt, ex rebus flatus prolectantibus, in hunc uel similẽ modum formatæ: Mellis cocti ℥ 2. seminũ rutæ, cumini, fœniculi, singul. ℈ 1. seminis carei & anisi, utriusq; ʒ ß. salis ℈ 2. misceantur singula, & fingantur glandes. Aluo autem uehementer ad-

Clyster. stricta, clyster infundẽdus, qui accipit decocti paulò antè de-

scrip

scripti lib. 1. benedictæ lax. ℥ 7. oleorum absinthitis, rutacei, anethini, singul. ℥. 1. pinguedinis anseris & gallinæ, salis expertium, utriusq; ʒ 2. ß. salis uulgaris ʒ 1. Cōmixtis omnibus fiat clyster. Extrinsecus uentriculus in hoc malo cū oleis iam dictis inungendus erit: aut lana in fasciculum conuoluta, & oleis prædictis leuiter calidis madefacta, imponēda. Lanæ uerò sic cōuolutæ cuminū tritum, aut apij semē, aut anethi inspergendū. Perseuerante autē diutius malo cataplasmata ex semine lini, hordeaceaq; & loliacea farina, cumino, anethi semine, aut apij, aut fœniculi tritis, centaurij coma, & id genus alijs parata imponenda. Aut hoc ceratum, quod habet: Oleorum rutacei, anethini, nardini, laurini, singul. ℥ 1. farinæ seminis lini, fœnogræci, utriusq; ʒ 1. ß. seminis opij, carei, melanthij, singul. ʒ 1. baccarum lauri, centaurij minoris, utriusq; ʒ 1. ß. gummi ammoniaci, opopanacis, utriusq; ʒ 2. ceræ & resinæ quod satis est, fiat ceratū. Porrò cucurbita bonæ magnitudinis umbilicum undiq; cōprehendēs, cum flamma copiosa admota, præsidium in hoc malo est quod incantamenti cuiuspiā simile, Galeno etiam lib. 12. Ther. metho. idipsum testante, efficit. Castoreum quoq; ex posca potum, tum extrinsecus cum oleo anethino appositum prodest.

Ceratum.

Cucurbita

De singultu. Cap. XI.

ΛΥγμὸς Græcè, singultus Latinè, est motus uentriculi qui est ueluti eius cōuulsio, ab expultrice facultate noxia uolentis extrudere excitatus. Neq; temerè adiectū est, ueluti eius conuulsio: neq; enim absoluta cōuulsio est. hæc enim solis musculis inesse solet. At qui neq; uentriculus ipse, neq; ipsius ostiolum musculus est, ut copiosius Galenus lib. 3. De sympt. causis cap. 2. ostendit. Accidit magna ex parte, uel ex plenitudine, uel inanitione, Hippocrate etiam teste, qui sic

Singultus quid.

Singultus non cōuulsio uentriculi.

Causæ. 6 Aph. 3?.

scriptum reliquit. Conuulsio fit uel ex plenitudine, uel inanitione: ita uerò & singultus. Interdum etiã fit ob acrium humorum, & medicata qualitate præditorum, mordacitatem. Cibus quoq; in mordacem qualitatẽ mutatus atq; adeò corruptus, aliquos singultire facit. Frigiditas etiã oris uẽtris, & alimẽti corruptio singultũ inducũt, quo sanè nomine pueris omnium maximè frequentes singultus eueniunt. Fit deniq; in febribus singultus, stomacho præsertim, aut aliquo alio uiscere inflãmato. Causæ externæ facilè de sermonibus ægri & aßidentium cognoscũtur. Plenitudo ex grauitate, inanitio autem ex ijs quæ præcesserunt. Cibus corruptus è nidore eius: acria uerò ex uellicatione atq; erosione. Singultus itaq; ubi à frigiditate ortus fuerit, oleum in quo ruta, cuminum & absinthiũ decocta sint, lana exceptũ, uentriculo imponendum. Oleũ etiã mastichinũ, & è castoreo inunctũ prodest. Pueros calefactorũ linteorũ admotio nõ raro iuuat. Adultioribus & integræ ætatis in potu uinum, aut apiũ in aqua mulsa decoctum, aut cuminũ tritum, aut asarũ, aut pulegiũ, quodlibet eorum per se, aut simul mixta exhibeãtur. Vtile & acetum scylliticũ sorbẽdo acceptũ. Castoreum etiã ijs, tum ob frigiditatẽ singultiẽtibus, tũ ob humorũ multitudinẽ similiter affectis, drachmæ pondere ex posca dandũ. Quin & uentriculo extrinsecus impositum, utrisq; cõmodũ existit cum oleo antiquo. Præterea qui ob frigiditatẽ singultiũt, ijs spiritus retentio, quæ calorẽ auget, quẽadmodũ copiose lib. 2. De symp. causis ca. 6. Gal. docet, præsens est remediũ. Quãdo uerò ex plenitudine oboritur singultus, uomitus optimũ remedium fuerit. Craßis autẽ humoribus existẽtibus, cum oxymelite syllitico, & calaminthes, marrubij, ac similiũ iam sæpius commemoratorum decocto extenuandi & incidendi erunt. Deinceps ea quæ in contrarium humorum copiam trahunt & auer

Acres humores. Cibus mordax. Frigiditas. Febres. Signa. Curatio singult⁹ ex frigiditate. Singultus ex plenitudine curatio. Auersio.

& auertunt, sunt adhibenda. In quē usum conueniunt ea quæ per inferna purgant, potissimum uerò clysteres, extremarū partium frictio & constrictio, cucurbitulæ cū plurima flāma thoraci, uentriculo, & dorso affixæ. Conuenit etiā ijs deambulatio longa & concitata, gestatio, atque adhuc magis equitatio. Præterea sternutatio etiā cōueniēter eis cōcitatur. Nam Hippocrate teste, à singultu cōprehensum sternutatio superueniēs liberat. Quādo enim à plenitudine fit singultus, uiolēto opus est motu, ut ueluti cōcussæ ipsum efficiētes humiditates, difflētur atq; euacuētur. Sic quoq; uociferatio cōcinna cum plurimo clamore, & detentio spiritus illis cōferunt. Ventriculus deniq; per medicamēta quæ intrinsecus & extrinsecus adhibētur roborandus erit. Intrinsecus per antidota corroborātia, de qbus lib. 2. De cōpos. med. ca. 5. abundè diximus. Extrinsecus uerò unguētis, emplastris et ceratis antea ꝓductis. Porrò singultus ex euacuatione sanatur per alimēti cōuenientis assumptionē, & per ea quæ defectū explēt, quæ partim sunt supra dicta, & copiose infrà in curatione hecticæ febris dicentur. Non mediocriter autem in hoc genere singultus, conducit uertebras ceruicis & dorsi, humectante oleo, nempe uiolaceo & amygdalarum dulcium perungere. Cæterùm mordacibus rebus singultum excitātibus, primum sufficiēs remedium uomitum ipsum reperiemus: deinde sensus etiā stupefactionē, & morsum inferentium alterationē. Stupefiunt autem sensus per refrigerantia, in quem usum Philonium exhiberi potest, aut pilulæ de cynoglossa, quæ in hoc malo mirifice conferre solēt. Earum uerò is usus erit. Debent ex una drachma confici sex catapotia, quorum unum antequam cubitum eat æger sumat. Alteratur autem mordacitas & discutitur per obtundētia, attenuātia & exiccantia medicamēta. Obtundit autē mordacitatē intubi satiui

[Margin notes: 6. Aph. 15. — Singultus ex euacuatione curatio. — Singultus ex mordacitate curatio. — Pilularum de cynoglossa usus.]

succus potatus, cucumeris semen decorticatum, tritumq́; bibitum. Lactucæ semen eodem modo sumptum. Item portulacæ succus potatus, ipsaq́; portulaca in cibo sumpta. Myxarum etiam decoctum in potu acceptũ. Maximè tamẽ omniũ præstat lac asininum: aut si hoc non adsit, bubulũ, recẽs mulctum, potatum. In eundẽ usum exhibendum saccharum rosaceum, aut uiolaceum, aut nymphex, antidotus diarhodòn, diatrionsantalòn, zulapium uiolaceũ, nymphex, & eiusmodi. Obtũdit uerò, attenuat, & exiccat is pastillus, qui accipit:

Pastillus. Costi, croci, spicæ nardi, rosarum uiridium, mastiches, singu. ℥ ß. asari, aloës, utriusq; ʒ 2. opij ʒ 1. Cum succo psyllij fiant pastili, de quibus detur ʒ ß. aut ʒ 1. Porrò opium & rosæ & psylli succus ex refrigerantium genere existunt. Nardi autẽ spica ex discutientium & corroborantium. Asarum uerò, per urinas uitiosos deducit humores. Aloë uitiatos humores expurgat, & infernè per uẽtrẽ purgat. Crocus cõcoquit, & particulas corroborat: per temperamentum quidẽ caliditatis concoctionem efficiens, per adstringendi uerò uim, quæ ipsi adest, robur addens. Costus autem sufficienter calefacit, moderatè uerò adstringit, quod & ex gustu eius percipitur. Commendat hoc medicamentum pluribus uerbis Galenus libro 8. De compos. med. secundum locos, capite 3.

De cholera. Cap. XII.

Cholera. Χολέρα Græcis, cholera Latinis etiã appellatur, est uentriculi immodica perturbatio, infrà & suprà per uomitum facta. barbarã sectantes medicinã cholericam & cholricã paßionẽ nominãt. Qui hoc malo afficiuntur, Græcis χολερῶντες, & Latinis cholerici uocãtur. Accidit ob multã cruditatẽ, quæ nõnunquã è magna alimentorum prauitate, interim etiam ex uitiosorum humorum copia oritur,

Cholerici. Causæ.

Signa

Signa quibus malum deprehēditur, manifesta admodū sunt: nam infrà supraq; excernunt. Sitis etiam sequitur, & sudor, & pulsus cōcisus, musculorumq; manuum ac pedum, maximè uerò surarū cōtractio & tēsio. Quapropter cū hoc malū acutißimū sit, & grauißimā syncopā, si paulò diutius duret, inducat, accurata opera danda erit, quo cōfestim & sine mora huic succuratur. Nemo autē medicorum ubi copia uitiosorum humorū malum hoc conciliauerit, mox initio, aut confertim ea quæ efferuntur cohibere aggrediatur: inutilia enim cum sint, euacuatione indigent. Quare si nauseabundus est æger, & turbatur, cibis etiamnū crudis in uentriculo manentibus, aqua tepida propinari debet, deinde uomere oportet, digito uel penna ori indita. Neq; tamen cum aqua mulsa, neq; àqua cum oleo mixta uomitus citandus: quòd hæc fluxiones augeat, illa uerò mordacitatē operetur, & torsiones augeat. Adiuuare etiā oportet per inferna excretionē: alienū enim uelut uenenū insidēs, & uentrē ac intestina rodit, & humores ex uniuerso corpore attrahit. Propinanda uerò sunt leuißima medicamēta purgantia, ut est aloë, casia fistularis, myrobalanorū decoctū, & similia. Postquā autem superuacua educta fuerint, tum quiescere oportet. atq; hypochōdria oleo mastichino, uel nardino, uel absinthite fouere cōuenit, somnumq; accersere. Prædictis oleis admiscenda interdum alia quæ uentrē roborare possunt, de qbus suprà dictum est, & ex ijs cōficienda unguēta. Vbi iam exacta apparuerit cōcoctio balneo aquæ dulcis, & cibis boni succi utēdum est. In quorū numero est iusculum pulli gallinacei cum omphacio. Carnes auicularum montanarū, perdicū, oua sorbilia, & eiusmodi. In potu utendum succo malorum granatorum, aut serapio rosaceo, aut aqua in qua chalybs ignitus ter aut quater extinctus sit. Cæterū cū malū perseuerauerit, & gra

Signa.

Curatio.

Si nauseabundus sit æger.

Purgatio.

& gracilitas per ambitũ corporis fiat, & maximè si uenter cõsidat, pulsus minor dẽsiorq; euadat, tũc sanè extremas corporis partes uinculis adstringere, ac oleo multo impinguare oportet. Cataplasmata etiã & emplastra ex adstringentibus & roborantibus cõposita uentriculo imponẽda. Sunt autẽ eius farinæ quæ ex palmulis, hypocisthide, acatia, rhoë obsoniorũ, bolo armenia, thure, balaustijs, rosis, ac myrti fructibus cõponũtur. Efficax quoq; remedium est, si linteũ in succo malorum syluestriũ madefactum uentriculo imponatur: aut hoc ceratum, quod habet: Oleorũ rosacei, myrtini, cotoneorum, singu. ℥ i. mastiches, thuris, acatiæ, singul. ʒ ii. hypocisthidis ʒ i. ß. santalorũ alborum & purpureorũ, utriusq; ʒ i. balaustiorum, sanguinis draconis, utriusq; ʒ ß. boli armeniæ ʒ i. ceræ & resinæ qd' satis est, informetur ceratũ, quod uentriculo adhibeatur serico obductum. In potu uerò frigida aqua cyathi mensura, hoc est ℥ i. ß. absorbenda præbeatur, Cauendũ tamẽ ne nimiũ frigida sit. Hæc enim aceruatim exhibita reuomitur, & aliquando innatum calorẽ suo stupore extremè offendit, aut inflammationem stomachi, aut uisceris alicuius efficit. Instilletur uerò huic interdũ mali punici acidi succus exiguus, aut rosarum, aut pampini uitis decoctum. Quòd si acriora sint ea quæ excernũtur, uexetq; sitis & ardor, cucumeris semẽ cũ aquæ cyathis tribus præbeatur. Datur quoq; utiliter cum amylo. Tum etiã intubi & lactucæ in posca coctæ exhibeantur. Post uerò somnus procurãdus, & quies omnimodo. Verùm si fluxio sisti nequeat, & pulsus intercidatur, apprehendatq; frigiditas & sudor, aliquãdo etiã singultus, ad uinum trãseundum est mediocriter adstringens, neq; uiribus ualidum, dulce tamẽ, non autẽ odorum. Interant autẽ in ipsum calidum, si fieri potest: si uerò non frigidũ, micas panis, aut alicam inijciant, atq; ita paulatim & per inter

Scutũ qd' vocant stomachi.

Si fluxio sisti nequeat.

teruall a absorbeant. Vini tamen multitudo uitanda est, ac omni arte conandũ, ut ipsos sopiamus, è rosis, pampinis, rubo, & similibus antea sæpè dictis, domus pauimento constrato. Odoramenta quoq; naribus admoueãtur, rosæ, mala cotonea, & eiusmodi. Illitiones etiã soporiferæ circa frontẽ adhibeantur. Aluo autẽ adhuc egerente, amylum cũ decocto capitũ papaueris per clysterẽ infundatur: simul enim & cohibet & refrigerat, & somnum inducit. Ad uomitiones uerò coërcendas succũ mespilorũ, malorum cotoneorum, punicorum, pyrorum cõmanducare & deuorare cõuenit, Si ne his quidẽ auxilijs, & alijs quæ supra cap. 2. huius libri exposita sunt, cibum retinẽt ægrotantes: extrinsecus uentriculo cucurbita leuis quàm maxima admoueatur. Ad cõtractiones autem in musculis factas, linimẽta oleo calido imbuta musculis circũponere oportet, & cerata humida seu unguẽta, quibus adiectum sit aliquid castorei, & olei irini, quorum copiã in capitate De resolutione, & cõuulsione offendes. Vbi malũ inclinauerit, cibis reficiendi sunt ægri, pullis gallinaceis, columbis, gallinis, perdicibus, palumbis, turdis, & cõsimilibus.

Vomitus cõstrictio.

Ad cõtractiones in musculis.

De diarrhœa. Cap. XIII.

Διάῤῥοια Græcis, Latinis uerò diarrhœa, copiosum est sine exulceratione & inflammatione alui profluuium. Accidit propter imbecillitatẽ instrumentorum cõcoctioni seruientiũ, alimenta item copiosa humidiora & uiscosiora, eorundemq; corruptelã, mordicationẽ deniq; in uẽtre cõtentorũ, et defluxum quorũdã è supernis ad uẽtris spacia, imbecillitatẽq; retẽtricis facultatis. Notæ qbus discernũtur causæ, manifestæ admodũ sunt. Si enim propter imbecillitatẽ diarrhœa fit instrumẽtorũ quæ cõcoctioni seruiũt, uẽtriculi (uerbi gratia) intestinorũ, iecinoris & lienis, ex proprijs de ijs ca

Diarrhœa.

Causæ.

Signa.

ijs capitibus petenda signa erunt. Sin ob alimẽtorum prauorum multam ingestionẽ accidat, partim de ægri sermonibus, partim etiã ex ijs quæ excernuntur, cognosci potest. Si enim biliosa fuerint, flauo colore infecta erunt, neq; citra mordicationẽ & caloris sensum eijcientur. Aderit etiam oris amaritudo, sitis, tenuis corporis habitudo, & alia quæ biliosam constitutionẽ ostendunt. Si autẽ pituitosa fuerint, contraria iam dictis prorsus erunt ea quæ per aluũ excernuntur. Quòd si à capite in uẽtrẽ cõfluxerint humores, egestiones spumosæ apparebũt, cerebriq; tẽperies humida admodũ erit. Si à plenitudine totius corporis oriatur, aut iudicatorius sit alui fluor, signis quæ in alijs locis à nobis cõmemorata sunt, & à Galeno in lib. De plenitudine & crisibus deprehenduntur.

Curatio. Cæterũ si ab imbecillitate instrumentorũ alui profluuiũ excitabitur, intemperies quæ hanc ipsam parit, suo contrario, quẽadmodũ cap. 1. huius libri monstrauimus, corrigẽda erit.

Alui profluuiũ non temere sistendum. Si autem propter alias causas fluore aluus laborauerit, & natura per hunc quæ noxia & superuacua sunt in corpore expellere tẽtauerit, & ij qui eo correpti sunt facilè tolerauerint: tum usq; quò natura omnem suam curam impẽderit expectare, aut ipsius etiã motus adiuuare conuenit. Etenim obluctari & excretionis cohibitionẽ moliri, maiorem morbum facit. Siquidem quæ cohibẽtur sursum perlata dolores capitis, aut phrenitim, aut lethargum, aut parotidas periculo haud uacantes inferunt. Quare initio ea quæ in corporis cõmoditatem utiliter excernuntur, minimè inhibere oportet. Postquàm uerò iam diutius perseuerauerit fluor, non solum superuacua expellens, uerumetiam habitum corporis ueluti colliquans, uiresq; consumens, tunc sanè ei resistendũ erit, tũ per ea quæ per os sumuntur, tum ijs quæ per anũ infunduntur, atq; etiam ijs quæ extrinsecus uentri imponũtur. Si itaq;

pure biliosa excrementa prodierint, in magis salubria permutare ipsa oportet, non tamen per cohibitionem statim eos curare. Biliosum enim tum in uẽtriculo, tũ in ieiuno intestino aggregatũ, atq; post coaceruationẽ retentum, maximopere lædet. Nam & uentriculũ subuertit, & uisceribus inflammationes infert, & sitim accendit, & febres instaurat, omniaq; prædicta in capite uitia efficit, atq; in totum grauius malum reddit. Quòd si itaq; humores biliosi in corpore copiosi fuerint, natura per medicamẽta purgantia leuia, ut est rhabarbari dilutum, casia fistularis, cortices myrobalanorum luteorum, aut mel aërium, quod recentiores Græci manna uocant, iuuãda uenit. Lac deinde bubulũ aut caprinũ tepidum, recens mulctũ, exhibendũ, aut sanè ad ignem decoctũ, assidueq; agitatum, donec ad tertias sit reductũ, quod ipsum & fluuiales silices, ferriq; aut chalybis laminas igni candefactas, & in lacte extinctas fieri potest. In decoquẽdo uerò superstantem concretionem siue spumam auferre oportet. Hoc sanè nullum compẽdiosius remediũ ad fluxiones biliosas reperire poteris. Quãdoquidem autem febricitãtibus lac ipsum in nidorẽ aut etiam acorem conuerti consueuit, maiusq; nocumentũ quàm commodum inferre, tunc sanè, si simul febricitent, ipsum exhibere uitabimus. Aquæ uerò quarta parte ad lac ipsum affusa, decoctionẽ faciemus, donec dimidium eius consumatur, atq; hoc modo exhibebimus. Si autẽ in intestinis coaceruata bilis fuerit, clysteres ex hordeo decocto, sacch. aro rubeo uocato, oleo rosaceo, ouorũ luteis, & similibus paratos inijcere oportet. Biliosis tandem uacuatis humoribus, intrinsecus ea quæ adstringunt & roborant exhibenda: ut sunt saccharum rosaceũ, diacotoneôn citra species, diatrionsantalôn, pastilli è spodio, hydromalon, & similia. Qualia uerò esse debeant ea quæ extrinsecus imponuntur medicamenta, paulò pòst dicemus.

Biliosæ diarrhœæ curatio.

Purgatio.

Febricitãtibus cur lac non dãdum.

Si in intestinis coaceruata sit bilis.

cemus. Sedes etiam ipsa ex decocto quopiam adstrigentium foueatur. Cæterùm in diarrhœa ex humoribus crassis, pituitosis & lentis nata, ac eorundē corruptione facta, haud secus quàm in priore à purgatione auspicanda curatio erit. Exhibendū itaq; tunc agarici dilutum cum myrobalanis empeliticis, aut simile aliquid, quod prædictos humores educere possit. Conueniunt etiam clysteres, potissimū ubi in intestinis uiscidorum humorū copia coaceruata fuerit, è centaurij minoris decocto, oleo rutaceo, & similibus. Intrà corpus exhibēda diacotoneôn cum speciebus, zingiber coctū nominatū, & alia quæ calafacere & exiccare ualent medicamēta. Extrinsecus etiā quæ robur addunt admouere oportet. Quòd si ob retentricis falcultatis imbecillitatē orta fuerit diarrhœa, ea sunt sanè adhibenda medicamēta, quæ ad alias immodicas alui fluxiones admouētur. Irrigationes itaq; ex oleo omphacino, aut rosaceo, aut melino, cū uino aliquo austero adhibeantur. Efficacius autem myrtinū est, si uehementiori indiget adstrictione, tertia aut quarta uini parte ei admixta. Quòd si robustiora sint corpora, gallas, malicorium, & balaustiū in ipsa irrigatione incoquere licebit. Perseuerante autē adhuc fluxione, cataplasmata, emplastra, & cerata ex adstringentibus & exiccātibus composita, quorū mentionem in capite sequenti faciemus, imponēda erunt. Parabile uerò & efficax hoc est, quod habet: Mora præ immaturitate adhuc acerbiora & albicantia septē, quibus ubi probè contusa fuerint addūtur olei rosacei ℥ 2. ceræ ℥ 1. & fingatur ceratum. In potu uerò accepta, post inutiliū euacuationē, uentris fluxiones sanant cuminū, adianti decoctū, spinæ albæ radix, apij similiter semē drachmæ pondere datum. Vrinam enim irritat, fluxionesq; ad intestina factas eò diuertit. Mora quoq; immatura, & adhuc acerba, ad solē pluribus diebus exiccata, deinde reposita,

Diarrhœæ ex pituitosis humoribus curatio.

Purgatio.

Diarrhœæ ex imbecillitate retētricis facultatis curatio.

Ceratum.

posita, usuq; expetente trita & bibita, mirificè aluũ restringunt. Cuntunduntur etiam & obsonijs admiscentur, quemadmodum rhus consueuit, qui interdum unciæ unius pondere cum pullo gallinaceo decoquitur. Magis tamen aluum cohibent rubi mora immatura & acerba, eodem modo exiccata, & in potu exhibita. In numero compositorum medicamentorum mirificè conferunt pastilli è spodio, è lemnio sigillo, diacotoneôn, diatrionsantalôn, theriaca. & hæc cõpositio, quæ accipit: Specierum diatrionsantalôn, diarhodon abbatis, utriusque ℈ 2. coralliorum rubeorum, thuris selecti, rosarum purpurearum, singul, ʒ ß. spodij ʒ 1. seminum oxalidis, rhoïs obsoniorum, utriusque ℈ 1. balaustiorum, acatiæ, utriusq; ʒ ß. masticbes ℈ ß. boli armeniæ ʒ 1. sacchari candidißimi ℥ 8. dissoluti in stillaticijs liquoribus plantaginis & rosarum, fingantur morsuli. Item hoc ecligma, quod habet: Sacchari rosacei ueteris, diacotoneôn sine speciebus succi medicati è ribes, de oxyacantha, singulorum ℥ ß. hydromali ʒ 3. diamoron ʒ 3. specierum diatrionsantalôn ℈ 2. corralliorum rubeorum ℈ 1. spodij, balaustiorum, utriusq; ʒ ß. boli armeniæ ʒ 1. serapij myrtini quantum ad excipiendum sufficit fiat ecligma. Porrò hanc aquam nunquam non paratam habebis, quæ habet: Rhoïs obsoniorum quartam unã, aquæ pluuialis lib. 3. in quibus die & nocte sumach maceretur, dein ebulliat, & rhu benè ac ualidè exprimatur. In ea siquidem aqua oryza, milium, & alij cibi coquantur, aut saltem aliqua eius portio ijs affundatur. Si propter defluxum ab alijs corporis partibus diarrhœa accidit, curatio ex proprijs capitibus petenda erit: uerbi gratia, si ex capite in uentriculum defluxio fiat, ad ea quæ in capite De curatione destillationis dicta sunt recurrendum erit. Et sic in cæteris etiam corporis partibus faciendum.

Cõpositio in morsulis.

Ecligma.

Aqua miræ vtilitatis.

Si propter defluxũ ab alijs corporis partib⁹. diarrhœa accidit.

De lienteria. Cap. XIIII.

Lienteria. ΛΕιεντερία Græcis, quemadmodum ipsum nomē indicat, leuor quispiā intestinorum est, qualis etiā extrinsecus in corporis cuticula ex cicatrice cōtingere solet. In hoc siquidē malo intestina cibos non retinent, sed antequā permutationē & perfectam cōcoctionē admittant, dilabuntur, idq; ea qua fuerunt assumpta forma. Cuius rei testis est Galenus, qui lib. 6. Aph. com. 1. sic definit lienteriā. Leuitas intestinorum, inquit, est uelox exitus eorum quæ comedūtur & bibuntur, quæ talia deijciuntur, qualia fuere deuorata. Quare Latinis rectè leuitas seu leuor intestinorū dici potest. Oritur autē frequēter graui præcedente dysenteria, atq; adeò ex profunda intestinorum exulceratione, cicatricibus densis & leuibus succedentibus, quæ deinde propter densitatē quidem suā ciborum per corpus distributionē fieri non permittunt, quum sanè uenarum quæ alimenta ex intestinis ad se auellunt, ora sint ueluti obturata. Ob leuorē autem, ut dictum est, cibum antequàm perfectæ concoquatur, dilabi sinunt. Fit etiā nonnunquàm lienteria ex imbecillitate & languore facultatis cibos in uentriculo retinentis. Hac enim infirma & imbecilla, nec concoquuntur, nec distribuūtur alimenta: sed cruda, humentia, nihilq; immutata excernuntur, aluo continenter fluida. Interdum quoq; post longum uentris profluuium oboritur. Aliquādo etiam aqua intercutē per uentrem euacuata, lienteria consequi solet. Ex quacunq; igitur causa lienteria orta sit, ægri cibum non sentiūt, & malū corporis habitū acquirūt. Succedit itaq; ægris aßidua excretio cruda, colore subalbida, inæqualis, & aquosißima, citra sanguinis ac bilis cōplexum. Adest autem simul & ardor per tota hypochondria se dilatās, quē cibi concomitatur fastidium. Est autē bonum & amicum signum in ijs qui lienteria longa laborant,

Leuitas seu leuor intestinorū

Causæ. Dysenteria præcedens.

Imbecillitas retentricis.

Longū alui profluuium.

Hydrops.

Signa.

Signū bonum.

borant, si eis acidus ructus accidat, iuxta id Hippocratis di- 6. Aph. 1.
ctum: In longis leuitatibus intestinorũ si acidus ructus fiat, "
qui prius nõ erat, signũ bonũ. Significat enim, cibũ in uẽtricu "
lo aliquãdiu cõtineri, donec principium mutationis accipiat. "
Cæterùm quũ eiusmodi malũ sit, facilè est intelligere, quod Victus.
facultatẽ retentricẽ & cõcoctricẽ, tum uentriculi tum inte-
stinorum omni modo refocillare oportet. Id quod in primis
per ciborũ cõuenientiũ exhibitionẽ, & uictus rationẽ resti-
tuendis & refocillandis uiribus aptã, fieri potest. Cõueniũt
itaq; carnes auicularũ montanarũ, pulli gallinacei aßi, in quo
rum uentre rhus, aut mastiche etiã imponi debet, et alia quæ
capite sequẽti cõmemorabuntur. Cibus qui exhibetur quan-
titate paucus sit, & cõcoctu facilis. Et si acris & biliosa sit Si biliosa sit deiectio.
deiectio, ex oryza, alica, & similibus, quibus cũ adstringens
aliquod decoquetur, pyrum, malũ cotoneũ, mespilum, & ad
id genus alia, parabitur. Item lac discoctum eis proderit. Sin Si pituitosa.
autẽ pituitosiora excernũt, cõtrarius ipsis cibus adhibetur.
Nonnulla quoq; uentriculo grata, anisum (uerbi gratia) cu-
minũ, uel dauci semẽ admiscẽtur. Potus erit uinum aquosum
& tenue in priore, in altero uetustius & calidius. In uniuer-
sum uerò potus sit exiguus, multus enim non solũ lienteriæ,
uerumetiã omnibus reliquis uẽtris fluxionibus infestißimus
existit. Quòd ad curandi rationẽ attinet, si ex imbecillitate Curatio lienterię ex imbecillitate facultatum uentriculi.
facultatum uentriculi creatur lienteria, ad caput De imbe-
cillitate uentriculi recurrrendũ, atq; illinc curandi ratio pe-
tenda. Summatim uerò exhibẽda intra & extra corpus quæ
adstringũt, & tam uentriculũ quàm intestina roborare pos
sunt. Exhibendũ igitur serapiũ de absinthio, de menta, aliaq́;
antidota quæ uentriculo robur adijcere possunt. Extrinsecus
uerò ea sunt admouẽda medicamẽta, quæ in capite De diar-
rhœa sunt commemorata, & sequẽti dicentur capite. Sed in

Vnguẽtũ. primis hoc medicamentũ cõueniet, quod accipit: Oleorum mastichini, de absinthio, de menta, myrtini, singu. ʒ 2. pulueris cinnamomi selecti, gariophyllorũ, galangæ, singu. ℈ 1. balaustiorũ, rosarũ purpurearũ, utriusq; ℈ ß. ceræ quod satis est, fingatur unguentũ. Vel hoc ceratũ, quod habet: Oleorũ mastichini, de absinthio, cotoneorũ singul. ℥ 1. olei de menta ℥ ß. calami odorati, garyophyllorũ, thuris, singul. ʒ 1. ligni aloës ℈ ß. rosarũ purpurearũ, santalorũ alborũ & purpureorũ, singul. ʒ ß. mastiches, cumini, utriusq; ʒ 1. hypocisthidis, acatiæ, rhoïs, singul. ʒ 1. ß. galliæ moschatæ ℈ 1. cum cera & resina terebinthina quod satis est, informetur ceratũ. Porrò qbus cicatricẽ factã esse cõijcimus, ijs acriũ rerũ comestio uelut refricationem quandã cicatricum operatur, atq; adeò utilis est. Quin & insitũ calorẽ reuiuificat, & cõcoquendi facultatẽ quodãmodo refocillat. Conuenient itaq; in hoc casu, Galeno cap. 95. Artis medicæ autore, quæ sufficienter abstergunt, & parum adstringunt. Quapropter admiscenda semper adstringentibus medicamentis abstergentia. In reliquis causis lienteriæ omnibus eodem curationis modo utendum est, quo in diarrhœa & dysenteria affectis utimur.

Ceratum.

Si à cicatrice inducta lieteria oriatur.

De dysenteria. Cap. XV.

Dyscenteria.

Tormina.

Cruentæ dysenteriæ quatuor species.



Υσεντέρια Græcis ꝓpriè nihil aliud est quàm exulceratio intestinorum. Latinis placuit hoc malũ appellare tormina eo quod in eo intestina dolore admodũ torqueantur. Neq; temere in disenteriæ descriptione adiectum est propriè: sunt enim Græcis quatuor cruẽte disenteriæ species, quemadmodum testatur Galenus lib. 3. De sympt. causis:
1 quarum prima est, in qua sanguis propter aliquam partem corporis præcisam, aut prioris uitæ excercitationem inter-
2 missam, per circuitus excernitur. Altera, in qua sanguis a-

quosus, hoc est aquæ, in qua carnes cruentæ & recens mactatæ sunt ablutæ, similis, deijcitur: id quod ob iecinoris imbecillitatem accidere solet. Tertia, in qua & nigrior & splendidior eo qui naturalis est excernitur, ex sanguine & atra bile cōmixtus. De ijs certè nobis in præsentia non est sermo. 3
De quarta uerò, in qua paulatim & breuibus interuallis nōnunquam sanguis syncerus, nonnunquam etiā grumosus cum pure, uel ramentis intestinorum, sæpenumero etiam densum stercus cruentis guttis respersum, deijcitur, nunc agimus. 4
Hæc quidem, ut dictum est, ob intestinorum exulcerationem fit, quæ interdum à causis externis, frigiditate scilicet, æstu, & humiditate accidit. Item perniciosorum medicamentorū potu, scammoniæ scilicet, & similium. A` fructuū comestione, cruditatibus, acrium ciborum acceptione, ab humoribus mordacibus & acribus ex uniuerso corpore ad uentrem cōfluentibus aut in ipso natis. Hæc quidē nunc à tenesmo, nunc per se incipit. Excernuntur primū biliosa, uaria, subpinguia: pingui nimirum quod intrinsecus intestinis adhæret paulatim circumliquefacto. Quum uerò superficies intestinorum perfectè fuerit denudata, exulceratioq; supernè consistit, feculenta & cruenta deijciuntur. Vbi autem altius penetrauerit exulceratio, etiam sordes mēbranulas admixtas habentes expelluntur. Quòd si non cohibeatur, breui uicinos locos depascitur: saniosa uerò quædam excernuntur, qualia à mortuorum cadaueribus defluere consueuerunt. Siquidem igitur tenuia intestina exulcerantur, dolores circa umbilicum consistunt, biliosaq; & porri colorem habentia, atque omnino uariegata stercori plurimū commixta excernuntur, cum labore & torminibus mordacitateq;: ac exolutione, ut nō procul ab animi deliquio ægri absint: à sitiq; infestantur, & febricitant, stercus quoque crudius prodit. Exulceratur

Causæ.

Signa.

Notæ exulcerationis tenuiū intestinorum.

autem uerũ rarò admodũ, & ieiunũ intestinũ, quod si cõtingat, egestiones crudiores apparẽt, sanguinẽ nigriorẽ uehementer implicatũ habentes, bilẽq; abundè flauã. Sitis multa, itemq; nauseæ affligũt. Vomunt etiã aliquãdo, & cibos auersantur: dolor quoq; uehemens supra umbilicũ considet, quãdoq; & febres malignæ oboriuntur. Atq; ita affecti decolores fiunt, & ad animi deliquiũ usq; exudãt. Vires ipsorũ citò deficiũt, neq; procul ab interitu absunt. Sin craßa intestina exulceratione laborant, tum stercora quæ egeruntur syncera & multa sunt, & coaceruata, & cum flatibus prodeũt, aliquãdo etiam spumosa. Pinguia quoq; ijs commixta sunt, & cruor supernatat, ueluti latius lib. 6. De patiẽ. locis Galenus ostendit. Idipsum autẽ nosse, non mediocriter ad curationem cõducit. Nam si in superioribus intestinis ulcus est, ab epotis medicamentis præsidium petendum est: si uerò in craßis & humilioribus, clysterẽ inijcere magis cõuenit. Principiũ curationis dysenteria laborantiũ à quiete & modico cibo fiat, undecunq; tandem fluor procedat. Permittente itaq; febre, lacte recẽs mulcto adhuc calido utendum est: aut pro eo lac coctum, quod in capite De diarrhœa descripsimus, exhibendum. Hoc enim primum depurgat, atq; simul ea quæ sunt in corpore contemperat, ac postremùm aluum sistit. Oportet uerò insuper & panẽ madefactum à lactis acceptione offerre. Pultes etiam ex lacte apparatæ, tum medicamenti rationẽ habent, tum nutrimentum optimum præbẽt: uelut est oryza cum lacte, amylum, & oua lacti admixta. Sorbitiones quoq; aut pultes ex alica, milioq;, adiecto rhoë, cõueniunt. Apparanda item puls ex siccis panibus affusa posca, aut palmularum, aut malorũ cotoneorum, aut pyrorũ, aut rhoïs succo. Lenticula quoq; probè assata cum plantagine, aut malis cotoneis contusis decocta exhibenda. Olerum usus non est ne-

Notæ exulcerationis crassorum intestinorum.

Victus.

cessa

cessarius: attamen degustandas exhibebis, serim seu intubum satiuam & syluestrẽ coctas, plantaginẽ, braßicamq; bis co= ctam. Damus & ouorum assatorũ lutea. Carnes dysenteria correptis, quod alimenti ualentioris sint, & concoctioni re= nitantur, nõ ualde cõmodæ existunt, dandæ tamẽ eis qui diu= turno malo uexãtur. Ex ijs præ aũt cæteris uolucriũ eligẽdæ, perdicis nimirũ, palumbiũ, & montanarum auicularum. Ex pedestribus carnes capreæ & leporis cõueniũnt. Iumentorũ, & omniũ aliorum quadrupedum carnibus interdicere opor tet. In potu à principio quidẽ aqua pluuia, quæ non sit ex ædi bus plumbo tectis delapsa, utendum est. Talis enim aqua sa= nis etiã potata dysenteriã conciliat. Quòd si pluuia optima non adsit, fontana, in qua chalybs ignitus extinctus sit, ute= mur. Si uerò laborauerit uẽtriculus, aut ubi uires fuerint de= iectæ, etiã uinum præbendum. Sit autẽ adstringẽs, & nõ ual= de uetustum. Somnus sanè optimum dysenteria laborãtibus præsidium. In curandi ratione uti oportet remedijs adstrin= gentibus obtundẽtibus reficcãtibus & urinã mouẽtibus, atq; adeò fluxionẽ aliò transferẽtibus. Quæ adstringũt, hæc qui= dem sunt: lapathi semẽ, rhus, galla, malicorium aridum, rubi radix, ladanũ, acatia, hypocisthis, balaustiũ, folia salicis, sym= phyti radix, folia & semen, rheum ponticũ si haberi potest, altheæ radix, equisetũ, corallium, mastiche, coagulũ leporis, sanguis draconis, cortex thuris, lemnia terra, uerbasci radix, plantaginis semẽ, bellis minor, alcea, oxys, sanicula, ophrys, ophioglossum, polygonum, bursa pastoria, solidago sarace= nica uocata, pes leonis, numularia, solidago media, bistorta seu serpentaria mas, geranium sextum, herba diui Iacobi ho= die nominata, mora acerba, acini uuæ, maceris cortex, & alia eius generis. Obtundunt autem & contemperant humo rum morsum & acrimoniam, amylum, tragacantha, gum= mi,

Potus.

Curatio.

Adstringẽtia.

Obtundentia & contẽperantia.

mi, adeps caprinus, hircinus, suillus, anserinus, & gallinaceus.

Resiccantia.

Resiccat coagulum leporis, cornu ceruinũ ustum, testæ cancrorum fluuialium, & saluia. Vrinam mouentia suo loco inuenies.

Curatio crassiorum intestinorum.

Quare si crassiora intestina exulceratione laborant, clysteres adhibeantur, primum quidem ij quibus abstergendi uis inest, qualis est qui habet:

Clyster abstergens.

Decocti hordei integri lib. 1. mellis rosacei colati ℥ 1. sacchari rubei uocati ℥ ß. uitellos oui numero 2. olei rosacei ℥ 3. Commixtis omnibus fiat clyster.

Conglutinans.

Facta primum abstersione, ea quæ glutinare possunt infundantur, quale est quod accipit: Rosarũ purpurearum, plantaginis, foliorum symphyti, polygoni, uerbasci, singul. m̃. 1. gallarũ, rhois obsoniorũ, utriusq; ʒ 2. bursæ pastoriæ, m̃. ß. balaustiorũ ʒ 1. oryzæ tostæ ℥ 1. radicis symphyti ℥ ß. decoquantur singula in aqua chalybeata, donec tertia pars absumatur. Dein colo trãsfundãtur, accipianturq; iuris decocti ℥ 12. succi plantaginis ℥ 2. acatiæ, hypocisthidis, utriusq; ℈ 2. boli armeniæ, sanguinis draconis, utriusq; ℈ 1. seui caprini ℥ 1. oleorũ rosacei, myrtini, cotoneorũ, sing. ʒ 1. cõmixtis omnibus fiat enema. Interdũ uehemẽtia doloris non tantũ obtundentia uerumetiam stupefacientia medicamenta requirit.

Dolorem leniens infusum.

Quare tum conuenit hoc uti clystere, quod habet: Lactis caprini aut uaccini lib. 1. butyri salis expertis ℥ 1. adipis caprini ℥ 1. ß. tragacanthæ, gummi, utriusq; ʒ 1. uitellos ouorũ numero 3. catapotiorũ de cynoglossa ʒ 1. olei rosacei ℥ 3. cõmixtis omnibus formetur infusum. Si uehemẽtiori stupefactione opus fuerit, pondus pilularũ augendũ, aut priori portioni aliquot opij grana, tria nimirũ aut quatuor, uel minus aut plus pro uehementia doloris, & corporis constitutione, adijcienda.

Curatio exulcerationis tenuiũ intestinorum.

Cæterùm si in tenuibus intestinis exulceratio cõsistit, tũ remedia quæ à supernis & per os assumũtur, magis desiderat. Cõuenit itaq; decoctum ex adstringentibus

suprà

ſuprà commemoratis, admixtis ſerapijs roſaceo & myrtino, cum alijs quæ in capite De diarrhœa dicta ſunt medicamentis, exhibere. Neq; temerè quis hoc propinabit medicamentũ, quod habet decocti radicis ſymphyti, aut alterius ex adſtringẽtium numero ℥ 3. ſerapij roſacei ℥ 1. ſerapij myrtini ℥ ß. pulueris paſtillorũ è ſpodio, ſeminis plãtaginis, boli armeniæ ſingu. ℈ 2. miſceantur ſingula, & fiat potio. Extrinſecus præter ea quæ cõmemorata ſunt in capitibus De diarrhœa, et liẽteria imponẽdũ uentri hoc ceratũ, quod accipit: Oleorũ maſtichini, roſacei, myrtini, cotoneorũ, ſingulorũ ℥ 1. farinæ hordei, fœnogræci, utriuſq; ʒ 1. ß. roſarum purpurearũ, plantaginis, utriuſq; ʒ 1, balauſtiorũ, ſanguinis draconis, utriuſq; ʒ ß. boli armeniæ ʒ 1. hypociſthidis, acatiæ, maſtiches, ſingul. ʒ 2. Cum cera & reſina quod ſatis eſt, informetur ceratum. Poſſunt & alia multa ad exemplum iam dictorum præſidiorum componi, quæ ſingula commemorare, & ſuperuacaneum & inutile eſſe iudicamus.

Extrinſecus quę adhabenda.

Ceratum optimum

De teneſmo. Cap. XVI.

Τεινεσμὸς eſt aßidua, & quæ differri ac euitari nõ poteſt, deſidendi ſeu egerendi cupiditas, qua tamen nihil, præter modica cruenta uel mucoſa, egeritur. Latinis teneſmus appellatur, barbaris uerò noſtri temporis medicis tenaſmus. Fit nõnunquã propter frigiditatem extrinſecus occurrentem, humores acres & bilioſos, pituitam ſalſam, ulcus inflammationemq; in recto inteſtino obortam. Nonnunquam etiam ſtercoris in inteſtino cæco coacti obſtructio, teneſmum efficere poteſt. Cauſam externam frigidam facile de ſermonibus ægri cognoſcet medicus, quia nimirum podicẽ res frididas attigit: aut hyberno tẽpore frigus nimium pertulit, aut in aqua frigida diutius cõmoratus eſt. Humores ex ijs quæ

τεινεσμός

Teneſmus.

Cauſæ.

Signa.

quæ excernuntur dignoscere licebit, quæ uel biliosa, uel pituitosa erunt. In ulcere purulenta ac saniosa excernuntur, & in ano pungentis sensus inest. Inflammatio tumorē recti intestini, & dolorem grauatiuum unà cum febre efficit. Stercoris multitudinē grauis distēsionis sensus circa imum uentrē sequitur. Curandi ratio pro causarū diuersitate uariatur. Quapropter si tenesmum frigus præcesserit, uinū meracum calidum propinandū erit, ac pectinē, inguina, interfœmineūq;, Græci πηδίναιον uocant, oleis ac fomentis calidis irrigare & fouere oportebit, cuiusmodi sunt rutaceum & liliaceum. Furfures autē in uino decocti, & sacculo excepti, commodè sedi adhibētur. Clysteres quoq; è decocto mentastri, origani, calaminthæ, chamæmelo, abrotono, semine anisi, fœniculi, & similibus paratos, adiectis oleis anethino, chamæmelino, liliaceoq;, inijcere cōuenit. Porrò mirificè confert, si statim ab excretione admoueatur later perquàm uetustus, & à fumo denigratus, unà cum paleis in eo complexis tusus, deinde aceto feruenti subactus, linteoloq; illigatus sedi subditus. Cæterùm si à biliosis humoribus in ano & intestino detentis fiat tenesmus, clysteres quibus abstergendi & abluendi inest facultas inijciendi sunt, qualis est qui accipit: iuris decocti hordei lib. I. sacchari rubei nominati ℥ I. ß. mellis rosacei ℥ I. lutea ouorum duorum, olei rosacei ℥ 3. commixtis omnibus, fiat enema. Vitanda omnia acria, & utendum mediocriter frigidis & humidis, & omnibus his quæ bilis acrimoniā cōtemperare possunt. Si à pituitosis humoribus procreetur, curabitur instar illius qui à frigore factus est, adiectis tantū ac commixtis ipsis clysteribus, quibus uacuandi pituitam facultas inest medicamentis, compositione nimirum Indi, aut diaphœnicôn, aut benedicta laxatiua uocata. Quòd si ab inflammatione tenesmus oriatur, ptisanæ succus, paucis rosis pur

Marginalia: Curatio. — Tenesmi à frigore. — πηδίναιον — Clysteres. — Later uetustus. — Curatio tenesmi à biliosis humoribus. — Clyster. — A pituitosis humoribus. — Ab inflammatione.

purpureis simul cum eo decoctis infundatur. Aut uehementiori inflãmatione infestante, hoc utendum infuso, quod habet: Iuris decocti plãtaginis ℥ 5. olei rosacei ℥ 2. oui unius candidum. Cõmisceãtur singula, & fiat clyster. Extrinsecus inter fœmineum, seu perinæon, hoc est locus inter penem aut anũ, oleis rosaceo & myrtino irrigãdus. Vel adhibeatur tale fomentum, quod accipit: Rosarum purpurearum, plantaginis, utriusq; m̃. 1. balaustiorũ ʒ 3. sidiorum ℥ 1. baccarum myrti ʒ 2. foliorum rubi ℥ 1. decoquãtur singula in aqua sufficiẽti, donec tertia pars absumatur. In huius decocti iure imbuta spongia sedi admoueatur. Porrò ubi opus est suppuratione aut discußione, fomenta ex decocto radicis altheæ, fœnogræci, chamæmeli, meliloti, & furfurum cõposita adhibebuntur. Si ab ulcere fiat tenesmus, primum abstergẽdi facultate præditis infusis, dein uerò glutinãtibus, haud secus quàm in dysenteria, utendum. Vnguentũ præterea hoc sedi inditum confert. Habet autẽ olei rosacei ℥ 1. ß. lenti cremoris tragacãthæ, gummi, utriusq; ʒ 3. cerusæ, plumbi usti, utriusque ʒ ß. aloës, thuris, utriusq; ℈ 1. ceræ quod satis est, fingatur unguentum, quo linamenta imbuta sedi indãtur. Si dolor immẽsus admodum fuerit, prædictis opij ℈ 1. adijci potest. Si à stercoris multitudine oriatur tenesmus, tum initio clysteribus mitioribus ac lenientibus paulatim stercora educi debẽt, cuiusmodi est hoc quod accipit: Maluæ, altheæ, mercurialis, betæ, foliorum uiolæ nigræ, singul. m̃. 1. seminis fœnogræci, lini, utriusq; ℥ ß. ebulliant omnia in aqua sufficiẽti ad tertias. Dein accipe iuris decocti lib. 1. medullæ casiæ fistularis ℥ 1. ß. olei uulgaris ℥ 3. salis triti ʒ 1. fiat clyster. Insuper hoc unicè cauendum erit, ne purgantia medicamenta deuoranda exhibeantur, quod inde summũ ægrotanti exitiũ immineat, attractis nimirum aliunde & ex uniuerso corpore ad priorẽ stercorum

Clyster.

Fomẽtum.

Discutientia.

Curatio tenesmi ab vlcere.

Vnguentũ

A stercoris copia.

Clyster.

corum copiam excrementis, ut fusius alibi docuimus.

De coli doloribus. Cap. XVII.

Causæ.

Dolor qui in laxiore intestino, quod colon Græcè uocatur, accidit, multas, quatuor uerò præcipuas causas obtinet. Interdum enim propter crassos ac pituitosos humores intra coli membranulas subsidentes oritur. Interdum etiã ob flatulentos spiritus, quibus non est exitus. Fit quoq; propter inflãmationẽ, intestinum crassum distendentẽ, ac molestantẽ. Solet etiam accidere ob acres, & erodentes humores, qui intestinũ prædictum uehementius affligũt.

Signa. Crassi humoris.

Quibus crassus & pituitosus humor dolorẽ excitat, hi per totũ abdomẽ in alto excruciãtur, præsertim ubi coli situs est, ibi enim quasi tundi & perforari intestinũ sentiunt. Tormina quoq; hos affligũt, ructus nausea, uomitio uaria potißimũ pituitæ. Aluus grauiter impedita nihil reddit, ac ne spiritũ quidẽ trãsmittit. Stercus autẽ quãdoq; excretũ, bouino simile uidetur, leue & flatus plenũ. Præcedit hos quàm maximè frigidorũ & craßi succi ciborum aßiduus usus, satietas, cruditas, ociũ, & ijs finitima. Qui autẽ ex flatulento spiritu dolent, tensionem magis experiuntur. Qui autẽ propter inflammationẽ, ijs interni feruoris sensus accidit, & febris nõ ignaua, urinæ deniq; simul & stercoris retentio, pulsus quoq; iuxta uentrẽ molestat, sitis, æstus, nausea, & uomitiones bilis potißimum, quæ nihil leuãt malum. Hæcq; simpliciter inter colicas affectiones grauißima est, quæ in ileum transitionem minatur.

Acris & erodentis.

Quibus acres rodentesq; humores dolorẽ mouẽt, sicut etiã qui inflammationẽ experiuntur, os ardor, sitis & uigilia torquẽt, imò & febriculæ, sed minus quàm illos. Vrina redditur acris, & biliosa deijciuntur. Sæpius autem alui deiectio maiorem excitat cruciatum, grauiusq; irritant calidiores cibi

potusq;

potusq; assumpti. Quo uerò pacto coli & renum dolores discernendi sint, docet copiose Gal. lib. 6. De patien. locis ca. 2. ad eum itaq; locum lectorē ablegamus. Victus ac curandi ratio pro causarum diuersitate uariatur. Quum itaq; crassi ac lenti humores doloris causa existūt, uictus uniuersa ratio extenuans sit. Panis igitur quo uescitur æger, recēs ac in clibano aut furno probè coctus sit. Carnes cōueniūt in primis uolucrium, gallinæ nimirū, perdicum, palumborū, turturū, turdorum, & columbarum. Fugiēda omnia uolucrium genera, ras, quæ in aquis degunt, tanquā ea quæ superfluitatibus multis abundēt. Ex quadrupedum animantiū genere conueniunt carnes uitulinæ, & hœdinæ. Læguminia omnia uitanda, quod huic malo mirificè incommodent. In olerum genere utendū fœniculo, apio, asparago, & similibus. Allia quoq; cruda, & cepas assumere haud nocebit. Quid multa? alimenta sint cōcoctu facilia, & boni succi, atq; satietas & cruditas uitetur. Bibendum uinum subadstringens, album, tenue, pellucidum, mediocri ætate, temperatura dilutiore, bibaturq; modicè.

Victus colici doloris à crassis & pituitosis humoribus.

Quòd uerò ad curandi rationem attinet, medendum sic, ut non uehemēter calefaciamus: quippe ab huiusmodi præsidijs difunduntur & inflantur omnes frigidi & crassi humores, qui intestina distendēdo, dolores uehementiores efficiunt. Cōuenit itaq; eos dissecare & concoquere citra uehementē calorem, & per usum eorum quæ minimè inflant. In exacerbationibus igitur irrigationes fiant ex oleo rutaceo, chamæmelino, & anethino. Fomenta item, & sacculi è floribus chamæmeli, anethi, meliloti, seminib⁹ lini, fœnogræci, altheæ, milio, & furfuribus. Mirificè quoq; conducunt clysteres ex oleis iam cōmemoratis, & prædictarum herbarū decocto, aut radicis cucumis syluestris, adiectis cumino, uel ruta cum adipe anserino uel gallinaceo, in eum quidē modum parati.

Curatio eiusdem.

Mal

Clyster. Maluæ, altheæ, chamæmeli, mercurialis anethi, singul. m̄.1. origani, calaminthæ, pulegij, singu. m̄.ß. seminum lini, fœnogræci, cumini, smyrnij, singul. ʒ 3. decoquãtur singula in aqua fontana iustæ quãtitatis ad tertias. Dein accipe iuris decocti per colũ transfusi lib. 1. hieræ picræ ℥ ß. benedictæ laxatiuæ ʒ 5. cõpositionis indi ʒ 1. ß. mellis rosacei colati ℥ ß. oleorum chamæmelini, anethini, rutacei, utriusq; ℥ 1. lutea oui duo numero, salis cõmunis ʒ 1. cõmixtis omnibus fiat enema. Glandium etiã admotiones, illitionesq; sedis è succo cyclamini cũ melle & nitro, uel centaurio minore cũ melle ac nitro prosunt. Exemplũ glandiũ est hoc: accipe mellis cocti ℥ 1. ß. speciérum hieræ picræ ʒ 1. colocynthidos ℈ 1. salis fossilis ℈ ß. commisceantur & fingantur glandes oblongæ. Vomitus etiã ante cœnã, si quis facilè uomat, præ omnibus auxiliatur. Porrò ubi dolores, facta iam uacuatione, ad plures dies producũtur, in soliũ olei calidi: aut si hoc haberi haud queat, in hydrelæum descendere alienum non est. Insessus quoq; utilis ex decocto altheæ, pulegij, foliorum lauri, fœnogræci, chamæmeli, artemisiæ, anethi, & similium. Cõuenientissimum uerò ad colicos medicamentũ, uinũ absinthites, existit, si prælibatione à balneo indigẽt. Estq; etiã nõ sitiẽtibus ualde cõmodũ. Decoctum quoq; herbæ ipsius, ubi semel tantum ebullierit, pari ad uinum quod aliàs pro consuetudine bibunt, admixtũ, utiliter à balneo præbetur. Castoreum deniq; assiduè potatũ, malum prorsus demolitur, omnibusq; medicamẽtis præstat. Datur ægrotantibus drachma una in tribus aquæ mulsæ cyathis. Quòd si dolor non conquieuerit, propinandum erit medicamentum diatrionpipereon, uel theriaca. Si uerò dolor est uehemens, mediocriter lenientibus ac mitigantibus uti cõuenit medicamentis infernè inditis, aut potis. Nam quæ ualenter stupefaciunt uitare oportet, quod paulisper quidem leniant

Glans. Vomitus. Insessus. Vinum absynthites. Castoreũ. Stupefaciẽtia vitãda.

leniant, sed diuturniorẽ affectum faciant, dum humores crassiores reddunt, meatusq; intestini cõdensant. Anodynis itaq; propriè uocatis medicamentis, quorum aliqua initio huius capitis dicta sunt, iterum utendum. Porrò si flatulentus spiritus doloris causa fuerit, clysteres qui flatus discutere possunt inijciendi, qualis est qui accipit: Abrotoni, origani, pulegij, calaminthæ, chamæmeli, singul. m̃. 1. rutæ, mentæ, mentastri, singul. m̃ ß. seminum anisi, fœniculi, carei, cumini, anethi, smyrnij, dauci, singul. ʒ 2. coquantur omnia ad tertias, dein accipiatur iuris decocti colati lib. 1. hieræ, picræ, benedictæ laxatiuæ, utriusq; ℥ ß. castorei ʒ 1. specierum diacumini ʒ 2. oleorum rutacei, anethini, utriusq; ℥ 1. ß. salis communis ʒ 1. ß. commixtis omnibus fiat clyster. Potest etiam prædictis addi compositio de baccis lauri appellata, qua ad discutiendos flatuosos spiritus nihil est efficacius. Proderit quoq; eius compositionis quantitatem nucis auellanæ in decocto aliquo incidentium & extenuantium medicamentorum indies propinare. Extrinsecus autem abdomen ijs quæ flatus dissipant fouendum & irrigandum erit, cuiusmodi sunt, præter ea quæ paulò antè diximus, nigella, ammi, oreoselinum, amygdalæ amaræ, piper nigrum, mentastrum, baccæ lauri, absinthium, semen urticæ, acorus, maiorana, cinnamomum, & alia quæ libro primo De compositione medicamentorum commemorauimus. Ex ijs itaq; cataplasmata, fomẽta, aut sacculos parabis. Quod uerò omnia reliqua uincit, & incantamenti cuiusdam simile quid efficit, Gal. lib. 12. The. meth. cap. ultimo teste, est cucurbita maxima leuis cum copiosa flãma toti abdomini affixa. Aeger etiam à diluti uini, & frigidæ aquæ potu, lactis & aliorum refrigerantium, ac flatuosos spiritus gignentium alimentorũ usu, sibi caueat. At uini potius meracioris potu, uictusq; ratione reliqua calefaciẽte ac incidẽte

Curatio doloris colici à flatulentis spiritibus.

Clyster.

Compositio de baccis lauri.

Flatus discutientia.

Cucurbitæ appositio.

Victus.

Colici doloris ab inflammatione curatio.

utatur. Præterea inflammatione intestinum exercente, uena in cubito aperienda est. Si uerò urinæ difficultas superet ac dominetur, ex malleolo sanguis detrahēddus erit. Prædictis etiā utendum remedijs, exceptis acribus, & uehemēter purgantibus. Clysteribus uerò potius lenientibus, item cataplasmatis, & irrigationibus & in oleū descēsu utendū. Cucurbitulas etiā ijs affigimus. Victus autē ratio tenuis sit, & ferè febricitātiū, donec inflāmatio soluatur. Atqui si propter acres rodētesq; humores dolitāt ægri, per sedē infundere cōuenit ea quæ humores eluere, atq; citra mordacitatē purgare possunt: cuiusmodi est ptisanæ succus, aut decoctum fœnogræci, seminis lini, chamæmeli & altheæ, cum adipe recenti anseris uel gallinæ, & rosaceo oleo. Conuenit autem hoc potissimum enema, quod habet: Foliorum uiolæ, intubi domestici utriusq;, foliorū altheæ, chamæmeli, singul. m̄. 1. ß. seminū fœnogræci, lini utriusq; ℥ ß. bulliāt in aqua iustæ quātitatis, donec tertia pars absumpta fuerit. Dein accipe iuris decocti colo transfusi ℥ 13. casiæ fistularis ℥ 1. hieræ picræ ʒ 6. olei rosacei ℥ 2. olei anethini ℥ 1. pinguedinis anseris, gallinæ, utriusq; ʒ 3. uitellos oui numero 2. Cōmixtis omnibus fiat clyster. Porrò non solum euacuare, uerumetiam temperare infestantem humorem oportet. Quapropter balneis ex dulci aqua utendum: ea enim mitigare, & somnū conciliare possunt. In quem etiā usum exhibenda serapia uiolaceum & rosaceum, aliaq; eiusmodi, quæ contēperare, ac uim mordaciū humorū obtundere ualent. Vtendū etiā cibo sorbili, ptisana nimirum, ac piscibus saxatilibus. Abstinendū acribus omnibus & calidis tum cibis, tum medicamentis, fomētis, irrigationibus, cataplasmatis calētibus, necnō uini potione, potissimū ueteris. Et ut rem omnem paucis perstringā, tota uictus ratio humidior & frigidior sit. Quum autem dolor nihil remiserit, sed uehe

Victus.

Colici doloris ab acribus & rodētibus humoribus curatio.

Clyster.

Stupefaciētia.

uehementius subinde sæuierit, ad stupefacientium usum confugere oportet. In hoc enim malo, nō solum quod sensum stupefaciunt, sed & quia humores tenues craßiores reddūt, caloremq; immodicum extinguūt, opitulantur. In horum uerò genere Philonium potißimum cōuenit, de quo integrā magna ex parte drachmā exhibere licebit. Catapotia quoq; de cynoglosso inscripta mirificè cōducunt, si, ut antea etiā monstratum est, ex una drachma sex cōficiūtur pilulæ, unaq; ante cubitum deuoratur. Cæterùm multa admodum sunt, quæ à tota essentia colicis auxiliātur cruciatibus. Inter quæ nō postremum locum obtinet lupi stercus album, ex aqua, aut uino albo tenui sumptum. Melius autem stercus censetur, quod in terram non delabitur, sed in fruticem aut herbam excernitur. Ea enim est luporum natura, quæ canum, ut suspenso altero posteriorum crurum & meiant & cacent, in eminenti quopiam ex terra. Itaq; in spinis sæpe æstate stercus lupinum reperitur, & fruticibus, uepribus, herbisq; procerioribus. Amuleti etiam instar colicos dolores iuuat idem stercus lupi, ilijs alligatum. Quòd Galenus etiam uerum esse experientia cognouit. Menta uiridis, Aëtio lib. 9. cap. 31. autore, aliquandiu decocta, & ad tres dies pota, dolorem prorsus è medio tollit. Plura alia eodem in loco reperies.

Philoniū.

Catapotia de cynoglosso.

Quæ à tota substantia conferūt colicis doloribus.

Menta uiridis.

De ileo. Cap. XVIII.

Εἰλεὸς malum est tenuium intestinorum, grauißimos & letales dolores inferens. Sic dictum à doloris circūactione. Εἰλεῖσθαι enim Græcis est circūuolui, & circumagi. Quare rectè Latinis uoluulus & cōuoluulus appellatur. Barbaram sectantes medicinam, Iliacam paßionē nominānt. Contrahitur id uitij continua ciborū corruptione ac cruditate, maximè uerò ex pinguibus carnibus, quæ subinde corru-

Ileos.

Voluulus. Iliaca.

Causæ.

ptionem expertæ & retentæ, obstructionẽ in tenui intestino creant. Oboritur etiam ex plagis & ictibus quibusdã ijs locis, in quibus tenue est situm intestinum, factis. Item ex frigore uehementi constringente, ac excrementa retinente. Ex aceruata præterea frigidæ potione, maximè si à sudantibus plurimum accipiatur. Cõtingit & ijs quibus intestinum in scrotum unà cum stercore delapsum est, indeq; uiolenter retrusum, ex eoq; inflammatum existit. Fit quoq; ob letalium medicamentorũ potũ, & propter induratũ stercus, circa tenue intestinum impactũ. Magna uerò ex parte uel ab inflammatione, uel obstructione aridi stercoris, malum hoc oritur.

Quibus malum hoc familiare sit. Familiare quidem est hoc malum pueris, euadunt tamen naturalis humiditatis beneficio. Senibus nõ admodum accidere solet, si tamẽ eo tententur, ferè nunquàm cõualescunt.

Signa. Accedit sanè hoc malo correptis dolor uehementißimus, & tumor aliquis in tenuis intestini parte eminet, ut uideatur idipsum ad chordæ similitudinẽ cõuolutum: unde etiam Chordapson nonnulli id genus mali appellauerunt. (Chordapson.) Adest etiã stomachi nimia humectatio, exolutio, ructus inanes, & nihil aleuantes, murmura intestinorum, cohibitio perfecta stercoris & flatuum. Si malum intendatur, omnia sursum ferũtur: ob idq; & uomitus pituitæ ac bilis accedit, frigiditas totius corporis, dolorq;, plurimis etiã spirãdi difficultas. Morituris autẽ amplius sudor frigidus, urinæ difficultas, podex ita adstrictus, ut neq; specilli extremũ suscipere poßit. Aliquando & stercus uomitu reijcitur.

Curatio. Quod ad curandi rationem attinet, pueros quidẽ irrigationibus, cataplasmatis, clysteribus, glandibus, & fomẽtis, sicut in capite de coli doloribus est cõprehẽsum, curare oportet. Adultis uerò p causarum diuersitate medendũ.

Si à cruditatibus accidat. Si igitur à cruditatibus, ac multis uarijsq; cibis ingestis, qui uentriculo adhuc insident, malum accidit,

accidit, uomitus cum ijs quæ suprà dicta sunt concitandus erit. Si uerò nihil crudorum ciborum in uentriculo cõtineatur, omni conatu enitendum, quo tum flatus tum stercora infrà trahãtur: idq́; per clysteres, glandes, & illitiones, magna in singulis adhibita diligentia efficiendũ. Quare potest inijci clyster eiusmodi, qui accipit: Mercurialis, rutæ, foliorum althеæ, cẽtaurij minoris, singu. m̃. 1. hyssopi, calaminthæ, absinthij, singu. m̃. 1. ß. radicis altheæ ℥ 1. radicis cucumeris syluestris ʒ 1. ß. seminum lini, fœnogræci, utriusq; ʒ 3. seminis cumini ʒ 2. ebulliant in aqua iustæ quantitatis, donec tertia eius pars absumpta fuerit. Dein accipe iuris decocti colati ℥ 14. benedictæ laxatiuæ, ut uocant, ℥ 1. butyri recentis, mellis rosacei colo transfusi, utriusq; ℥ ß. oleorum rutacei, anethini, utriusq; ℥ 1. ß. salis uulgaris ʒ 1. cõmixtis omnibus fiat clyster, qui ante cibum infundatur, malo autẽ urgẽte à cibo etiã. Præcipiendumq́;, ut quandiu quidẽ queant hunc ægrotantes retineant. Glandes quemadmodum in coli doloribus parandæ, adiectis semine rutæ, cumino, & braßicæ caulibus. Longiusculas quoq; facere oportet, ut profundius penetrare possint. Præterea cyclamini succo, aut melle cum nitro podex illinendus. Cataplasmata & fomenta quibus hoc malum curatur, ferè sunt talia, qualia in capite de coli doloribus dicta sunt. Conueniunt autẽ maximè fomenta ex lanis, oleo, in quo cuminum, anethum, ruta & nasturtium decocta sint, madefactis. Cataplasmata uerò ex semine lini, fœnogræco, farina hordeacea, loliacea, ruta, cumino, anethi semine & apij. In solium quoq; aqua & oleo refertum descendere conuenit: in aqua uerò althea, ruta, & anethum decoquantur. Post hæc cucurbitulæ affigantur, primum quidem ad remotos locos, leues deinde ad ipsos etiam dolore affectos, scarificationesq́; profundiores fiant. Purgationes etiam assumere conuenit,

Clyster. Glandes. Illitiones. Fomenta. Cataplasmata. Cucurbitulæ. Purgatio.

potißimum si prius per ea quæ dicta sunt stercora ad inferiora tracta fuerint. Mirificè ipsis conducit, si uomuerint, anethum coctum, potumq́;. A' potu uerò panem in aquam feruentem conijce, eiusq́; frusta calida confestim edenda præbè. Qui ex uenenato medicamento in ileon inciderunt, ijs aqua tepida multa bibenda detur, uomereq́; cogendi. Deinde oleum calidum in potu dandum, aut pinguia iura, ut rursum uomant. Postea diebus aliquot interpositis, theriace, cum uino dissoluta, detur. Cibis uescantur boni succi. Quòd si obstructio perseuerauerit, aluus lacte scisso cum modico scammoniæ, uel aloës, uel alio quodam purgante medicamēto innanienda erit. Si ab inflammatione ileos orta fuerit, à uenæ sectione auspicandum erit, deinde cucurbita inflammatis partibus per ambitum scarificatis affigenda. Clysteres etiam ex decocto maluæ, fœnogræci, seminis lini, cum oleo & butyro inijciendi. Extrinsecus quoque ea quæ inflammationibus conducunt, & dolorem leniunt, apponenda. His etiam tenuißima uictus ratio præscribenda. Si ex intestini in scrotum delapsu ileos accidat, confestim tentandum est, ut decubitu sursum uersus uergente adornato, delapsum intestinum ad inguinum partes retrudatur, atque leniter citra uiolentiam ac compreßionem, ligatura fasciáue adhibita contineatur.

Si ex uenenato medicamento.

Si ab inflāmatione.

Si ex delapsu intestini in scrotum.

De lumbricis. Cap. XIX.

Tres lumbricorū differentiæ.

LVmbricorum, quos Græci ἑλμινθας uocant, tres sunt in uniuersum differentiæ. Prima teretum seu rotundorum, altera latorum, tertia eorum quos ascaridas nominant.

Teretes.

Teretes lumbrici speciem habent omnibus perspicuā: secundum enim craßitudinem rotundi sunt, longitudine uerò palmares, & aliquando longiores, alijsq́; sunt frequentiores.

Græcis

Græcis ἑλμινθες στρογγύλαι nominantur. In gracilibus plerunq; intestinis consistunt, & uentriculum subeunt, ideoq; crebrò per os reijciuntur: quibusdã etiam è naribus redduntur. Atq; hoc genus infantibus & pueris, atq; ijs qui ad pubertatem accedunt, peculiare est. Lati, qui à Græcis κειρίαι & ταινίαι, quòd scilicet instar institarum & fasciarũ sint lati & longi, appellãtur. Incredibilis uerò longitudinis sunt, ut Plinio lib. 11. ca. 33. teste, tricenum aliquando pedum uisæ sint, aliquando etiã plurium. Nihil autem est latus lumbricus, Paulò & Aëtio autoribus, nisi permutatio intrinsecus tenuia ambienti intestina membranæ, in corpus quoddam uiuum, & animalis modo mobile. Ἀσκαρίδες tenues ac breues, uermibusq; similes lumbrici sunt. In recto intestino, & in extremo ani magna ex parte reperiuntur. Omnium generum origo est ex cruda, crassa pituitosaq; materia, & putredini accommoda, qualis in pueris maximè & alijs uoracibus colligitur. Eos qui rotundos lũbricos habẽt, sequitur incredibilis intestinorũ & uentriculi morsus, tußiculæ tenues & exiguæ, ac frequenter irritantes & siccæ. Nonnullos comitatur singultus, & somnus cum palpitatione, ij etiã præter rationem exurgunt. Nonnulli & cum clamore expergefiũt & prosiliunt, & iterum sopiuntur. Quidam uerò & linguam exerunt, oculosq; claudunt, ac taciturni sunt, excitantibusq; indignantur, quòd scilicet ob imbecillitatẽ uigilare nequeãt. Quidam autem oculos sanguine suffusos habent, & pulsum inæqualẽ, obscurum, deficientem & recurrentem. Nonnullis quoque appetentiæ amißio accedit. Pueris dum dormiunt manducatio linguæ, cui accedit conformatio oris in modum lactentium, aut accipientium cibum. Aliquibus etiam dentium stridor accidit. Verùm hæc paulatim, & ex interuallis fiunt. Quibusdam ad stomachum procurrunt,

Teretes quibus familiares.

Lati.

Latus lũbricus qd.

Ascarides.

Causæ.

Signa rotundotum.

nauſcarumq; & eroſionum cauſæ fiunt, & laborantes cibum reſpuunt. Compulſi enim ad cibum nauſeabundi, uix quod aſſumitur deglutiunt, uel etiam reuomunt. Pleriſq; uerò aluus cibos corruptos deijcit, & tympani modo inflatur: reliquum uero corpus ſine ratione contabeſcit, neque inedia præcedente, neque immodica euacuatione facta. Contingit etiam aliquando faciem fieri rubicundam, maximè circa malas: uerùm color hic rurſus in liuorem tranſit. Alij inſtar delirantium abſurda in ſomnis loquuntur. Alij decubitum trāſmutant, & ex loco ad locum ſeſe uiciſsim proijciunt. Febres in eis ſine ordine augeſcunt, cum uehementi extremarū partium refrigeratione, tertiam interim quartam, die uel nocte ſine ratione acceſsionem habentes. Ceterùm nō in omnibus omnium quæ nunc commemorauimus ſigna ſunt ſingulatim inquirenda, ſed quæ reliquis præpollent, ac principatum tenent: aliquādo etiā plurima. Lati lumbrici continuos ſtomachi morſus inferunt, & ad cibos impotentem & incorrigibilem appetentiam. Nam quod animal euaſit in inteſtinis: obiectū rapit alimentū, ut alio ſtatim opus ſit, & niſi aſſumpſerint, inteſtina rodantur. Eos qui ſic patiūtur, conſequitur corporis gracilitas & imbecillitas cū inæqualitate. Infallibile autē ac certiſsimū indicium, ſi cum recrementis quædam ſemini cucurbitæ ſimilia excernantur. Aſcarides uehementē in ano pruritū excitant, aſsiduéq; ad egerendum irritant. Et qui hoc malo afficiuntur, ut plurimum ab excretione melius habent. Victus ratio calida & ſicca ſit, potiſsimum ſi febre ægrotantes uacauerint, cibiſq; utantur probi ſucci, & qui facilè in totum corpus diſtribuantur, nec lumbricorum effectricem cauſam adaugeant. Quare omnia quæ pituitoſos humores procreare poſſunt alimenta fugienda. Præterea qui lumbricorum malo affliguntur, liberalius ſunt nutriendi, famemq;

Signa latorum.

Signa aſcaridum.

Victus ratio.

memq; minimè ferant: quòd lumbrici, nisi cibum habeant quę absumant, statim subinde solida corpora arrodant. Datur uerò tum præcipuè cibus, quum nō prorsus inaniti fuerint. Vinum bibant aquosum. Porrò curandi ratio non differenda, & interdum simul febris, si adest, & lumbricorum habere curam: interdum autem parum de febre solicitos esse oportet, ac studiosè lumbricos de corpore eximere. Quare cùm multi hoc ipsum non animaduerterint, factum est ut nulla lumbricorum ratione habita, corrosi ab ijsdem sint, & cōuulsi interierint. Curatio uerò tam rotundorum quàm latorum in hoc consistit, ut hos prius occisos, expellamus. Occiduntur autem amaris maximè medicamentis, inter quæ ubi febris abest simpliciora hæc sunt absinthium, seriphium, abrotonum, calamintha, marrubium, dictamnus, hyssopus, ruta, folia persicæ, coriandri semen, cornu ceruinum, lupini, menta, pulegium, origanum, centauriū minus, filix, gentiana, aristolochia rotunda, allia, braßicæ semen, & helenij radix. His si febris adest inungenda sunt intubi utriusque semina, itemq; earundem herbarum succi, myxariaq;. Inter omnia autem laudatißimum est remedium aloë. Quia uerò infantes aloën grauiter propter suam amaritudinem admittunt, supinis fasciola ipsis detentis, ore adaperto ac diducto, per fistulam quandam ualido munitam canali, inuitis illam nijciemus. Ex nunc autem comprehensis simplicibus medicamētis, uaria composita effici possunt, nimirum decocta, pulueres, cataplasmata, emplastra & unguenta. Inter reliqua uerò is puluis unicè cōfert, qui habet: Seminis santonici, quod lumbricorū uocāt, ℥ 2. centaurij minoris, absinthij, cornu ceruini usti, singul. ℥ 1. calaminthæ, pulegij, origani, singul. ℥ ß. abrotoni, mentæ, lupinorum, foliorum aristolochiæ rotundæ, singu. ℈ 1. aloës ℈ 2. cōmixtis omnibus fingatur puluis, de quo

Curatio.

Simplicia medicamēta lūbricos necantia.

Aloe.

Cōposita.

Puluis.

detur pondus drachmæ unius, aut semis, pro ætatis & habitus corporis ratione in lacte, aut melle, aut serapio è dulci radice. Nam debent ea quæ lumbricos enecant, cum dulcibus liquoribus propinari, quo citius medicamenta dulcedine illa allecti lumbrici amplectantur. Extrinsecus etiam umbilicus felle taurino, aut hoc unguento illinendus, quod accipit: Olei amygdalarum amararum, & absinthitis, utriusq; ℥ 1. fellis taurini ℥ ß. centaurij minoris, absinthij, lupinorum, singu. ℈ 2. foliorum persicæ, cornu ceruini usti, aloës, abrotoni, singul. ℈ 1. ceræ quod satis est, fiat unguentum. Aut imponatur regioni totius uĕtriculi hocceratũ, quod habet: Aloës, absinthij, farinæ lupinorum, singul. ʒ 2. nigellæ, mĕtæ, origani, pulegij, marrubij, singul. ʒ 1. centaurij minoris, calaminthæ, utriusq; ʒ ß. olei absinthitis, & amygdalarum amararũ, utriusq; ℥ 2. olei costini ℥ 1. fellis taurini ℥ ß. cum cera & resina quantum sufficit, fiat ceratum. Ad eorundĕ exempla facilè quispiam emplastra & cataplasmata componet, ita ut necessarium non sit singulorum formulas adscribere. Porrò ab inferioribus etiã partibus mulsam inijcere copiosiorem expedit, quo lũbrici mellis dulcedine illecti, deorsum repant. Enecatos uerò per prædicta medicamenta lumbricos, citra dilationĕ expellere oportet. Vitiosa ex ipsis exhalatio procedit, quæ & appetitum deijcit, concoctionĕq; lædit, sursum etiam delata uertigines, aliaq; mala creat. Expelluntur autem magna ex parte per glandes & per purgantia medicamenta potissimum uerò per hieram picrã, & catapotia pestilentialia, aut Rufi uocata quæ sanè mirã & in enecandis & educendis lumbricis efficaciam obtinĕt. Cæterùm qui cũ lumbricis alui etiam profluuio infestantur, eos fluorĕ inspissando, & cõcoctionem tum per cibos, tum per cataplasmata in melius permutando, curare oportet. Quantum enim profluuium

[Margin: Lũbricos enecãtia cũ quibus propinanda. — Vnguentũ — Ceratum. — Enecati lũbrici vt expellendi. — Catapotia. — Rufi. — Si alui profluuium lũbricis iungatur.]

fluuium inualescit, tantum etiã lumbricorum generatio augetur: uicißimq; fluxu cessante, lumbrici interquiescunt. Quapropter summa diligentia annitendum, ut aluus adstringatur, firmitasq; ei adijciatur. Propinandus itaq; plantaginis succus, uel ipsa etiam arida plãtago assumenda: ex æquo enim utrique, & fluori & lũbricis efficax est. Cataplasmata quoque, cerata & unguenta ex cruda hordeacea farina, malicorio, hypocisthide, & similibus adstringentibus componenda, adiectis tamen ijs quæ ad lumbricos interimendos idonea sunt. Cõferũt autẽ adstringẽtia medicamẽta extrinsecus admota hoc etiam nomine, quod uentriculum ex amarorum medicamentorum frequenti usu læsum, iterum corroborent. Licebit etiam in hoc casu uermes terrenos exiccatos, & in puluerem redactos, cum hydromelite exhibere. Ascarides in infantibus educendi sunt cum glandibus ex melle & sale paratis. In prouectioribus, aut clysteribus ex acri muria, aut decocto absinthij, centaurij minoris, calaminthæ, lupinorum, pulegij, & aliorum suprà commemoratorum, adiectis oleis, paratis. Post clysteres rectum intestinum simplicibus quidem acatia, hypocisthide, rhoïs succo, aut alio adstringente sublinendus est. Coacta enim ab adstringentibus caro corroboratur, habilitatemq; ad animalculorum generationem amittit, atque ascaridas ipsas excludit. Hoc uerò quod sequitur, & pueris, & qui prouectæ sunt ætatis conducit, efficacißimumq; existit. Carnem ueterem salitam, pinguedine derasa, sublongam & rotundam formabimus, atque ita adaptatam podici intrudemus, ligamentoq; adhibito, quàm diu sustinere poßint inditam sinemus, deinde soluemus, simulq; ascarides illi adhærentes educemus. Post hæc quæ prædicta sunt infundemus, atq; illinemus.

Ascaridum curatio.

Remediũ efficacißimum.

De hæmorrhoïdibus. Cap. XX.

Hæmorrhoides. AIμοῤῥοΐδες Græcis uenarum in sede sunt explicationes dilatationesq́; à crebro sanguinis defluxu sic appellatæ. Harum quidem aliæ sunt cæcæ, quæ scilicet intumescunt, & nihil aut parum admodũ sanguinis excernunt. Aliæ apertæ, quæ nimirum certis quibusdam tẽporibus panduntur, & sanguinem emittunt. Fiunt autẽ hæmorrhoïdes, propter copiam sanguinis fœculenti & melancholici, quem iecur ad ipsas reponit. Signa per quæ malum deprehẽditur, nõ admodum requiruntur. Oculis enim conspiciuntur cæcæ, & dolorem uehementem, potißimum in excernendo stercore, excitant. Apertæ uerò sanguinem fundũt, ideoq́; latêre ægrotantes haud possunt. Quum itaq́; cæcæ apparuerint hæmorrhoïdes, & magnos in ano cruciatus excitauerint, corpusq́; plethoricum fuerit, uel poplitis aut malleoli incidenda erit. Aluus etiam affatim molliẽda erit, ne arida stercora dum excernuntur, dolorem pariant. Apponenda quoq́; ubi uehemẽs dolor fuerit, quæ illum mitigare possunt. E quorũ numero est mica panis in lacte macerata, & cum oui uitello decocta, ac instar emplastri admota. Prodest etiam solium ex decocto maluæ, folijs uiolæ purpureæ, meliloti, fœnogræci, camæmeli, altheæ folijs, lini semine, uerbasci floribus, & similibus apparatum. Quòd si quis eo uti non poterit, lanæ aut spongiæ in decocto iam dicto irrigatæ & madefactæ dolẽti loco adhibeantur. Quòd si prædicta nihil contulerint, sanguinẽ ab ijs elicere oportet. Quapropter cyclamini succum, aut cepæ, aut fel bubulum lana illitum intra anum imponere oportet. Idem etiam potest centaurij minoris succus stercus columbinũ, staphys agria, foliũ ficus, si cum eo fricentur, & medulla colocynthidis in oleo amygdalarum amararum macerata. Inter reliqua uerò alia multa hoc emplastrum

Cæcæ.
Apertæ.
Causę.
Signa.
Curatio cæcarum.
Hæmorrhoides apertentia.

ſtrum unicè confert, quod habet: Stercoris columbini ℥ ß. ſeminis ſtaphydis agriæ, lupinorũ, utriuſq; ʒ i. ß. amygdalarũ amararũ ʒ i. medullæ colocynthidis ʒ ß. ſucci cyclamini cepæ, utriuſq; ℈ i. cõmiſceãtur ſingula, & ad formã emplaſtri redigantur, adiecto, ſi opus fuerit, oleo amygdalarũ amararũ. Glãdes etiã oblongæ ex radice cyclamini paratæ, in anum indi poſſunt. Hirudines quoq; in arundine incluſæ, ita ut caput dũtaxat exerãt hæmorrhoïdibus ut aperiãtur, imponi ſolent. Has ſi deinceps amouere haud poteris, cinere illarũ capiti inſperſo decidere ſua ſponte facies. Cæterùm ſi apertæ fuerint, & ſanguinẽ modicè ꝑ certa interualla fuderint, minimè ſupprimendæ ſunt: ꝙ huiuſcemodi ſanguinis eruptio homines hoc malo detẽtos à multis alijs morbis tutos reddat. Id quòd in primis teſtatur Hippocrates, qui in Epidemijs ita ſcriptum reliquit. Habentes hæmorrhoïdas neq; laterum dolore, neq; pulmonis inflammatione, neq; depaſcenti ulcere, neq; furunculis, neq; terminthis, pariter neq; lepra, neq; uitiliginibis corripiuntur. Hæc ille. Quòd ſi uerò immodicè ac iuſto longius ſanguinem fundant, ſic quod ægri hoc malo cõ tabeſcant, ac illorum robur deijciatur, ſuprimendæ confeſtim: quòd aliàs periculum ſit, ne aqua inter cutem, iecinore propter immodicam euacuationem refrigerato, ſequatur. Cibis itaq; qui ſuprà modum inaniuntur, utantur pauci ſanguinis efficacibus, & minimè recrementicijs, quiq; ſiccant, & adſtringunt: cuiuſmodi eſt alica & oryza. Ex oleribus intubum, cichorium, portulaca, & ſimilia. Cibis rhu obſoniorum, aut ſuccus immaturarum uuarum admiſceatur. Si uires plurimum proſternantur, è carnibus expreſſo ſucco, cui cotoneorum ſuccus permixtus ſit, alendus æger erit. Vina bibenda adſtringentia. Cæterùm quod ad curandi rationẽ ſpectat, ſi plenitudo corporis affuerit, uenæ interioris in cubito

Glandes.

Apertarũ curatio. Si modicè fluant.

6. Epid. par. 3. Aph. 19.

Si immodicè fluant.

Victus.

Si vires multũ deijciantur.

Si plenitudo adſit.

bito dextræ manus sectio proderit. Sin minus, auersioni per cucurbitulas hypochondrijs & iecinori affixas studendũ. In quẽ usum manibus & brachijs etiã uincula inijcere, & frictiones asperas adhibere conuenit. Præterea intra corpus assumẽda erunt ea quæ adstringũt, ut est serapium rosaceũ, myrtinum, cotoneorumq́;, corallia rubea, bolus armenia, pastilli de succino, è spodio, de terra lemnia, & alia quæ in capite De cruento sputo sunt cõmemorata. Extrinsecus etiam ea apponenda, quæ sanguinẽ promanantem sistere possunt. E quorũ numero, Aetio etiam ipso lib. 14. cap. 5. autore, aloë existit, cum posca imposita. Idem quoq; potest squama ferri, aut plumbum ustum. Vnicè autẽ cõfert medicamẽtum, quod describitur à Galeno lib. 5. Ther. method. & accipit: Thuris partẽ unam, aloës partis unius semißim. Hæc cum oui candido donec ad mellis craßitudinẽ redeant subigũtur, & mollißimo leporis pilo excepta uasis sanguinem effundentibus imponuntur, fascia ex tenui linteo forinsecus alligata. Proderunt quoq; unguenta, balnea, insessiones, fomenta, & alia huius generis ex medicamentis adstringendi uiribus præditis cõposita: quorũ sanè multa suprà in capitibus De diarrhœa, lienteria, dysenteria et tenesmo diximus. Quòd si sacculorũ usus erit, præstat eos in uino rubeo et adstringẽte, priusquàm admoueãtur, bullire, aut saltẽ irrigare. Reliquæ medicamentorũ formulæ ex capitibus nunc citatis petantur.

Intro sumẽda.

Exterius admouenda.

Medicamẽtũ Galeni.

Sacculi.

De procidentia ani. Cap. XXI.

Causæ.

Accidit interdum ut propter resolutionẽ aut imbecillitatem musculorum obliquorum sedẽ sursum reuellentiũ, anus procidat. Quare cũ à prædictis nũc musculis anus retrahi ac sursum euelli nõ queat, fit ut manibus aut medicamẽtis opem ferẽtibus egeat. Quũ uerò prociderit anus, diligen

Curatio.

Si nulla sit inflãmatio.

diligenter cõſiderandum erit num ab inflammatione liber ſit nec'ne: ſi enim nulla inflammatione occupetur, ſtatim impulſus in priſtinũ locum protrudi, ac reponi debet. Ne autẽ intruſus ac in locũ ſuum repoſitus iterũ excidat, adſtringentia extrinſecus medicamẽta apponenda ſunt. Primum itaq; oleo roſaceo calente circũlinendus, aut uino adſtringẽte detergẽdus anus, ac ſubinde in ſuum locũ repoſitus deligandus erit. Idq; ſtatim ſimulatq; æger excreuit faciendũ, ne cùm ipſum ad egerendum iterum neceßitas urget, denuo procidat. Linimentum autem ex acatia & hypociſthide cum uino adhibendum. Incoquenda quoque in aqua donec rubeſcat, galla, balauſtium, glandium calyces, malicorium, bellis minor, rhu obſoniorum, cortices cotoneorum, & ſimilia, ac deinde ex eiuſmodi decocto inſeſſus & ablutiones parẽtur. Poſtquàm uerò uino aut decocto adſtringente ſedes abluta fuerit, tum arida admouere ac inſpergere medicamenta licebit. In quem uſum bolus armenia, thus, ſanguis draconis, galla, acatia, myrrha, hypociſthis, cornu ceruinum, & eius generis adſtringentia medicamenta, de quibus iam ſæpè dictum eſt, adhiberi poſſunt. Quòd ſi uerò propter inflammationem anus in tumorem elatus impelli & reponi nequeat, ubi plenitudo fuerit, uena primum ſecanda erit, uomitusq; ciendus. Sedi etiam apponenda quæ adſtringunt & reprimunt, ſed ſtatim inter initia. Si uerò nulla adſit plenitudo, æger inſeßione utatur ex decocto chamæmeli, maluæ, altheæ, ſeminibus lini, fœnograeci, & ſimilibus concinnata. Aut in aquã calidam conſcendat, & illic ad tempus immoretur. Spongiã quoq; aut lanam in decocto prædicto madefactã admouere licebit. Anus denique oleis chamæmelino & anethino, quouſque reponi poßit, illinendus. Promptè autem cùm illis inſit diſcutiendi uis tumorem auferunt, atq; adeò ut reponi nulla difficultate poßint,

Adſtringẽtia.

Linimẽtũ.

Si inflãmatio adſit cũ plenitudine.

Si ſine plenitudine.

poßint,efficiũt. Poſtquàm uerò iam reconditus eſt, tunc ſuprà commemoratis medicamentis adſtringẽtibus, ne ſcilicet iterum procidat,utendum erit.

De rimis ani. Caput XXII.

ῥαγάδες σφιγκτὴρ Rimæ ſedis,quas Græcis ῥαγάδας uocant,ſunt ſciſſuræ,quæ in muſculo anum claudente,σφιγκτῆρα nominant,aut in circulo, & extrema ani corona fiunt, ſimiles ijs

Cauſæ. quæ in labijs ob Boreæ flatum aſperiorem accidunt.Euenire ſolent propter acrium humorum defluxũ,aut inflãmationẽ,

Condylomata. aut condylomatum extenſionẽ.Sunt autẽ condylomata,rugæ ſeu eminentiæ quædam in ano, reduplicatis eius corpuſculis,

Signa. præter naturam inſurgentes.Malum ipſum oculis obuiũ eſt, ideoq; notis non indiget quæ in eius nos cognitionẽ ducant.

Curatio Quod quidẽ ad curandi rationẽ attinet,ſi rhagades ab acribus humoribus oriuntur, tum ij omnium primum purgandi ac comtemperandi erunt. Si uerò propter condylomata acciderint,itidem purgantibus medicamẽtis inter initia utendũ erit.Aluus etiã toto curationis tempore cibis humectantibus & pinguibus mollienda,ne aridũ ſtercus cõglutinationẽ remoretur.Huius autẽ generis ſunt maluæ,ſpinachiæ,lac amygdalarum dulcium,oua ſorbilia,iuſcula pinguia, & id genus

Vnguentũ alia.Cæterùm rimis ipſis hoc adhibendũ unguentũ,quod habet:Olei roſacei,myrtini,utriuſq; ℥ 1. thuris, maſtiches,lithargyri,ſanguinis draconis,ſingul. ℈ 1. aloës, plumbi uſti, cerußæ, balauſtiorum, boli armeniæ, ſingul. ℈ ß. ceræ albæ

Aliud. quod ſatis eſt,fiat unguentũ.Aut tale quod accipit:Olei roſacei ℥ 1.ß.gallæ,myrrhæ,terræ lemniæ, ſingul. ℈ 1. radicis ſymphyti maioris,aluminis ſcißilis,plumbi uſti, ſingul. ℈ ß. oui aſſati uitellum,ceræ quod ſatis eſt, formetur unguẽtum. Iam commemoratis unguentis ter die rimas circumungere oportet.

oportet, lotas prius decocto rosarũ, gallarum & sidiorum. Quòd si locum malè affectum ardor & inflãmatio affligat, unguento candido, caphurato hodie uocato, illinendus erit. Si inflãmatio adsit.

De imbecillitate iecinoris. Cap. XXIII.

IMbecillitas iecinoris ab intemperie ipsa producitur calida, frigida, humida, uel sicca. Calida intemperies tum eos qui prius adsunt humores, tum hos etiã qui per uenas mesenterij ad ipsum iecur feruntur, adassat, & ueluti cõburit. Frigida uerò intemperies pituitosum, & crudum humorẽ qui iam in iecore continetur, crassum & lentum ægreq; mobilẽ reddit: eum uerò qui ad ipsum defertur, semicoctum relinquit. Cæterùm sicca intemperies sicciores & densiores humores facit. Humida autẽ tenuiores & magis aquosos. Qui itaq; facultates & uires iecinoris habent imbecillas, ij hepatici uocãtur, ut testatur Ga. lib. 5. De patiẽ. locis cap. 7. Calida autẽ intẽperie iecur occupante, colliquationes fiunt, primum quidẽ humorum, deinde carnis etiã ipsius iecinoris, & bilis fœtens & crassa per uentrẽ euacuatur: abundeq; colorata, febris urget, cibi fastidium, & uomitus biliosus. Sitis deniq; infestat, urina est rufa, pulsus celer. Vbi uerò frigida intẽperies, adfuerit neq; assiduæ excretiones, neq; multæ fiunt: quippe malũ lõgius ꝓlõgatur, et certis diebus uẽter cumulatius ꝓfluet: sed quæ egeruntur minus fœtida sunt ijs quæ per calorẽ sunt collicata, neq; colorẽ etiã, neq; consistentiam, sed speciem præ se ferunt sanguinis putrefacti, et in grumos coacti. Et si quis diligẽter cõsideret, neq; sanguis niger est, neq; grumus, sed ueluti limus & fex quædã sanguinis crassi, proximè ad atram bilem accedẽs. Quin etiã plures & uarij excrementorum colores frigidam intemperiem monstrant. In ea quoque febris languida apparet, facies non concidit, ma-

Causæ. Intẽperies calida. Frigida. Sicca. Humida. Hepatici qui. Signa calidæ intemperiei. Frigidæ.

Siccæ. iorq; ciborum appetentia adest. Harũ intemperierum quæcunq; fuerit, si illi accedat siccitas, excremẽta adhuc sicciora & pauciora erũt, ægriq; magis sitiẽt. Sin humiditas, liquidiora & copiosiora, sitisq; minus infestabit. In curãdi ratione is præcipuus scopus erit, ut intemperiẽ per contraria emendemus. Calidam itaq; intemperiẽ refrigerare oportet, frigidam uerò calefacere, similiterq; humidam resiccare, & siccã humectare. Cæterùm in curatione hoc etiã unicè considerandũ erit, ut omnibus iecorarijs, tum ijs quæ per os sumũtur, tum ijs quæ extrinsecus imponuntur aliquid ex adstringentibus admisceatur, quo firmitas & robur uisceris cõseruetur, ut fusius docet lib. 13. The. meth. Gal. In calida igitur intemperie, quod ad uictus rationem attinet, utendum erit ptisanæ cremore, & alijs cibis mediocriter refrigerantibus, lactucis, intubis, cichorio, sonchis, & pane ex aqua. Pullis item gallinarum, perdicibus, auibus montanis, carnibus uitulinis cũ omphacio, aut limonibus, uocatis, elixis. E fructibus ægri uescantur passulis, limonibus & amygdalis dulcibus. Vinũ omnino circũcidendum, nisi aliã ob causam, nempe uentriculi imbecillitatẽ, hoc requirãt: tum enim tenue & aquosum exhibendũ. Bibant pro uino succũ malorũ punicorum, & serapium acidum simplex appellatũ, oxosaccharumq; cũ decocto hordei, aut intubi domestici. Arcendi etiã sunt ab omni cibo & potu melle cõdito, & admodum calido, & incidẽdi ui prædito. Quod ad curationẽ spectat, per os sumendũ saccharum rosaceum, diarrhodõn abbatis, diatrionsantalõn, & id genus alia antidota. Proderit etiã hoc, quod habet: Specierum diarrhodõn abbatis, diatrionsantalõn, utriusq; ʒ 1. ß. seminum intubi satiui utriusq; rosarũ purpurearũ, singul. ℈ 2. uuarum passarum ℥ 1. santalorum alborum, cassuthæ, floris iunci odorati, singul. ℈ 1. sacchari ℥ 6. diluti in liquoribus stilla

Humidæ. (margin)
Curatio. (margin)
Calidæ intemperiei uictus. (margin)
Medicamẽta intrò sumenda. (margin)
Orbiculi. (margin)

stillaticis cassuthæ, & intubi satiui latifolij, fingantur orbiculi. Quin & Philonis antidotus semel tantum exhibita, omnẽ aliquando calidã iecoris intemperiẽ mirabiliter sanauit. Extrinsecus adhibẽda somẽta ex rosaceo, chamæmelino, cotoneorumq; oleis parata. Aut absinthiũ, aut palmulæ prædictis oleis incoquãtur, & in ijs deinde lana uel spõgia madefacta, illi loco ubi iecur est situm, imponatur. Poterit etiã eius unguenti esse usus, quod accipit: Oleorum rosacei, cotoneorũ, nymphææ, singul. ℥ 1. santalorum alborum, & rubeorum, rosarũ purpurearũ, singul. ℈ 1. ramẽtorum eboris ℈ 1. ß. seminis intubi satiui utriusq; ℈ 1. aceti ʒ 1. ß. caphuræ grana 2. ceræ qđ satis est, fiat unguẽtũ. Epithemata etiã in hoc effectu non parum conducere solẽt, quæ in hunc uel similem confici possunt modum. Accipe stillaticij liquoris intubi satiui latifolij, lactucæ, oxalidis, rosarũ, nymphææ, singu. ℥ 3. succi semperuiui ℥ 1. ß. aceti ℥ 1. rosarũ purpurearũ, santalorũ rubeorum, ramentorum eboris, singul. ʒ 1. specierum diarrhodôn abbatis, diatriõsantalôn, utriusq; ʒ 1. ß. caphuræ ℈ ß. commixtis omnibus fiat epithema. Adhibẽda uerò sunt epithemata æstate quidem actu frigida, hyeme uerò tepida. Vbi uerò frigida in iecinore fuerit intemperies, calefacientibus & robur ac firmitatem addentibus medicamẽtis utendum est. In uictus ratione, cibis concoctu facilibus & calefacientibus. Ex oleribus sanè satureia, hyssopo, fœniculo, oreoselino, abrotono, saluia & similibus. Cibi quoq; aromatis sunt condiendi, cinnamomo scilicet, garyophyllis, & id genus alijs. Vinum bibendũ tenue, fuluum, & odoriferum, fugiendus piscium esus, fructuum frigidorũ, ociũ, & in summa quicquid refrigerare potest. Intra corpus sumendũ hoc decoctũ, quod habet: Radicum apij, fœniculi, oreoselini, singul. ℥ 1. eupatorij, hyssopi, mentæ, absinthij, cichorij, cassuthæ, origani, calaminthæ,

Admouenda. Vnguẽtũ. Epithema. Frigidæ intẽperiei curatio. Victus ratio. Decoctum.

asari, sing. m̄ 1. seminum anisi, fœniculi, dauci, cumini, carei, singul. ʒ 2. iunci odorati ʒ 1. ß masliches ʒ 1. florũ chamæmeli, rosarũ purpurearum, utriusq; m̄ 1. cinnamomi selecti ʒ 1. ß. coquãtur omnia in lib. 1. ß. uini, & lib. 1. aquæ fontanæ ad tertias, deinde colo transfundãtur, adiectis serapij de eupatorio ℥ 3. & serapij de absinthio ℥ 1. & commixtis omnibus fiat potio, de qua mane in aurora, & à prandio iam cõfecta cõcoctione ℥ 3. ß. sumãtur. In eundem usum exhibenda ueniũt antidota calefacientia, nempe diacinnamomi, dianisi, saccharũ saluiæ, acorum conditum, radices pimpinellæ saccharo obductæ, & alia eiusmodi. Extrinsecus illinenda olea calida, ut est nardinũ, chamæmelinũ, absinthite, & similia.

Vnguentũ. Vnicè uerò cõfert usus eius unguenti, quod accipit: *Oleorũ absinthitis, nardini, utriusq; ℥ 1. ß. succi eupatorij ʒ 2. cinnamomi, garyophyllorũ, ligni aloës, singul. ℈ 2. spicæ iũci odorati, masliches, utriusq; ℈ 1. ceræ quod satis est, formetur unguentũ.*

Ceratum. Poterit etiam adhiberi hoc ceratũ, quod habet: *Farinæ fœnogræci, lupinorum, utriusq; ʒ 2. radicis iridis, asari, utriusq; ʒ 1. eupatorij, absinthij, meliloti, iunci odorati, singul. ʒ ß. galliæ moscatæ ℈ 1. seminũ anisi, fœniculi, utriusq; ℈ ß. masliches ℈ 2. mirrhæ, thuris, utriusque ℈ 1. oleorum mastichini, nardini, rosacei, anethini, singul. ℥ 1. ceræ & resinæ quod satis est, informetur ceratũ iecinori imponendũ.*

Epithema. Epithematis quoq; illius usus minimè aspernẽdus erit, quod accipit: *Seminũ anisi, fœniculi, ammeos, singul. ʒ 1. ß. cinnamomi, garyophyllorũ, iunci odorati, singul. ʒ 1. decoquantur in lib. 1. ß. tantisper dum medietas relinquatur, deinde colentur, & iuri per colum transfuso admisceatur liquorũ stillaticiorũ absinthij & eupatorij, utriusq; ℥ 2. specierũ diacinnamomi, diagalanges, utriusq; ʒ 1. cassutæ ℈ 2. aceti ʒ 3. commixtis omnibus fiat epithema.*

Humidæ intẽperiei curatio. In humida uerò iecinoris intem-

intemperie uictus ratione desiccãte utendũ, carnibus nimirum uolucriũ aßis, uino tenui: ijs quæ sudorẽ mouent, laconico, & balneis etiã sua sponte prouenietibus. Parũ in uniuersum bibendũ ac comedendum, pisces omnis generis, & fructus quibus humectandi uis inest uitandi. Intra corpus sumendũ serapiũ de absinthio, antidotus dialachæ & diacurcumæ. Extrinsecus autem quæ exiccãt citra insignẽ calorẽ adhibenda, de quibus omnibus dicemus copiosius infra in capite de anasarca. Sicca iecoris intemperies haud secus atq; aliæ per contraria curanda erit. Quare, ut rẽ paucis perstringamus, uictus ratio cõuenit humectãs, & balnea aquarũ dulciũ, & alia quæ humectare possunt, de quibus suo loco fusius dicemus. Hoc tamẽ, qd' antea quoq; monuimus, minimè interim negligendũ erit, ut humectãtibus semper admisceantur, quæ uisceri robur addere possunt. Cæterum inter ea quæ à proprietate totius substantiæ competere uidentur, optimum est lupinum iecur, si diligenter exiccatum & tritum drachmæ unius pondere cum uino dulci aqua diluto præbeatur. Hoc enim multiplici experimento cognitum, omnibus iecoris intemperiebus commodum existit: utpote, quod diximus, proprietate totius substantiæ hanc efficaciam habens, non calefaciendo, aut refrigerando.

Siccæ intẽperiei.

Lupinum iecur.

De obstructione iecinoris. Cap. XXIIII.

IEcinoris obstructio fit à flatibus uaporosis ac craßis, cõcoctuq; difficilis. Interdum uerò à craßis & uiscosis humoribus, in finibus uenarũ ex sima iecinoris parte enatarũ, per quas ex uentriculo, & intestinis alimentũ ad iecur distribuitur. Porrò si uaporosi & craßi flatus multitudo coaceruatur, quæ exitum liberũ non habet, atq; adeò obstructionem parit, non grauitatis solũ iuxta dextrũ hypochon-

Causæ.

Notæ.

drium, sed & distensionis sensus oboritur. Obstructionem uerò à crassis uiscidisq; humoribus, cōsequitur grauitatis cū dolore sensus, aliquādo quidē obtusæ, aliquādo etiā uehemētis: & quandoq; quidem absq; febre, quādoq; cū febre. Crassa enim uiscosa, & multa, omnino reliquis plus obstruunt, & maximè quādo ægri à cibo uehemētiori motu utuntur. Si uerò acria sint & multa quæ in cibo sumuntur, dolor ex obstructione uehemētior fit: quum obturata corpora simul & tensionē perferant, simulq; pungātur. Cibi his qui sic laborant, dandi sunt calidiores, & qui tollendi obstructiones facultatē habent. Cuiusmodi est porrū ex oxymelite, asparagus, fœniculū, oreoselinū, cappares, & alia olera & obsonia cocta, aut cum cōdimento aliquo calefaciente obstructionesq; auferēte sumpta. Vitanda sunt omnia crassioris succi alimenta, balnea item & exercitia à cibo. Vino in potu utendū tenui, ac ueteri. Præter uictus rationē attenuantiū quoq; et obstructiones tollentium medicamentorū quàm celerrimus requiritur usus. Siquidē obstructio inueterata non tantū in iecinore, sed & in omni corporis parte putrefactionem operatur, febremq; accendit. Præclarè autē & citra omnē molestiam ab obstructione leuant inter simplicia medicamenta, lupi iecur, fumaria, eupatoriū, chamæmelum radix acori & dracunculi, asarum, anisum, apium, absinthiū, casia, iris, glycyrrhiza, rha ponticū, lupini, cappares, ammi, cassutha, oreoselinum, pistacia, amygdalæ amaræ, spica nardi, stœchas, gentiana, plantaginis radix, semen, & folia sicca: anagallidis fœminæ succus, cichoriū, halicacabū, intuba utraq;, asparagus, & ruscus. Ex quibus subinde uaria medicamenta composita cōcinnari possunt, potissimum autē decocta, admixtis oxymelite simplici, scyllitico, serapio acido composito, de absinthio, hyssopo, calamintha, marrubio, & id genus alijs. Ad eundem

Victus.

Curatio.

Sīplicia iecinoris obstructionē tollentia.

eundem usum licebit exhibere pastillos de eupatorio, de absinthio, rhabarbaro seu scenitico, & ijs similes. Conferunt quoq; antidota dialachæ, diacurcumæ, dianisi, & huius generis alia quædã. Inter cætera autem medicamenta simplicia suprà cõmemorata ad auferendas obstructiones unicè cõducũt pistacia. Quapropter nõ solũ utile, uerũetiã iucũdũ erit, si pistacia decem aut duodecim per noctem in uino Aruisio, quod hodie deprauata uoce Malmasinũ uocant, macerata, in aurora perfectis iam coctionibus sumãtur. Extrinsecus quoque admouenda epithemata, unguenta, emplastra & cerata, quæ in capite superiore De frigidæ intemperiei iecinoris cu ratione dicta sunt. Atq; nunc quidem commemorata medicamenta sufficient, si malum nondum inueteratum fuerit. Nam ubi in uetustatem abierit malum, uenæ etiam sectio, & purgatio, si nihil aliud prohibeat, adhibenda erunt. Purgationem autem perficient catapotia de rhabarbaro, de agarico, aut alia antidota quæ crassos & tenues humores per aluum purgare possunt. Purgandum autem per aluum tum maximè, quando caua iecinoris laborant. Per urinam autem trahere oportet, ubi gibba eiusdem malè habuerint, quod Gal. lib. 2. ad Glauconẽ cap. 3. monet, multisq; alijs locis. Vacuato corpore per uenæ sectionem & purgantia medicamẽta, ea subinde quæ suprà comprehensa sunt medicamẽta propinabuntur. Hoc potißimum antidotum, quod habet: Radicis iridis & chamæpityos, seminum anisi, apij, singul. ʒ 2. asari ʒ 2. ß. cinnamomi, zingiberis, carei, chamæmeli, singul. ʒ 1. stœchadis, gentianæ, marrubij, singul. ʒ 2. cum oxymelite scyllitico quòd satis est fiat antidotum liquidũ. Hoc sanè mirificè obstructiones, nõ solum eas quæ in cauo, quàm quæ in gibbo iecinoris hærent (per urinas enim uehementer expurgare solet) penitus tollit.

Pistacia.

Antidotũ liquidum.

De inflammatione iecinoris. Cap. XXV.

Causę. IN iecinore perinde atq; in alijs uisceribus, & ob easdem causas, fit inflammatio. Inflammatione uerò laborante iecinore, omnibus quidem ex æquo in dextro hypochondrio dolor & grauitas est, suprà ad iugulum usque, infrà uerò ad spurias costas perueniēs. Tumor quoq; dextri hypochōdrij consequitur, præsertim si gibbosa pars sit inflammata. Febris accedit acuta, tußis exigua & sicca, sitis inexhausta, cibi fastidiū, difficultas spiritus. Linguæ color in primis quidē ruber, deinde uerò niger est. Vomitus tum synceræ bilis, tum eius quæ ouorū uitellis aßimilatur, pòst autē & eruginosæ. Aluus adstringitur. Color etiā corporis mutatur in arquati morbi speciē, singultus quoq; cōsequitur. Acceßionis autem tempore quidam delirio apprehenduntur, & acrem urinam excernunt. Simarū partiū iecinoris inflāmatiōis signa. Porrò quæ in simis iecinoris partibus eueniūt inflammationes, fastidium, nauseam, uomitum biliosum, sitim ingentem magis inducunt. Gibbarū. Quæ uerò in gibbis partibus oriūtur, maiori quàm priores inter spirandum dolore laborantem afficiunt, magisq; tußim excitant, atq; dolorem usq; ad dextræ partis iugulum, adeò ut detrahi uideatur extendunt, ut copiose Gal. lib. 6. De malè affectis locis, cap. 5. docet. Accidit autem interdum, ut musculi iecinori incumbentes inflammentur: quare nonnulli decepti, iecinoris eam esse inflammationem suspicantur. Necessarium itaque inter se has ipsas distinguere. Iecinore enim inflammato, tumor secundū lineamenta rotundus, figura, uidelicet iecinoris, succumbit, quiq; ad corporis decubitum simul cōformatur. Maior enim apparet corpore ad sinistrum latus reclinato, minor autem rursus ad dextrum deuoluto, nimirum iecinore sub spurias costas cedente, neq; uisui, neq; tactui similiter succumbente.

Amplius

Amplius autem in iecinoris inflammatione incumbens cuticula, naturali modo habere conspicitur. Musculis autem inflammatis, cutis circuntenditur, ut si quis digitis apprehensum attrahere uelit, ea minimè sequatur. Tumor præterea iuxta situm musculorum iecinori incumbentiũ oblongus apparet, & uisui & tactui manifestus. Cæterùm ubi iecur iam inflãmationẽ cõtrahere cœpit, cõfestim sanguinis detractionem, si ætas & uirtus permiserint, experiri oportet. Ergo Gal. lib. 13. The. meth. cap. 9. autore, pariter tum reuellẽdus tum uacuãdus qui ad iecur fluit, sanguis erit, interna in dextro cubito secta uena, propterea quòd & è directo sit & ampla uia cum uena quæ caua dicitur, societatẽ habeat. Hac nõ comparente, media secanda est, quòd si nec ea se ostenderit, reliqua quæ superior ac tertia est incidenda. Copiosus autẽ & quantum satis est, si uires ferre queant, educendus. Missione sanguinis facta, post exiguum interuallum simplici ac leui clysteri aluus eluenda: præsertim ubi sponte non egerat. Sequenti à uenæ sectione die cucurbitæ cũ scarificatione affigendæ, rursumq; post unam diem apponendæ nõ pauci enim à secunda earum adhibitione opem senserunt magis quàm à priore. Fomentis quoq; utendum ex lanis oleo imbutis, cataplasmatis, ceratis, & epithematis. In quibus omnibus admouendis unicè hoc obseruandum erit, ut cæteris medicamẽtis emollientibus & discutientibus, semper adstringentia cõmisceantur. Fomentum itaq; fiat ex oleo cotoneorũ, aut mastichino, aut rosaceo, aut myrtino, adiecto uino odorifero. Vel admoueatur spongia madefacta in decocto absinthij, meliloti, rosarum purpurearum, chamæmeli, anethi, plãtaginis, intubi satiui, & id genus aliorum. Cataplasmata uerò, & emplastra è seminibus lini & fœnogræci farina hordeacea, malis cotoneis, meliloti flore, absinthio, & similibus in hunc

Musculorum.

Curatio.

Venæ sectio.

Clyster.

Fomenta.

Cataplasmata.

Emplastrũ uel similem modum sunt paranda. Emplastrum quod habet: Farinæ hordeaceæ ℥ ß. carnis cotoneorum cõtusæ ʒ 3. absinthij, florum meliloti, iunci odorati, singul. ʒ 2. seminis lini ʒ 1. oleorũ rosacei, cotoneorũ, chamæmelini, absinthitis, singul. ℥ ß. aceti ℥ 1. cõmixtis omnibus fiat emplastrũ. Ceratũ quod accipit: Carnis palmularum ʒ 3. myrrhæ in uino ueteri adstringente maceratæ, styracis, mastiches, singul. ʒ 2. florum meliloti, comæ absinthij, chamæmeli, singul. ʒ 1. ß. croci ʒ ß. oleorum cotoneorum, mastichini, rosacei, singul. ℥ 1. cũ cera & resina quod satis est, fingatur ceratũ iecinori imponẽdũ. In eundem usum epithemata quoq; ex decocto rosarum, plãtaginis, absinthij, chamæmeli, aut earundẽ liquoribus stillatitijs componi possunt. In quibus sanè omnibus construendis unicè studendũ, ut adstringentia ubi uehemens adhuc est inflammatio, relaxantibus ac emollientibus præualeãt. Contrà uerò ubi caloris uehementia remissior fuerit, emollientia adstringentibus. Cauendum præterea, ne prædicto actu frigida admoueantur, sed prius modicè calefacta. Porrò in iecinoris inflammatione, ubi magni & uehementes circunstant dolores, etiam medicamenta dolorem leuantia in potu sunt exhibenda: ita tamen, ut aßiduus eorum usus deuitetur. Simplicibus autem potionibus frequentius utendum. Senecionis itaq; decoctum tanquã maximè comodum, aut succus glycyrrhizæ cum aqua calida exhibendus. His nõ minus confert intuborũ succus, adiecto modico melle. Adhoc enim quod refrigerat, ac firmitatẽ uisceri addit, etiã ora uenarum iecoris expurgat. Cæterùm aluus etiã irritanda est urticæ uel mercurialis coctæ esu. In declinatione etiam morbi, aluus per clysteres inaniri postulat. In quẽ usum polypodiũ et epithymũ ex mulsa porrigũtur: idq; potißimũ, si in cauo uisceris fuerit inflãmatio. Caua enim iecinoris, ut antea quoq; dictum est, per aluum:

Emplastrũ. — Ceratum. — Epithemata. — Nihil actu frigidũ iecore inflãmatione laborãte adhibendum.

aluum: gibba uerò per urinas expurganda sunt. Porrò in ie- Victus.
cinoris inflammatione exquisitißimo uictu, Galeno lib. 13.
The. meth. teste, opus est. Poscit autē iecur ipsum cibos po-
tißimum qui obstructa recludere possunt. Eiusmodi uerò o-
mnes sunt tenui cōsistentia, & quæ citra rosionē detergunt,
qualis est ptisana, mulsa, & similes. Alimentū igitur optimū
est sic laborantibus cremor ptisanæ, in quo apiū decoctū sit.
Ius etiā pulli gallinacei, in quo petroselinū decoctū sit, dari
potest. Bibēda uerò mulsa, aut hordei decoctū, uel intuborū
satiuorū. Quòd si inflāmatio principiū ꝑmutationis ad sup- Si inflammatio ad suppurationem tēdat.
purationē iam obtinet, tum omnia prædicta augebūtur, do-
lores nimirū, febres, deliriū, anxietas, cibiq; fastidium. Adiu-
uare igitur permutationē ac puris eruptionē oportet, ut sci Cataplasma.
licet quàm celerrimè fiat, ne maiora inde corpora corrumpā
tur, idq; per usum cataplasmatis, quod accipit: Radicis al-
theæ ℥ 1. ß. seminis fœnogræci, lini, utriusq; ʒ 2. foliorum al-
theæ, maluæ, utriusq; m̄. 2. caricarū nume. 6. Ebulliāt in aqua
donec mollescant, deinde contundantur, & fingatur cata-
plasma. Neq; temerè fecerit, qui emplastrū quod puris per- Emplastrū
mutationem iuuare potest adhibuerit, quale est quod habet:
Farinæ hordeaceæ, & fœnogræci, utriusq; ʒ 3. radicis altheæ
℥ ß. radicis liliorum alborum ʒ 1. ß. seminis lini ʒ 1. florū cha-
mæmeli, meliloti, utriusq; m̄. ß. bulliant omnia in aqua, donec
ad craßitudinem iustam coēant, deinde admisceātur olei cha
mæmelini ℥ 1. olei liliacei ℥ 1. ß. bulliant denuo, & formetur
emplastrum. Ex iam dictis etiam fingi potest ceratum, adie-
ctis nimirum butyro, ladano, resina, & cera. Quum autem
perfecta iam suppuratio fuerit, dolores remittent, omnesq;
accessiones mitiores apparebunt. Iuxta hoc Hippocraticum. 2. Aph. 47.
"Dum pus conficitur, dolores ac febres accidūt magis, quàm
iam confecto. Rupturæ autem tempore dolor, rursum ma- Ruptura.
gis

gis augescet: quare etiam tunc rupturã adiuuare oportet, per stercoris caprini, & columbini, seminis urticæ, sinapi, aliorumq; ad superficiẽ attrahentiũ usum: & per potiones calorificas, ut est polij, fumariæ, radicis chamædrios, & similiũ decoctum. Facta ruptione, aqua mellis, aut ciceris decoctũ, aliaq; quibus abstergendi facultas inest, quæ infra in capite de renũ exulceratione cõmemorabuntur, propinãda. Et si puris transmißio per uenas fit, urinam mouentia admiscenda sunt: sin per aluũ, ea quæ leniter subducunt, serũ nimirum caprinũ, tamarindi, caßiaq; fistularis exhibẽda. Deinde facta abstersione, quæ conglutinare possunt, propinanda.

Abstergẽtia.

Diaretica.

Glutinantia.

De intemperie lienis. Cap. XXVI.

QVemandamodũ reliquæ corporis partes octo intemperierũ generibus affliguntur, ita & lien. Verũ frequentißimè frigidã & humidam sustinet intẽperiem. Singulariũ autẽ causas non est cur referamus: eædem enim sunt, quæ aliarũ partium corporis. Petẽdæ itaq; ex lib. Galeni de morborũ causis, cap. primo, secũdo & tertio. Signum autem certũ & compendiosum intẽperiei in liene, ea quæ eduntur ac bibũtur exhibeant, & quæ forinsecus cuticulæ iuxta sinistrum hypochondriũ accedunt. Si enim frigida intemperies iuxta ipsum fuerit oborta, omnis cibus & potus qui efficaciter refrigerare potest, facilè & manifestè lienem lædit. Omnia etiam frigida extrinsecus admota offendunt, atque adeò frigidam lienis arguunt intemperiem. Eam uerò ipsam omnia calida consolantur. Quòd si calida fuerit lienis intemperies, à nullis quæ in cibo aut potu exhibentur, aut etiã extrinsecus accedunt, dolorem perfert. Et si quidẽ caliditas augescat, nõ solũ nihil tumori apponitur, sed & contractionẽ amplius sustinet, præsertim si febris adsit

Causæ.

Signa intẽperiei nudæ qualitatis.

Frigidæ.

Calidæ.

Cæterũ,

Cæterũ & cibi & potus calefacientes, & quæ extrinsecus corpori calorem addunt, calidas etiã intemperies augent & exacerbãt. Solatio autem sunt eis omnia refrigerantia. Similiter etiã siccæ intemperiei in liene signa colligere oportet, maximè quũ pro magnitudine propriæ naturæ non eminet. Ea itẽ quæ extrinsecus corpori adueniunt, atq; intra ipsum deuorãtur, si exiccandi facultate prædita sunt, lienem exiccant. Porrò ubi humida intemperie lien laborauerit, atq; ea amplius inualuerit intantũ eius excrementũ facit, ut etiam uentrem ac iecur pertingat. Species quoq; doloris unà cum prædictis signis infestantem intemperiẽ demõstrabit. In calida enim & frigida intemperie minus dolent, aut nihil omnino, neq; quicquam etiam in humida, nimirũ uerò in sicca. Ex prædictis etiam cõiecturam facere licet compositarũ in liene intemperierũ. Ferè enim in totũ ubi calida intẽperies fuerit intensa, sicca eam consequitur, & ad frigidã inueteratam humida cõcomitatur. Quandoquidẽ uerò & humores in lienem confluentes tumores producunt, eorum quoq; diligentẽ considerationẽ facere oportet, qualesnam sint tandem, ex ijs quæ iam dicẽtur. Bilioso enim fluore existẽte, uniuersum corpus calidius apparebit, etiam si non adsit febris, oculiq; & urinæ per bilem coloratæ. Siccitatẽ semper accusabit æger, & de siti conqueretur ac bili os infestante. Cibũ fastidit, & uigilijs infestatur, frigidamq; desiderat, unà cum hoc quòd linguã subflauã obtinet. Exacerbationes tertianæ fient, suntq; ipsi ægri moribus iracundi, & qui præcipitãter excandescunt. Si uerò atræ bilis sit fluor, eius color tum in lingua, tum in reliquo toto corpore apparebit: & appetẽtia aderit ciborum non naturalis, mœstiq; ac subtristes ægri sunt, reliquaq; atræ bilis indicia eis adsunt. Exacerbationes uerò quarto quoque die affligent. Vbi uerò pituitosus humor in

Siccæ.

Humidæ.

Dolor.

Signa intẽperiei cum fluore substantiæ

Biliosæ.

Pituitosæ.

mor in lienem defertur, cõsimilis pituitæ aderit color, ægriq́; minimè sitient, & cibum appetent, nisi salsa fuerit pituita: tunc enim cibum fastidiunt ægri, potusq́; magis sunt appetentes & sitibundi. Quin & diebus singulis exacerbationes ingruent. Vrinæ quoq; candidæ sunt, ipsiq́; ægri moribus pigri & segnes. Quidã uerò ex eis qui frigidã affectionẽ habent, magnum & durum lienem acquirunt. Quòd si sanguineus existat in lienẽ cõfluens humor, poßibile est ipsum colorem tum iuxta linguam, tum circa cutem permutari. Quod autem ad appetentiam ciborum & fastidium attinet, medio quodam modo habent ægri reliquisq́; magis languẽt, quamquàm nõ parẽ uisceris tumorem habeãt. Venæ uerò uniuersi corporis sanguinæ plenæ apparent, & urinæ subflauæ. Hæc indicia prolixius ex Aëtio cõmemorauimus, quòd nimirum cõmunia, & omnibus ferè reliquarum partium intẽperiebus cum affluxu humorum adaptari queant. In uniuersum quidẽ lienis intẽperies nudæ qualitatis, ferè citra tumorẽ fiunt. Eas autem tum per cibos & potus, tum per simplicißima medicamenta, ac fomentorum irrigationes, olea & unguenta, & id genus alia quæ intemperiei cõtraria sunt, corrigere oportet. Calidam itaq; intemperiem lienis curabis perinde atque iecinoris, per cibos nimirum ac potus refrigerãtes, inunctiones ex rosaceo & meïno atq; alia quæ ca. 21. huius libri cõpræhensa sunt. Frigidam similiter, ut iecinoris, per ea quæ moderatè calefacere possunt emẽdabis. In humida lienis intemperie, præter ea quæ capite paulò antè citato cõmemorata sunt, proderit quinq; folij radix, & plantago sicca, spuma & flos salis, ammoniacum, succus salicis, & similia, si ex ijs affuso sufficienti aceto, unguentum aut ceratum conficiatur, qualia paulopòst describemus. Conuenientißimæ etiam huic sunt frictiones, quæ discutiendi facultatẽ obtinent. Siccam

Sanguineę.

Curatio intẽperiei lienis nudæ qualitatis.

Calidæ.

Frigidæ.

Humidæ.

cam lienis intemperiem balneum, dulcium & calidarũ aquarum curat: item inunctio ex oleo dulci. Cibi citra refrigerationẽ humectãtes, uelut est ptisanæ succus. Porrò si lien intemperie cum fluore substantiæ afficitur, tunc ubi sanguinea fuerit, ex uena cubiti interna sinistri brachij (lienarẽ uocãt) sanguis mittendus erit. Aut si ea inueniri haud potest, ex ea quæ inter annullarẽ et auricularẽ appellatos digitos sita est. Deinde intrinsecus & extrinsecus adhibenda, quæ lieni robur adijcere possunt medicamẽta: ut sunt cortex radicis capparis, scolopẽdrium, hæmionitis, adiantum, iris calamintha, & ijs similia, quæ iecoris quoq; robur & firmitatẽ conseruare ualent. De quibus in sequentibus capitibus fusius dicemus. Si reliqui humores ad lienem cõfluxerint, primũ redundans humor purganti medicamento uacuãdus erit: dein reliquo tempore quæ intemperiem relictam corrigere, & lienẽ etiam corroborare possunt, admouenda. Siccæ. Curatio intẽperiei cũ fluore substantiæ. Sanguineæ. Reliquorũ humorum.

De lienis inflammatione. Cap. XXVII.

Lien, ut reliqua uiscera, inflammatione corripitur, quoties sanguis calidus præter naturam ad eũ cõfluit. Cognoscitur grauitate & tumore sinistri hypochõdrij, qui ad tactũ nõ cedit: dolore & distẽtione loci, febre, & æstu. Irruẽtis uerò humoris copia, ex magnitudine & uelocitate generationis ipsius inflãmationis deprehẽditur. Victus ratio eorũ qui inflãmatione lienis laborãt simplex sit, atq; ea quæ facilè cõcoquuntur in cibo exhibeantur, uelut est ptisanæ succus, panis madefactus: & alia quæ suprà in aliorũ uiscerum inflãmationibus sæpè à nobis dicta sunt. Quòd si inflãmatio diutius duret, auicularũ etiã carnes eis cõcedẽdæ, & pisces saxosis aquis degẽtes. Potus ægri sit cinnamomi decoctũ, aut uinũ aquosum. Curatio ipsa à uenæ lienaris, aut eius quæ inter Causa. Indicia. Victus Curatio. Venæ sectio.

mino

minorem & annularē digitum est, incisione auspicetur, modò nihil sit quod eam fieri uetet. Venter per clysterē aßiduè eluatur, potißimum si uenæ secādæ medela relinquatur. Deinde imponantur lieni medicamēta adstringētia, quæ id quod influit reprimere, & lienis firmitatem conseruare possunt. Neq; tamen sola adstringentia sunt adhibenda, sed illis admisceantur quæ citra euidentem calorē extenuant, incidunt, & relaxant: ne scilicet crassius in eo succus obturatus uehementius incrassescat, quēadmodū Galenus lib. 13. The. meth. diligenter ac eruditè monuit. Quapropter si moderata fuerit inflammatio, uinum uetus ac austerum tenuiumq; partiū oleo dulci permixtum, & lana succida exceptū imponemus: Si uerò maior sit caliditas, rosaceum sit oleum, aut melinum, & chamæmelinū cū aceto. Miscebis autem illa inter se hūc ad modū. Olei rosacei, cotoneorū, singul. ℥ 2. olei chamæmelini ℥ 1. aceti optimi ℥ ß. cōmisceantur omnia pro fomento, ac irrigatione. Quòd si iam dicta olea non adsint, folia rubi, aut mala cotonea in oleo decoquantur, & quædam etiam tenuiū partium addantur, ut est absinthium & pulegium. Cauendū etiam ne aliquid actu frigidum lieni imponamus, sed quicquid est eorum medicamentorum quæ extrinsecus admouentur, tepido calore præditum sit. Post fomenta & irrigationes ad cataplasmata transeundum: in quorum compositionem hordeacea, & loliacea farina, cum caricis, lini semine, oleo in quo absinthium ac pulegium sint decocta, assumantur. Cæterùm cauendum, ne post irrigationes & cataplasmata locus denudetur: sed ubi hæc fuerint ablata, mox cerata aut emplastra eiusmodi, qualia in capite de iecoris inflammatione descripsimus, imponenda. Siquidem similia genere medicamenta ambo uiscera postulant: tantò autē ualentiora lienis sint, quantò craßiore utitur alimēto. Quare ex capite de

Clyster.

Quæ imponēda lieni.

Fomenta.

Nihil actu frigidū lieni inponendum.

Lienis medicamenta valentiora sint.

iecinoris malis, medicamentorum formulas huic loco cõuenientes petes, hoc tantum obseruato, ut ijs semper acetũ, & quippiã quod lieni gratũ sit, eiusq; robur peculiariter tueri poßit, admisceas. Quòd si in suppurationẽ ipsa lienis inflammatio tendat, quod tamẽ rarò cõtingit, adiuuare eam oportet, ne plura corpora putrefiant, per cataplasmata quæ pus producunt, de quibus in iecinoris inflãmatione diximus.

De lienis scirrho. Cap. XXVIII.

INflammatione lienis minus rectè curata, lien tumorẽ durum, quem Græci σκίῤῥον uocant, contrahit. Cuius mali causa est humor quidam, qui lieni pertinacius adhæret. Est uerò quando citra inflammationẽ oboritur durities, puta in tumore nimio. Tactu facilè malum, ex quacunq; fuerit occasione, deprehenditur. Victus ratio debet esse extenuãs, quare in cibo sumenda ea quæ concoctu facilia sint, & succum bonum ac tenuẽ generẽt. Fugienda omnia quæ duræ carnis sunt, & craßos generant succos, quæq; concoctioni renituntur. Bibendum uinum substantia tenue, colore fuluum, ætate non admodum uetus, omniq; adstrictione uacans. Plurimum etiã fiduciæ in exercitationibus ponendum, quibus ante cibum uti conuenit, corpore superuacuis non abundante. Manifestum autẽ est, quod uociferationes quoq; opportunæ & in tempore factæ, in hoc malo summè opitulentur. Quod ad medicamentorum rationẽ attinet, certè ualentioribus admodum non solum extrinsecus, uerumetiam intrinsecus utendũ erit. Intra corpus itaq; ualidißimæ potiones, nam eas sine molestia tolerant, exhibendæ. E quarũ numero primas sibi partes uendicant cortices radicum capparis, hemionitis, tamaricis radix & germina, in aceto uel oxymelite cocta. Itẽ centaurij minoris succus epotus, & lupinorum amarorum de-

Causa. Signa. Victus. Curatio.

coctum: cum ruta & pipere assumptum. Anagallidis fœminæ scrupulus cum posca, aut oxymelite potus mirificè cõfert. Conuenientißimum etiã lieni indurato remedium existit ferrum aqua, aut uino, aut posca sæpius subinde extinctum. Ea ipsa enim aqua, aut uinum, aut posca in principio exhibita, iucunda & utilißima existit, & per plures ex ordine dies datur. Itaq; febrientibus aquam, aut poscam præbeto: eis uerò qui tenerã carnem habent, ac febre carent, uinum. Sit autem ferrũ quod in ipsis extinguitur, stomoma. Est autem stomoma, ferrũ quod in usum aliquem formatũ est, hoc est, instrumenti alicuius formã redactum, ac chalybe roboratum à uerbo στομόω, quod roboro ac quasi os, & aciem gladij firmo significat. Ipsius quoq; stomomatis ferri squama agrestioribus hominibus utiliter exhibetur. Præclarè hæc lienem liquefacit, ut quæ consumendi facultatem habeat. Tamen ne inde uentriculus malè afficiatur, aliquid ei admiscere conuenit roborantium medicamentorum, ut est scolopendriũ, absinthij coma, casia, anisum, serpillum montanũ, aut id genus aliud. Extrinsecus fomentum hoc admoueatur, quod habet: Centaurij minoris, hæmionitidis, rutæ, singul. m. 1. radicis corticis capparis ℥ 1. decoquãtur omnia in aceto, et simulatq; cocta fuerint spongia in decocto irrigata lieni calida imponatur. Præterea mirum affectum ostendit hoc etiam unguẽtum, quod habet oleorum è capparibus, liliacei, irini, singul. ℥. 1. medullæ oßium cruris bubulini ʒ 2. lenti cremoris radicis althææ, fœnogræci, seminis lini, singul. ʒ 1. pinguedinis taxi, gallinaceæ, anserinæ singul. ʒ 2. corticũ radicis capparis, tamaricis, costi, centaurij minoris, singul. ʒ 1. ammoniaci, bdellij, galbani, singul. ʒ ß. gummi prius in aceto dissoluti cum cera quod satis est, formetur unguentum. Plurimum quoq; conferre solent emplastra & cerata, ad eum composita modum.

Ferrum in aqua extinctum.

Stomoma ferrum.

Fomẽtum.

Vnguẽtũ.

dum. Accipe oleorum liliacei, irini, de capparibus, singul. ℥. i. farinæ hordeaceæ, fœnogræci, seminis lini, singul. ʒ i. corticũ radicũ capparis, hæmionitidis, utriusq; ʒ i. ß. radicis altheæ ʒ i. bdellij, ammoniaci, galbani, singu. ʒ i. ß. opopanacis, myrrhæ, thuris utriusque ʒ ß. cum resina terebinthina & cera quod satis est, informetur ceratum. Porrò oportet medicum diligenter ad affectũ respicere, & pro eius ratione tum addere, tum adimere ea quæ emolliunt, aut attenuant, & discutiunt, aut quæ robur addunt. Prosunt deniq; non parum cucurbitulæ cum scarificatione affixæ.

De lienis obstructione. Cap. XXIX.

Accidit interdum ut non solũ propter attractricis quæ est in liene facultatis imbecillitatẽ, uerumetiã meatus per quẽ atræ bilis feculentus humor ex iecinore in lienẽ deriuatur obstructionẽ, impurus ac uitiosus sanguis subinde in uniuersum distribuatur corpus. Quod si cõtigerit, tũc color corporis uitiatus ad nigredinem uergit: nonnunquam etiam immedicabilia ulcera hoc modo affecti obtinẽt. Causæ ex ijs Causæ.
quæ in cap. De iecinoris obstructione diximus, facilè sciri possunt. Malũ uerò cognoscitur ex grauitate quæ est circa sinistrũ hypochõdriũ, uitiato præterea totius corporis, præsertim uerò faciei, colore: spiritus difficultate, turbulẽtis somnijs, & alijs quæ ex ijs quæ suprà dicta sunt sua spõte innotescunt. Curatur is affectus uictus ratione extenuatoria, & medicamẽtis obstructionẽ tollẽtibus, quorũ magnã copiã studiosi in ca. De iecoris obstructione inueniẽt. Vtraq; enim uiscera similibus genere medicamẽtis indigẽt. Lien tamẽ tantò fortioribus eget, quanto craßiore utitur alimento. Quapropter quatenus ad humorũ crassorũ ut uacuatiõi promptius obediãt præparationẽ attinet, ijsdẽ certè medicamẽtis

Signa. Curatio. Præparatio humorum.

opus erit: hoc duntaxat obseruato, ut hic sint omnia ualidiora, & sibi cõmixta habeãt quæ robur uisceri addere possunt. Præparati humores dein uacuandi sunt per ea medicamenta quæ crassos & feculentos humores purgãt, quorũ iam crebrò facta est mẽtio. Posthæc & intrinsecus & extrinsecus ea sunt admouẽda medicamẽta, quæ capite præcedẽte, et in capite de iecoris obstructione cõprehensa sunt. Quapropter hæc loca abunde satis medicamentorũ nobis suppeditabunt.

De ictero. Cap. XXX.

Icterus. ΙΚτερ@ nihil aliud est Græcis, nisi bilis, modo flauæ, modo atræ, per uniuersum corpus effusio. Celsus aurigimem appellat hoc malũ, alij arquatũ & regium. Harum uerò appellationũ omnium causas diximus cap. 36. Cõpendij nostri. Causæ. Fit interdũ iecinore nihil patiẽte bilis effusio ad cutẽ, in iudicationibus morborũ. Crisis. Nonnunquam ubi citra febrẽ sanguis ab extranea aliqua occasione corrũpitur, ac biliosus efficitur, sicut à uenenatarũ bestiarũ morsibus cõtingere cõsueuit. Morsus uirulentorũ. Ita quidã quum morsus à uipera esset, uniuersum corpus porraceo colore maculatũ habuit. Quinetiã fieri potest ut propter inflãmationẽ aut naturalis tẽperiei iecinoris permutationẽ, ciusmodi humorũ corruptio accidat, Inflãmatio aut intẽperies iecinoris. ut aliquãdo herbis pallore albicãtibus totum corpus manifestè aßimiletur, aliquando etiã plumbi colorẽ induat. Quemadmodum etiam eiusmodi colores nigriores fiũt, si ob lienẽ malè affectum accidant. Fit etiã nonnunquam propter imbecillitatẽ uesicæ bilis susceptricis, Imbecillitas foliculi fellis. quæ biliosum humorem, ueluti consueuit, in sese ex iecinore non atrahit, atq; adeò impurum sanguinem relinquit. Aliquando etiam propter obstructionem & debilitatem uasorum, Obstructió & debilitas uasorum eiusdem. quorum ora ex ipsa ad iecur deriuantur, humorem biliosum non attrahit. Nonnunquàm etiam propter

pter meatus qui ad intestina uadit obstructionem. Cæterùm ut icteri causas probè discernamus, excrementorum figura & color necessariò consideranda erunt, quum in aliquibus multum colorata per flauam bilem appareant, perinde atq; in alijs etiam urina. In quibus igitur ratione iudicationis bonæ in febribus biliosus humor ad cutẽ prorũpit, ijs & excrementa & urinæ naturali modo se habere uidebuntur. Si autẽ cum febri & biliosis deiectionibus inuadat, & in dextro hypochondrio grauitas adsit, feruens iecoris inflãmatio significatur, cuius ui sanguis in bilẽ mutatus, per uniuersum corpus defertur. Sin feruor citra grauitatem in ipso substet, ex sola calida iecoris intẽperie uitiũ oritur. Quibus uerò citra febrem unà cum grauitatis alicuius sensu circa dextrũ hypochondrium alba excrementa deijciũtur, in ijs uesicæ bilis susceptricis meatuum obstructionẽ esse factam putandum est. Si uerò citra grauitatẽ talia deijciantur, uires horum esse infirmas existimandum est: uel attractricis, quæ humorem biliosum ex iecinore elicit: aut expultricis, quæ ad intestina eũdem propellit. Statim etiam ijs urinæ biliosissimæ affatim excernuntur. Porrò quibus atræ bilis humor unà cum sanguine ad cutẽ delatus est, hi omnino grauius patiuntur. Consequitur enim ipsos tristitia præter rationẽ, & mordacitas eorum quæ circa uentrem sunt, difficultasq; spirandi, & cibos auersantur, & nigras urinas excernunt. Stercora uerò chalcanti colorem referunt, & aluus ijs magis resiccatur. Cæterùm eos qui ex flaua bile icterũ contrahũt, nulla mordacitas eorum quæ circa uentrem sunt consequitur: neq; etiã tantopere auersantur cibos. Stercora candida egeruntur, urinæ autem crocei coloris, turbatæ tamen permanẽt. Communiter tamẽ omnibus ictericis pigricies ad motum accedit, & ad dulces cibos animum habent alienatum. Pruritus etiam

Signa icteri.

A crisi.

Ab inflammatione iecoris.

Ab intẽperie eiusdẽ.

Ab obstructione.

Ab imbecillitate.

Icterus ater.

Signa communia ictericorum.

uniuersi corporis comitatur. Candida oculorum, & partes faciei temporibus propinquæ, itẽq; malæ pallorẽ ostendunt. Venæ etiam sub lingua repletæ reperiuntur, & abundantem humorẽ significant. Ictero itaq; ratione bonæ iudicationis, febribus perfectè solutis correpti, facillimè curantur, si lauacris aquarum dulcium utantur, ac olei discussorij perfrictione, ac omnibus quæ cutẽ rarefaciũt, qualia sunt oleũ chamæmelinum, anethinum, irinum, & similia. Rosmarinus etiam herba oleo incocta plurimum discutit. Victus ratio uniuersa in ijs ut sit humida, & humorum craßitiẽ extenuãs oportet.

Curatio icteri iudicationis ratione accidentis.

Qui ex uirulẽtorum animaliũ morsibus ictero corripiũtur, curãdi ferè sunt sicut ij qui à rabido cane morsi sunt, de quibus suo loco abundè satis diximus. His qui ob calidam iecinoris intemperiem, aut inflammationem eiusdem arquati fiunt, curationem quæ suprà De iecoris malis dicta est, adhibere oportet. Quapropter quæ illic commemorauimus, huc transferenda erunt. At si propter obstructionem uesicæ fellis susceptricis fiat icterus, tũc duo maxima remedia principatum obtinent, uenæ sectio, & purgatio. In quibus igitur multitudo sanguinis unà cum bile in uniuerso corpore abundat, & quos circa iecur aut lienem grauitas aut distentio infestat, nihil uenæ sectione utilius fieri potest, modo non sit quòd hãc fieri impediat. Secanda uerò uena est in dextro cubito interna, idq; iecore malè habente: liene autem laborante, in sinistro, sanguisq; particulatim & per uices detrahẽdus, ne per coaceruatam euacuationẽ uires ægri prosternantur. Quòd si à uenæ sectione excludimur, cõmodißimè clyster adhibetur. Cõmodè autem & à uenæ sectione clyster inijcitur, utpote qui propter stercorũ euacuationẽ spirandi facilitatẽ efficit, intestinaq; irritando, ac mordendo humores ad cutis superficiẽ delatos, ad ipsa retrahit ac reuellit. Si uerò ad eum

Ex morsu uirulentorum.

Ob intẽperiẽ & inflãmationẽ iecinoris.

Ab obstructione.

Venæ sectio.

compo

compositus modum. Accipe intubi utriusq;, marrubij, eupatorij, adianti, origani, absinthij, singul. m̄. 1. seminum anisi, fœniculi, petroselini, asparagi, singul. ʒ 2. ß. radicũ glycyrrhizæ, apij, fœniculi, sing. ℥ 1. bulliãt in aqua sufficienti ad tertias, & colo trãsfundãtur, accipiãturq; iuris decocti ℥ 13. casiæ fistularis ℥ 1. hieræ picræ ℥ ß. antidoti de succo rosarũ ʒ 2. oleorũ anethini, irini, utriusq; ℥ 1. ß. salis ʒ 1. cõmistis omnibus fiat clyster. Verùm purgationes huic malo magis propriæ & familiares sunt, sic tamen ut edulijs & potionibus, itemq; medicamentis humores prius attenuentur. Cibis igitur utendum concoctu facilibus & extenuantibus, uolueribus montanis, piscibus saxatilibus, oleribusq; urinã cientibus, præsertim intubis, asparago, smyrnio, fœniculo, & similibus. Carnes ferinæ mansuetis magis sunt aptæ, potißimum caprearum. Pro intinctu seu embammate ualet acetum, in quo aristolochia macerata sit. A fructibus abstinendum. Bellaria tamen sint amygdalæ, sed modicè sumantur, & cicer modicè torrefactum. Eius etiam decoctum aßiduè potatum, non parum confert. Vinum conuenit album & tenue, non ualde uetustum. Quod ad medicamenta ipsa attinet, sumenda ea quæ in capite de obstructione iecinoris, & lib. 1. cap. 11. dicta sunt. Præ alijs autem maximè confert apij, petroselini, adianti, calaminthæ, uerbenacæ rectæ, rubiæ radicis, aristolochiæ, serpylli, hypericiq; decoctum. Extenuatis & præparatis tandem humoribus medicamentum quod flauam bilem purgat exhibendum. Sunt autem ictero laborantibus purgationes dandæ fortiores: ob uentriculi enim siccitatem imbecilliores minusq; efficaces in ipsis cognoscuntur. Quæ uerò præ alijs conferunt, est dilutum rhabarbari lib. 1. cap. 7. descriptũ, ac hiera picra, antidotus de succo rosaceo, de psilio, & diaphœnicôn. Quòd si primo medicamento purgante nihil

Clyster.

Victus.

Purgatio.

Validæ purgationes ictericis dandæ.

hil proficias, rursus ad ea quibus tollendi obstructiones facultas inest reuertendum, & post triduum rursus uiolentius purgandum. Si liene laborãte malũ oriatur, ad caput de melancholia, & lienis obstructione recurrendum. Purgatione facta per aluum, deinceps ea quæ uiscera expurgant exhibẽda sunt medicamenta. In quẽ usum unicè confert radix cyclamini trita et pota. Hæc enim nõ solũ uiscera repurgat, uerũ etiam ad bilem in uniuersa cute excludendam per sudorem aptißima est. Quare post eius potionem sudorum exclusionem, per uelamenta ac concalefactionẽ in lecto iuuare oportet. Dantur autem ex ea drachmæ duæ aut tres, ex aqua mulsa. Præclarè quoq; facit corticis raphani succus, uino meraco dulci permixtus, aut uino mulso, sic ut succi ℥ 2. uini ℥ 1. contemperentur. Vermes etiam terreni exiccati ex uino mulso per triduum dati, icterum per lotium eijcient. Datur item ualde commodè cichorij & intubi succus, febriẽtibus quidem per se, febre carẽtibus cum uino. Cassuthæ quoq; succus mirificè prodest. Commodißimum etiã est chamæmelum, quæ & leucanthemus appellatur, itemq; buphthalmum. Cæterùm medicamenta quæ in potu accipiuntur omnia si fieri potest in balneo exhibeãtur, ubi nimirum ægri in calidum soliũ conscenderint. Plurimũ quoq; uictus rationi uiriũ refocillatrici hoc tẽpore intentum esse oportet, per quã facultas excretrix reparetur, etsi qua pars læsa sit corroboretur, atq; præsens coloris corruptio repurgetur. Quapropter conueniunt exercitia, gestationes, inunctiones ac exudationes. In hunc usum pyriateria, seu uaporatoria sicca conferunt, in quibus oleum in quo serpyllũ aut rosmarinus herba decocta sit, corpori illinendum. Quòd si uerò quippiã ex ictero circa faciem & oculos relinquitur, urinæ autem apparent puræ, aluusq; consueto more egerit, narium infusis utendum. In quem

Quæ uiscera expurgent.

Succus corticis raphani.

Vitiatus color faciei et oculorũ ut amouẽdus.

quem usum cyclamini succus, item nigella cum aceto, anagallidis & betæ radicis succus infunditur. Acetum etiã acerrimum naribus attrahat æger in solio desidens, contineatq; pressis naribus paulisper, & mirificè uacuabitur.

De malo corporis habitu. Cap. XXXI.

Καχεξία Græcis nihil aliud est nisi malus corporis habitus. Eiusmodi uerò est qui in aquositatẽ diffunditur, & in quo uniuersa corporis miscella laxior fit ac mollescit. Hoc malũ ut plurimũ ex longo morbo cõgregatur: iam uerò & ex uiscere quopiã in scirrhum indurato consequitur, potissimũ iecore & liene. Neque raró in dysenteria diuturna, & affectionibus cœliacis contingit, ob consuetam item aliquã cohibitã excretionem. Corpus ipsum totum cum uirore albicans redditur, ac inualidum, ita ut crura inter eundũ uacillent, & in principio quidem concoctiones impediuntur, manente etiamdum appetitu: postea uerò & fastidium accedit, & respiratio ipsis fit rara ac debilis, quæ motibus & actionibus cõdensatur. Aluus etiã inæqualia recremẽta excernit. Capiuntur hoc malo maximè senes, & pueri, qui facilè pereũt propter uitalis facultatis imbecillitatem, & quòd ob cutis raritatẽ succi in eis promptè transpirẽt. At uerò qui in uigore sunt raró incidunt, & facilè se inde extricãt. Malum hoc si diutius durat, in aquã inter cutẽ trãsit, ideoq; eius curatio nõ differenda. Victus in uniuersum sit tenuis, & siccus. Cibi itaq; sint simplices, & qui facilè concoqui possint, ac optimum procreare sanguinem. Vitent bellaria omnia, item nidorosa, humoris crassi & uiscosa, & quæ difficulter concoquantur. Vinum cõuenit eis album, tenue, odorum. Quod uerò ad curationem attinet, siquidem ex consuetæ excretionis cohibitione malum accidat, irritare ac prouocare eam ipsam

[Margin notes: καχεξία — Causæ. — Signa. — Qui hoc malo præsertim capiantur. — Victus ratio. — Curatio cachexiæ ob cõsuetã excretionem cohibitam.]

ipsam excretionem oportet. Quapropter sanguinis detra-ctione, si nihil sit quod eam impediat, quæ paulatim & partitis uicibus fit ad tertiũ usq; aut quartum diem utendum in ijs, qui ob hæmorrhoïdum aut mensium retentionẽ malum inciderũt. In ijs autẽ qui copia uitiosorum humorũ laborãt, sanguinis mißio noxia est, quare cõuenierti potius aliquo medicamento purgante uacuandi sunt. Corpore uacuato aquarum sponte natarum usus sit, maximè aluminosarum & nitrosarum, mox sulphurearum. Variè quoq; exercitentur deambulationibus, gestationibus, uociferationibus, frictionibus, per linteola, & alia moderata exercitia. Deinde inũctione ex oleo utatur, cui quædã quæ humores resiccant, ut sunt nitrum & sales, sint infarcta. Ad laßitudinis autẽ curationẽ balneum per interualla quædã adhibeatur. Mirificè quoque ipsos iuuat absinthij potio, & adhibiti dropaces. Quòd si iecur malè afficiatur, aut aliquod aliud ex uisceribus, mederi his ipsis per remedia ad singula ipsorum suprà præscripta cõuenit. Si malum in hydropem deciderit, aquæ inter cutem curationi subijcietur, quemadmodum exponemus.

Ob uitiosorũ humorum copiã.

Ob malè affectũ viscus.

De aqua inter cutem. Cap. XXXII.

Aquæ inter cutẽ species.

ἀσκίτης.

HYdropis, seu aquæ inter cutem tres sunt species: una enim Græcis ἀσκίτης, alia τυμπανίτης, & tertia ἀνάσαρκα, ὑποσαρκα, σαρκίτης, & λευκοφλεγματία dicitur. Ascites fit, quum inter membranam peritonæũ appellatũ & intestina plurimus aquosus humor coaceruatur. Sic autẽ Græcis dicta est, quod ἀσκοῦ, hoc est utri modo membrana ipsa repleta esse aqua uideatur. Tympanites accidit, ubi flatus ac spiritus superuacuus plurimus in prædictis uentris locis colligitur. Anasarca contingit, quando per uniuersam corporis molem humor dissemïnatur, ut instar

τυμπανίτης.

ἀνάσαρκα.

spon

spongiarum aut papyri uniuersa caro perhumida & madefacta prorsus appareat. Fit hydrops ob insignẽ iecoris frigiditatem, aut propter alias partes impense refrigeratas, quæ iecur in eundẽ deducere affectum possunt. Coafficitur uerò iecur lieni refrigerato, uentriculoq́; & intestinis, maximè ijs quæ sunt iuxta intestinum ieiunum, pulmoni deniq; & renibus, ac septo transuerso. Cõtingit etiã ex immodica hæmorrhoïdum euacuatione, aut è fluxu muliebri, aut ob menstruorũ retẽtionẽ, aut propter aliũ quẽdã magnũ uteri affectũ. In ijs enim omnibus nullum præter naturã tumorẽ iecur habet, & tamẽ aqua inter cutẽ corpus corripitur, ex sola refrigeratione iecore in principio affecto, post uerò aliquando & durum fit. Quod palàm in illis uidere est, qui ex intempestiua frigidæ aquæ potione iecur aceruatim refrigeratum obtinent, ut statim hydrops consequatur, priusquam ipsum in scirrhosum tumorem eleuetur. Multi autem & à podagra, & coxendicum dolore uexati, aquam inter cutem inciderũt. Frequentißimè autem eos qui cibum non sentiunt, & malo corporis habitu præditi sunt, itemq́; ictero infestatos, hydrops consequitur. Cœliacam item affectionem, & dysenteriam. Communiter omnis hydrops spirandi difficultatem, & tumorem, & grauitatem, & uitiatum colorem inducit, ex uirore nimirum albicantibus ægris. Fastidiunt etiam cibum, potum autem largiorem appetunt, maximè qui ex ascite laborant. Etenim humor qui in locis prædictis detinetur, salsus est & putrefactus: quare febris etiam sequi, ut plurimum, solet. Aqua inter cutem minus fœminæ quàm uiri tentantur. Pueri uerò magna ex parte hydrope anasarca corripiuntur. Inter uerò suprà commemoratas tres species, tympanites omnino periculosior, minus ea ascites, dein anasarca. Victus autem omnium hydropicorum communis est,

ut ci

Causæ.

Signa communia.

Hydrope qui magis tenentur.

Victus ratio cõmunis.

ut cibus sit cōcoctu facilis, & sufficienter coactus, atq; aridus. Exolutus enim & humidus aptus est ut in aquositatem cōmutetur. Panis itaq; optimus clibanites, qui salem, ammi, fœniculū, anisum, aut cuminum habeat admixtum. Debet is etiam probè fermentatus esse, sic enim minus adstringit, aut obstruit. Ex auibus conueniunt sicciores, uelut perdices, turtures, turdi, merulæ, & similes. Ex terrestribus, caprea, lepus. E' mansuetis & cicuribus, pulli gallinacei aßi, extremæ suum partes. Ex aquaticis, cancri fluuiales. Oua etiā assata prosunt. Olerū rarus sit usus. Quæ uerò eis exhibētur, acriora sint, & extenuandi calefaciendiq; ui prædita: uelut est apium, petroselinum, daucus, eruca, pulegium, braßica, allia cocta, cepæ, porri capitati. A' leguminibus uerò abstinendū in totum. Pro liquamine utantur aceto cum pipere, cinnamomo, & similibus. Sales sint ex fœniculo, hyssopo, rosmarino, apioq; compositi. In potu tantum præbendū, quantum ad frāgendam aliquo modo sitim sufficit: suprà modū enim incommodat hydropicis plurimus potus. Bibendū autem uinum tenue, & quod urinam ciet. Dulcia uerò uina, & mulsum, uitanda. Acetum uerò mirificè illorū sitim restinguit. Porrò maximam quoq; ciborū partem in cœna accipiant. Plurimos fructus, & secundas mensas uitent. Concedendæ tamen nuces, amygdalæ, mala punica, pira cocta, & caricæ. Omnia tamen sumant moderatè, nec quotidie. Lectus non ualde mollis sit, præsertim eorum qui anasarca laborant. Substernantur autem herbæ resiccantes, uelut est pulegiū, calamintha, origanum, & similia. Mirum est enim quantū huiusmodi resiccent per somnum, ut constet iam quosdam frumenti aceruis obuolutos & absconditos à somno surrexisse firmos. Exercitationes etiam, si æstas & dies serenus fuerit, in sole fiāt, capite tamen uelato. Sin frigus sit, in domibus

Panis. Sales. Potus. Exercitia.

mibus per subiectum ignem concalefactis, aut iuxta ignem. Expedit uerò in primis equitatio, & huc atq; illuc in sella circũferri. Cæterùm pedibus si per uires laborantis fieri potest, deambulare multum, & quandoq; currere, quàm gestari, satius est. Obuoluendi etiam ægri in pellibus sole ustis, aut in arenam calidam defodiendi. Post exercitia sudores per lintea asperiora extergantur. Optimè quoq; conducit, si quotidie ter quater'ue frictione utantur. Hæc enim meatus conuenientes aperit, humores quoque desiccat, extenuat, atque discijcit. Valde itaq; celeriter & sudores elicit plurimos, & carnem cogit. Perfricandi uerò sunt manibus aridis, aut ex sale in aqua aut oleo calefaciente trito. Posthæc cum aqua aluminosa, aut sulphurea, aut salsa lauandi. Nonnullis enim qui anasarca correpti fuerunt, & huiusmodi balneis assueuerũt, ea ipsa ad deterrendum morbum, tum ad habitum ualentiorem reddendum suffecerunt. Atque hactenus uictus rationem speciebus aquæ inter cutem communem commemorasse satis sit. Quantum uerò ad curandi rationem attinet, omnium hydropicorum commune remedium statim initio est humoris redundantis euacuatio. Hæc uerò nunc per uenæ sectionem, nunc per purgantia, & per ea quæ urinam mouent medicamenta perficitur. Quæ autem speciatim huic uel alteri conuenit speciei, in sequentibus docebimus capitibus in quibus particulatim singularum curationes persequemur. Curatio cõmunis.

De anasarca. Cap. XXXIII.

IN anasarca quidem totius corporis moles, & uniuersa caro, ut dictum est, instar spongiæ madida & laxa apparet, atq; adeò totum corpus intumescit, ac mortuo simile euadit. In ea curãdi ratio à sanguinis detractione auspicãda, maximè Signa. Curatio Venæ sectio.

maximè si mali origo ex suppreßis hæmorrhoïdibus aut mẽsibus existit, & uirtus atq; ætas permiserint. Hac nanq; ratione plenitudo quæ infestat exhauritur, & languẽtis natura exonerata alacrior fit, & mali causa minuitur, ac deinde minore negotio redit sanitas. Prauis humoribus ꝑ sanguinis mißionem detractis ac uacuatis, ad purgantium medicaminum præsidia ueniendum. Quòd si tamen extenuatione ac humorum ad expulsionẽ præparatione opus sit, decocta & alia quæ suprà in capitibus De iecoris tum imbecillitate tum obstructione dicta sunt, exhibeãtur. In quem sanè usum etiã serapia ex absinthio, intubo satiuo latifolio, eupatorio, & byzantino propinãda. Purgantia uerò medicamẽta simplicia sint rhabarbarum & agaricum. Composita autẽ, catapotia de rhabarbaro, de hiera simplici, de agarico, & similia. Initio etiam hierapicra conueniet, quòd hæc ipsa obstructiones auferat, ac uisceribus robur addat. Cauendũ igitur unicè erit, ne ualidiora, quæq; nullum robur iecori adijciunt medicamenta purgantia exhibeantur. Quin infestans humor sensim & paulatim per leuiora medicamenta educẽdus. Semel enim & confertim euacuantes, mirificè uires deijcimus, iecurq; refrigeramus. Singulis igitur septimanis aluus subducenda, semperq; à mitioribus ad ualentiora sensim transeundum. Conuenient itaq; antidota diaphœnicôn & indi in hac hydropis specie. Præclarè etiam purgat radix sambuci in uino decocta. Prodest itidem & ebuli radix: eadem namq; utrarumq; uis est. Porrò reliquo curationis tempore, quo purgantibus medicamentis abstinet, exhibenda quæ iecori robur addũt: quorũ multa suprà ubi qua ratione eiusdem tum imbecillitas tum obstructio curanda essent, docuimus, dicta sunt: & quæ urinam mouere possunt. In quẽ usum non absurdè antidotus diarrhodôn abbatis, aromaticum rosaceum,

Margin notes: Purgatio. — Purgantia simplicia. — Radix sambuci. — Robur addentia iecori, & vrinã mouentia.

saceum, dialacha, diacurcuma, pastilli de eupatorio, rhabarbaro, absinthio, theriaca, & similia exhibebuntur. Cæterùm, unicè proderit hoc medicamētū, quod habet: Specierū diacurcumæ, dialachæ, utrarūq; ℈ 1. specierū diatriasantalôn, diarrhodôn abbatis, utrarūq; ʒ ß. specierū aromatici rosac. ℈ 1. rhabarbari selecti ʒ ß. seminū intubi satiui latioris, melonū, fœniculi, sing. ℈ 2. absinthij, chamæmeli, cassuthæ, singu. ℈ 1. nucis moschatæ, iunci odorati, spicæ nardi, sing. ℈ ß. sacchari cādidißimi ℥ 1. misceātur sing. fiatq; tritura. Mirificè quoq; confert hoc, quod accipit: seminum carei, fœniculi, anisi singul. ℈ 2. seminum cumini, & hiperici, utriusq; ℈ 1. seminum ammeos petroselini, dauci, smyrnij, singul. ʒ ß. radicum iridis & asari, utriusq; ʒ 1. absinthij ℈ 1. glycyrrhizæ ʒ 1. sacchari æquale omnibus pondus. Commixtis singulis formetur tritura. Et sanè danda opera ut in anasarca magis sint sicca quàm humida medicamenta, propter totius uidelicet corporis habitum aquosiorē. Porrò extrinsecus planè adhibenda sunt ea medicamenta, quæ humores desiccare poßunt, ut sunt cataplasmata, emplastra & unguenta, aliaq; quibus desiccandi facultas inest. Conuenit ita cataplasma ex hordeacea farina, fabaceaq;, fœnogræco, radice ebuli, baccis lauri, absinthio & origano in uino decoctis confectum, & toti uentris capacitati impositum. Item stercus bubulum conuenienter resiccatū, nō ineptè cum posca, aut oxymelite imponitur, infarcta ac sup infusa sulphuris quarta parte. Caseus quoq; recens multum coaguli habens, optimè ad omnes tumentes partes impositus facit. Deniq; stercoris colūbini & caprini, buphthalmi & chamæmeli æquales partes tusæ, in acerrimo aceto et melle coctæ adhibeātur. Emplastris insup utēdum ex fermēto, caricis, nitro, iride, meliloto, saluia, pulegio, cardamomo, sulphure uiuo, baccis lauri, staphyde agria, sale

Tritura.

Alia.

Extrinsecus quę ad mouēda medicamenta.

Cataplasma.

ſale ammoniaco, maſtiche, thure, abrotono, ariſtolochia rotunda, fimo columbino, cũ oxymelite cõpoſitis. Verùm cerata pinguia & reſinoſa, utpote quæ inflent, & tumores, eo quòd difflationẽ impediunt, diſtendãt, unicè uitãda ſunt. Debent tamen crura, manus, aliæq́; corporis partes in tumorẽ ſublatæ in ſole, aut iuxta ignem, hoc medicamẽto crebrò inungi, quod habet: Vnguẽti agrippæ ʒ i. axũgiæ ſuillæ ʒ i. ſ. farinarũ ſeminis lini, fœnogræci, fabarũ, hordeaceæ, ſingu. 3 ii. ſeminum althææ, nigellæ, dauci, ſingul. 3 i. ſ. ſulphuris uiui 3 ii. boli armeniæ 3 ii. radicis iridis 3 ii. ſ. aluminis ſciſſi, thuris utriuſq; 3 i. ſ. euphorbij 3 i. oleorum irini, liliorũ alborum, chamæmelini, ſingul. ʒ i. ſ. cum cera quod ſatis eſt, fingatur unguentum, quo liquefacto ad prunas creberrimè partes tumidæ illinantur. Quæ ad uictus rationẽ attinent, ea ex præcedenti capite ſunt petenda.

Vnguentũ

De aſite. Cap. XXXIIII.

Signa. IN aſite uenter totumq́; abdomen intumeſcit, eoq́; cõcuſſo talis auditur ſonus, qualem uter aqua non omnino plenus reddere ſolet. Reliquæ uerò partes corporis, ſuperiores præcipuè, minimè inflantur. Victus ratio in hac aquæ inter cutem ſpecie ſit ex montanis auiculis, & alijs concoctu facilibus, & bonum procreãtibus ſuccum, ut dictum eſt ſuprà cap. 32. Curandi ratio à purgãtium medicamẽtorum uſu auſpicabitur. Sint autẽ talia, qualia capite præcedente commemorauimus. Reliqua uerò omnia ſuperat braſſica marina, quã Soldanã & Soldanellam hodie uocãt, in potu aſſumpta. Hæc enim in educenda hydropicorum aqua mirificum oſtendit effectum: ita ut non pauci ſolius eius uſu ſanitati ſint reſtituti. Dantur ex ea drachmæ duæ, plus aut minus, pro corporis diuerſitate, in uino, aut lactis ſero. Conferunt etiã plurimum

Victus. Curatio. Braſsica marina. Soldanella

rimum catapotia de sagapeno, & drachmæ duæ aut tres succi radicis iridis, adiectâ sacchari uncia una. Clysteres etiam adhibendi acres, nisi uenter sua sponte humescat: tunc enim exiccare ipsum magis conuenit. Inter alios autem is potissimum cõmendatur, qui habet: Florum daphnoïdis ʒ 2. radicis polypodij, agarici, utriusq; ʒ 1. ß. cassuthæ ʒ 3. decoquantur in uino aut aqua, donec tertia pars absumatur. Dein accipe iuris decocti colati lib. 1. benedictæ laxatiuæ uocatæ ℥ ß. antidoti indi ʒ 2. ß. mellis rosacei ℥ 1. olei rutacei, chamæmelini, irini, singul. ℥ 1. salis fossilis ʒ 1. ß. commisceantur omnia, & fiat clyster. In eundem usum colocynthis, cartamus, baccæ lauri, semen anisi, ammi & carei, ruta, radix cucumeris syluestris, alijs quibusdã adiectis, si uidebitur, decoqui possunt. Post prædicta auxilia, uẽtri uniuerso aliquod ex præscriptis cataplasmatis & emplastris imponatur. Adhibeantur etiam inunctiones, urinam & sudores mouẽtia auxilia, atq; exercitia, de quibus ante copiose diximus. Clyster.

De tympanite. Cap. XXXV.

IN *hoc uitio uenter inflatur distẽditurq;, & cõcussus tympani sonitum edit: reliquæ uerò corporis partes emaciantur.* Signa. *Victus rationem prioribus speciebus similem requirit, in ea tamẽ præcipuè uitanda sunt omnia flatuosa. Exercitia etiã multa, & sitis ingens ægrotantibus strenuè succurrunt, auxilianturq;.* Victus. *Curationis initium à purgantibus medicamẽtis, quorum copiam in superioribus inuenient studiosi, esto.* Curatio. *Cæterùm non temerè etiam clysteres, quibus flatus discutiẽdi facultas inest, infunduntur, qualis est qui accipit: Radicũ apij, fœniculi, utriusq; ℥ 1. seminũ anisi, fœniculi, dauci, smyrnij, petroselini, cumini, singul. ʒ 2. carei ʒ 3. rutæ, asari, foliorum ebuli, meliloti, singul. m̃. 1. bulliant in aqua ad tertias,* Clyster.

dein accipiãtur iuris decocti colo trãsfusi ℥ 12. hieræ picræ, benedictæ laxatiuæ, utriusq; ℥ ß. antidoti de baccis lauri ʒ 3. oleorũ rutacei & anethini, utriusq; ℥ 1. ß. salis ʒ 1. ß. Commisceãtur, fiatq; clyster. Danda quoq; sic affectis sunt quæ urinam mouẽt, atq; ijs quæ flatus discutiũt tã intrinsecus quàm extrinsecus utendũ, quorum copiã in capite De coli doloribus studiosi reperiẽt. Vẽter certè quotidie panico, milio, sale, furfuribus, folijs rutæ, chamæmeli floribus, cinere calido, sacculis insutis fouendus. Potest et imponi ceratũ, quod habet: Florũ chamæmeli, meliloti, sing. ʒ 1. ß. mentastri, saturciæ, asari, sing. ℈ 1. seminũ anisi, fœniculi, rutæ, cumini, dauci, singul. ʒ 1. cardamomi ℈ ß. myrrhæ, castorij, utriusq; ℈ 1. olei rutacei ℥ 3. olei anethini ℥ 1. ß. resinæ & ceræ quod satis est, fiat ceratũ. Cucurbitulæ præterea leues, cũ multa flãma, crebrò toti uentri infixæ mirificè conducunt. Venter deniq; aspero linteo tantisper dum rubor excitetur, perfricandus. Intrinsecus utendũ antidotis dianisi, diacummi, & è lauri baccis: uel ista quæ habet, Specierũ dianisi, diacumini, utriusq; ℈ 1. specierũ antidoti de baccis lauri ʒ 1. specierum diagalangæ ʒ ß. seminũ anisi, carei, dauci, fœniculi, singu. ℈ ß. foliorum rutæ, seminum apij, smyrnij, singul. ℈ 1. sacchari ℥ 6. dissoluti in stillaticijs liquoribus fœniculi & apij, formentur morsuli. Reliqua remedia ex capite De coli doloribus petenda.

Sacculi.
Ceratum.
Cucurbitulæ.
Morsuli.

De renibus cruentam vrinam excernentibus. Cap. XXXVI.

Causæ.
Imbecillitas renum.
Amplitudo osculorum.

RENum nonnunquã malũ accidit, in quo tenue sanguinis serũ mingitur. Fit uerò propter renum imbecillitatem, urinam subinde secernere nequeuntium. Aut propter amplitudinẽ osculorum, ex uena caua urinam ad renes excolantiũ. Quum enim ampliores ac patẽtiores meatus fuerint, quid

quiddã etiã ex sanguine uenæ emittunt, aliaq; itidẽ crassa. Sæpè etiã renes iuxta circuitus quosdã sanguinẽ excernũt, simili modo ut ex hæmorrhoïdibus fieri cõsueuit. Quidã deniq; sanguinem ex renibus excernunt, propter uenæ rupturã in renibus factam: ueluti cõtingit ijs qui graue onus leuarunt, aut ualde saltarunt, aut ex alto ciderũt, aut aliud quippiã tale uiolentum pertulerũt. Aliquãdo autẽ & ob acres è supernis defluentes humores erosio uenarũ euenire solet. Porrò si malum propter renum imbecillitatẽ accidat, sanguis qui excernitur, serosus admodũ est. Sin propter osculorum amplitudinem, tum nihil dolet. Si certis circuitibus excretio sanguinis fiat, tum uel plenitudo totius corporis, aut cõsuetorũ exercitiorũ neglectus, aut mẽbri cuiusdã resectio præcessit. Quòd si ob uenæ rupturã eueniat, tunc sanguis copiosissimè excernitur. Sin ab erosione, tunc sensim & paulatim excernitur, dolorq; renes excruciat. Curabis itaq; eam cruente urinæ excretionẽ, quæ propter renum debilitatẽ, aut amplititudinem osculorum urinas ad renes excolantium accidit, quiete, cibis adstringentibus, potione uini nigri, & alijs quæ in capite De cruento sputo sunt comprehensa. Ab ijs uerò potissimum quæ urinam cient, & à coitu omnino abstinendum. In potu autem præter ea quæ capite iam citato dicta sunt, exhibendum symphyti maioris radicis decoctum, & tragacantha in uino nigro macerata. Sistit etiã sanguinis ex renibus eruptiones cornu ceruini drachma una ex uino. Folia item salicis trita cũ uino, lysimachiæ succus, lapidis hæmatitis drachma una, radicis spinæ albæ, & polygoni decoctum. Bolus denique armenia drachmæ pondere sumpta. Serapium rosaceum, myrtinum, pastilli de succino, de terra lemnia, & de spodio nominati. Ouillum præterea lac unicè commendatur, si ieiuno ℥ 4. quibus drachma una boli armenij commixta

Circuitus quidam. Venæ ruptura. Erosio. Signa imbecillitatis. Amplitudinis osculorum. Circuituũ. Rupturæ venæ. Erosionis.

Curatio vrinæ cruentæ ab imbecillitate renum, aut vasorum eius amplitudine.

Localia. mixta sit, propinetur. Extrinsecus autem renibus & lumbis imponantur ea quæ ad sanguinis per sputū reiectiones, & in capite. De dysenteria, alijsq; sanguinis eruptionibus descripta sunt, & quæcunq; unà cum eo quod adstringunt & siccant, robur etiā addere possunt: qualia sunt rubi folia & quercus, glandes, myrti baccæ, malicoriū, balaustia, & similia. Posthæc habitus corporis cibis boni succi, lacte, & auicularum carnibus suillis quoq;, at macris, reficiendus est, ut uniuersum corpus ad pristinas uires reducatur, & renes corroborati propriū munus obeant, & serosum humorē à sanguine secernant atq; excolent. Cæterū si renes secundū circuitum sanguinē excernunt, aut propter uenæ rupturā, aut erosionē acrium è supernis defluentiū humorū, tunc statim uena quæ in cubito est eiusdē lateris secanda erit. His quidē qui per circuitus sanguinē excernunt, paulò antè circuitū, reliquis uerò statim à principio. Sanguinis tamen detractionē partiri melius erit, ut paulatim eius reuulsio & auersio fiat. Loci autē circa renes spongijs posca imbutis cooperiātur, aut lanis succidis cum rosaceo & aceto. Post hæc unguenta, emplastra, & cerata locis paulò ante citatis descripta, imponātur. Commodè quoq; cucurbita adhibetur, præsertim si suspicio sit inflammationē adesse in ijs, q ob uenæ rupturā sanguinē mingunt. Conueniunt etiā potiones suprà in capite. De sputo cruēto cōmemoratæ. Aeger interea etiā à salsis & acribus omnibus arcendus. Vbi uerò iam sanguinis excretio cessauerit, uictus ratione utendū est, unde non multus sanguis gignatur, maximè in ijs q per ciruitū excreuerunt. Supernæ quoq; corporis partes aßiduè exercēdæ. In ijs uerò qui ob uenā ruptā sanguinē mingunt, si exulceratio in locis relinquatur, ipsam post sanguinis suppreßionē curabimus per ea quæ in capite De renū exulceratione dicētur.

Curatio urinæ cruētæ per circuitū euenientis aut propter uenæ rupturā, aut erosionem.

De renū

De renum inflãmatione. Cap. XXXVII.

RENES plurimis de causis inflammatione corripiũtur. Nam & humores corrupti, & plagæ, & attritiones, & medicamentorũ potiones inflammationẽ eorundem procreant: præsertim autem equitationes aßiduæ & uehemẽtes. Causæ. *Accedit ægris dolor pulsatilis retro iuxta primam dorsi uertebrã, paululũ suprà spurias costas. Dolor uerò sursum usq; ad iecur distendit, præsertim dextro rene malè affecto. Deorsum uerò usq; ad uesicam & pudendũ, lumbosq; & coxendices, pectinem item & fœmora. Consequitur etiam stupor propinqui cruris. & neq; rectà erigi possunt, neque pedibus ingredi. Et siue sternutatio, siue aliqua alia concussio irruat, uehementi dolore lancinantur. Frigent eorũ extrema, & magis suræ ac pedes. Adest urinæ emittẽdæ difficultas, minguntq; aßiduè ac laboriosè: initio quidem tenuia & aquosa, in quibus nihil subsidet: inflammatione uerò in peius proficiente, rubicundiora: deinde etiam crassa & mucosa, adsuntq; febres uehementes. Quòd si amplius inflammatio augescat, hæc omnia fiunt uehemẽtiora. His accedit nausea, & stomachi morsus, uomitusq; bilis. Quidam uerò ipsorum usq; ad animi deliquiũ angũtur & exudãt. Sistitur ipsis uenter adeò ut inflentur, & aßiduè ructus emittãt. Sequitur fastidium uehemens, & quibusdã continuæ fiunt exacerbationes: quibusdam uerò per interualla. In uniuersum autẽ uentris egestio, & urinæ multæ excretio dolores ipsos præcedunt.* Signa. *Aegrũ in lecto mollißimo decumbere oportet, ac primo die à cibo abstinere, non tamen in multos dies inediã extendere. Vrinæ enim puriores & acriores per inediã redditæ, uehemẽtißimos morsus infligunt. Itaq; in principio sorbitionibus tenuibus morsus leniẽtibus nutrire oportet, ut* Victus.

tet, ut est ptisanæ succus, aut hordei alica. Malua etiā inter olera summè cōfert. Potus sit aqua decocti cinnamomi. Quid multa? uictus ratio sit tenuis, et talis qualis in alijs inflāmationibus. Quod ad curādi rōnē attinet, initiò statim detrahēdus sanguis est. Secāda uerò erit uena, Gal. in lib. De ratiōe curādi per sanguinis missionē teste, quæ in poplite est, aut certè quæ in malleolis, idq; in crure è directo renis patiētis. Interdū etiā eodē autore, misso ex cubito sanguini auscultāt, ubi uidelicet recens fuerit phlegmone, copiaq; sanguinis affuerit. A` uenæ sectione ad localia uocata progrediendū medicamenta, cataplasmata uidelicet, fomenta, linimenta, emplastra, & similia quæ mediocrē refrigerādi & leniendi uim obtinent, ex oleis rosaceo, cotoneorū, chamæmelino, farinis hordeacea, fabacea, fœnogræci, lini semine, & similibus, quæ in capitibus De iecoris & lienis inflāmatione dicta sunt, parata. Quòd si per ea quæ extrinsecus admouentur, dolor non leuabitur, cucurbita lumbis ac illijs est adhibenda, & fissuris impactis plurimus sanguis est extrahendus. Deinde spongiarū fotu utendum, & alijs quæ dolorē leuare possunt. Cauendum autē unicè, ne hoc tēpore ea quæ urinā mouent medicamenta bibenda dentur, Galeno etiā nostro monitore, qui lib. 13. The. meth. ne idipsum fiat, studiosè & diligēter prohibet: oblædunt enim uehementer, mordaces humores inflāmatis partibus inducendo. Cauendum quoq; à purgātibus medicamētis erit initio inflammationis. Clysteribus tamen mollibus, potissimum si uēter nihil deiecerit, ex maluæ decocto, aut seminis lini, & fœnogræci, aut succo ptisanæ cōfectis, adiecto oleo uiolaceo aut chamæmelino. Verum cauendum ne magna copia infundatur, quod aliàs intestina repleta & distenta renes comprimant. Cæterùm ubi perfectè iam sedata ac concocta fuerit inflammatio: id quod cognoscitur omnimoda doloris remissione,

Curatio.

Localia.

sione, tunc etiã per urinam prouocãtia purgãdum erit. A' cõ coctis enim inflammationibus urinæ prodeũt multæ & crassæ, ac in ijs quod subsidet bonum est, atq; adeò morbũ prorsus iudicat. Quæ autem sint medicamenta urinam mouentia, diximus lib. 2. De cõpos. medi. cap. 7. Potißimum uerò inter olera cõferunt fœniculum, apium, & pastinacæ probè percoctæ. Quòd si uerò per prædicta medicamenta malum non propellitur, & neq; dolor, neq; febris, neq; grauitas horum usu conquieuerint, urinæq; difficultas ac frequens stillicidiũ ægrũ molestauerit, pus hac in parte colligi indiciũ est. Tunc itaq; quàm celerrimè suppurationẽ, ac puris eruptionẽ adiuuare oportet. Qua in re spongiæ aqua & oleo aßiduè imbutæ proderunt, fotus gratia admotæ. Eundẽ etiam usum cataplasmata præbẽt, quæ ex farina hordeacea, furfuribus, ficubus, althea, & similibus suprà in capite De iecoris inflãmatione dictis, constant. In soliũ quoq; ex emollientibus herbis, malua, althea, chamæmelo, lini semine, fœnogræco, paratum descendere summè confert. Quòd si uerò perfecta iam suppuratione (id quod cognoscitur si febres & dolores minores fuerint, grauitatis autẽ sensus circa renẽ malè affectũ remanserit) ruptura, moretur, in potu exhibenda quæ urinã ducunt, ut est fœniculi, pulegij, origani, & similium decoctũ. Hæc enim rumpũt interdum suppurationẽ, & pus per urinã expurgant. Quòd si autẽ usus illorum nihil contulerit, acribus clysteribus aluus subluenda erit, ueluti cucumeris syluestris radicis decocto & diluto, uel alliorum, uel raphani. Macerare autẽ hæc in muria oportet, parumq; olei admiscere, quo infusa lubrica reddantur. Hæc sanè per clysterem infundenda, iubendiq; ægri quò plurimo tempore apud se detineant. Consueuerunt enim sæpè ipsam suppurationem rumpere, unà cum hoc quòd uentrem emolliunt. Remorantem

Suppurationis notæ

Signa perfectæ suppurationis

quoq; rupturam iuuat cuminum cum passo, ruta cum uino mulso. Porrò ruptura facta, carunculæ paruæ, oblongæ cum urina excernũtur. Et si maligna fuerint ulcera, humores fœtidi, liuidi & mucosi: si uerò non maligna, pus ipsum album, æquale, leue, & absq; odore graui, ac paucũ excernitur. Post puris eruptionem lac cum melle præbendum, & alia quæ in capite De renum ulceribus commemorabuntur.

Rupturæ factæ indicia.

De calculo renum. Cap. XXXVIII.

Causæ.

Renum calculis prouectæ ætatis homines frequentius quàm pueri apprehenduntur. Causæ autẽ generationis horum calculorum sunt assiduæ cruditates, unde humoris crassi & terrei multitudo coaceruatur, & ardor ignea'ue circa renes caliditas, quæ humores adassans, eos cogit, & in lapidem indurat, ad modum tosorũ qui in aquis reperiũtur, quæ in areis, præsertim balneorũ, uasis coquuntur. Cõsistũt autẽ lapides in renibus iuxta uentriculos ipsorum, aut parui, aut maiores: & aliquando quidẽ pauciores, aliquando autẽ plures, & magnitudine, & forma, & colore, & asperitate, inter se differentes. Nigri enim & subalbidi & pallidi repe riuntur. Ex eorum numero rotundi & leues facilè excernũtur, non item qui alia quacunq; forma præditi sunt, maxime tamẽ oblongi & asperi difficulter excernũtur. Accedit ægris grauis in renibus dolor aculeiq; infixi sensum præbens, tumore tamen nusquam foris apparente. Spina ægrè flecti potest. Crus quod è directo est renis patientis, stupet, adest fastidiũ & uomitus. Vrina circa obturationis principium pauca, & aquosa mingitur. Postea uerò perfecta earum suppreßio cõtingit, aluusq; nihil excernit, uerùm promptitudines multas ad egerendum facit. Excernitur autem aliquando sanguis, propter uiolentiam calculorum, præsertim asperiorũ. Vrina etiam

Lapidũ differentiæ.

Signa.

etiam arenosam subsidentiam habet, potissimum ubi lapis ex renibus fuerit emotus. Quas singulas ferè notas Hippocrates lib. 6. Epid. par. 1. aph. 5. ijs complexus est uerbis: In renē „ dolor grauis, quando cibo replentur inuadit, pituitamq; uo- „ munt. Quum uerò dolores intentiores fuerint, æruginosa: „ atq; tum leuiores quidē fiunt. Dolore autem leuantur, quādo „ cibo uacui fuerint. Arenæ rufæ subsident, cruentaq; mingūt. „ Stupor cruris quod è directo est. Hæc ille. Cæterùm quum lapis in renibus obturatus uehementissimos dolores intulerit, ne scilicet sanguinis multitudo intensione & dolore in patientē particulam procumbat, in corpore plenitudine laborante & robusto, cōfestim poplitis uena, iuxta Hippocratis loco iam citato consilium, incidenda erit, eius nimirum cruris quod stupet, & è directo renis patientis est. Qui uerò cacochymia uitiosó'ue humore laborant, ijs purgatio redundantis succi conuenit. Neq; sanè hæc omittenda est, nisi aliud quidpiam id fieri prohibeat. Id quod etiā Hippocrates iubet, dū iuuenes elleboro purgādos esse docet. Quòd si uerò sectionē uenæ, aut purgationē adhibere minimè licebit, aluum per clysteris infusionē eluere oportet. Quod tum maximè faciendum erit, ubi multa in intestinis excrementorum copia fuerit. Cauendum tamē unicè erit, ne sint ualidiores, atq; adeò ne aliunde humorum copiam ad intestina trahant, ne meatus urinarij angantur & cōprimantur: sed sint tales, quæ duntaxat excrementa in intestinis detenta uacuare possint, ut est is qui habet: Maluæ, altheæ, mercurialis, trichomanis, parietariæ, singul. m̄. 1. sisymbrij cardamines m̄. 1. ß. seminum petroselini, apij, fœniculi, lini, singul. ʒ 3. radicis acori ℥ 1. ß. furfuris ℥ 1. ebulliant in aqua iustæ quātitatis ad tertias, & subinde colo transfundantur, accipianturq; iuris decocti ℥ 11. casiæ fistularis ℥ 1. hieræ picræ ℥ ß. mellis rosacei

Curatio.

Venæ sectio.

Purgatio.

Clyster.

cei colati ℥ 1.ß.oleorum anethini, rutacei, chamæmelini, singul. ℥ 1. salis ʒ 2. commixtis omnibus fiat clyster. Nulla tamē ratione committendum, ut clysteribus, alijs ferè omnibus remedijs neglectis, ut pleriq; medicorū hodie faciunt, aßiduè utamur, sed bis aut ter: sic tamē ne ultra consuetum tempus retineantur. Retenti enim diutius quàm par est, cōpreßionē atq; angustiam renum, ac urinariorum meatuum efficiunt, ut copiosius lib. 2. Paradox. cap. 15. diximus. Porrò excrementis alui expurgatis, quæ laxare meatus possunt medicamenta adhibenda erunt. In quē sanè usum hoc unguento renum & lumborum regio inungenda, quod accipit: Oleorū anethini, amygdalarum dulcium, utriusq; ʒ 2. olei chamæmelini ʒ 1.ß. adipis gallinacei, anserini, utriusq; ℈ 2. butyri salis expertis ʒ 1. ceræ quod satis, fiat unguentū molle. Insessionibus quoq; utendum ex decocto calaminthes, origani, sisymbrij cardamines braßicæ, foliorū althex, maluæ, & similium. Aut æger in solium tepidum aquæ dulcis frequenter demittendus. Fomenta item ex furfuribus cum folijs althex decoctis loco dolenti admota mirificè conferūt. Cataplasmata quoq; ex farina tritici, seminibus lini & fœnogræci, lupinorum, peucedani radice quàm minutißimè trita, & chamæmelo parata. Bonum est & panē passo decoctum circa lumbos ac uentrē imponere. Neq; temerè quidem fecerit, qui cataplasmata & alia paulò antè commemorata uesicæ & pectini adhibuerit. Oportet uerò coaceruatim alia super alia cataplasmata adferre, priusquam scilicet primum frigescat. Siquidem frigus contrahit & constringit, atq; adeò in renibus & urinarijs meatibus lapidem retinet. Quòd si non lubet totidem cataplasmatis uti, calefactorio alio extrà contegere oportet, ne refrigerentur: id quod cōmodè fieri potest per saccellos, aut alia uaporatoria quæ cataplasmati imponūtur. Hæc interdū,

idq;

Clysteribus crebrioribus nō utēdum.

Laxantia meatus.

Vnguētū.

Insessiones

Fomenta.

Cataplasmata.

idq; non rarò, ad lapidis per urinã eiectionẽ sufficere solent. Quòd si uerò malum non abegerint, eã etiã quæ urinã cient bibẽda dabis. Vrinam autẽ multã hæc quæ sequuntur ducunt, acorũ, hypericũ, petroselinum, oreoselinum, lithospermum, ammi, dauci semen & fœniculi, asarũ, radix bryoniæ, & rubiæ tinctorum, cortex radicis capparis, asparagus, & ijs similia. His autẽ admisceantur ea quæ deducũt ad renes, ut sunt radix peucedani, bryoniæ, apiũ, & radicula: itẽ quæ calculos in renibus cõfringunt & atterũt, siũ scilicet, adiantum, bdellium, agni seu uiticis semen, rusci radix, saxifraga, betonica, damosonij radix, ciceris iusculum, radix cyperi, lithospermũ, tecolythos (lapidem iudaicum officinæ uocãt) xanthium, altheæ semen & radix, pruni gummi, uermes terreni cocti, & ex marinis spongijs lapilli. Horum singula partim decocta, partim tenuißimè trita præbeto bibenda. Cæterùm ea quæ urinam cient ac lapidem frangunt, tunc exhibere conuenit, quum uehementes dolores remittunt: id quod accidit lapide iam trãsmoto, & è sede sua agitato. Quòd si tamen obfirmati ac uehementer impacti sint in renibus lapides, plurimus potus uitandus, itemq; ea quæ urinam ducunt. Nam quem secum excrementorum non contemnendam copiam ad renes deducant, fit ut meatus urinarios obstruant, & calculorum è renibus transitum impediant. Fomentis autem & cataplasmatis, insessionibusq; renes & meatus urinarij, ut dictum est, relaxandi. Venter quoq; per infusa leuia euacuandus, ne urinarij meatus comprimantur. Post hæc uerò doloribus aliquantulum lenitis, cucurbitæ etiam utiliter ipsis adhibentur, & præsertim preßius affixæ, inflammatione uidelicet id non impediente. Adeò enim coaceruatim transmouent sæpè cucurbitæ ipsos lapides, ut repentè dolores supprimant, lapide nimirum in uesicæ amplitudinem trãsuecto.

Vrinã ducentia.

Deducentia ad renes.

Quapropter in principio supernè à rene cucurbitæ sunt affigẽdæ, & ad inguina attrahendæ oblique secundũ meatuũ urinariorũ situm. Porrò delati ex renibus in uesicam lapides, & præ magnitudine circa collum uesicæ detẽti, sæpè in extremũ periculũ ægrũ deducunt, tum propter dolorũ acumen, tum quod urinã excernere non permittunt. Decubitus igitur formã in talibus moliri oportet, ita ut supini collocẽtur, & longè altiores coxarum uertebras habeant. Deinde multiformiter eos cõmouere, quo omnibus machinationibus adhibitis lapidem ex ipso uesicæ meatu excidere faciamus: post uerò ægros iubere ut alacriter urinã eijciant, & ea eiecta sinere. At uerò ubi lapis non fuerit eiectus, rursus mouere, atq; hoc ipsum sæpè repetere. Quòd si hac ratione nihil profecerimus, catheter instrumẽtum proliciẽdæ urinæ aptum immitendũ, eoq; lapis à collo uesicæ propellẽdus, & urina educenda. Post uerò per potiones lapidem in amplitudine uesicæ existentẽ cõfringere per medicamẽta cõueniẽtia annitemur. Si uerò ex uesica quidem excidat calculus, iuxta medium autẽ meatũ ipsius pudendi obfirmetur, & uulnerãdo exulcerationis periculũ inducat, aqua calida paulatim ab alto pudendorum partibus donec rubore suffundãtur instillanda, aut pudẽdum in oleum calidũ, quod relaxandi uim obtinet, demitendum. Decoctum etiam quoddam ex ijs quæ urinam ducunt, plurimũ exhibendũ est, iubendusq; æger ut multam urinam congreget, eamq; postea excernat, ac diligentius expellat. ita enim detractus lapis celeriter excidere consueuit. Quũ uerò neq; hoc modo eum extrahere licebit, secandum erit pudendum, uulnusculo supernè iuxta glandis magnitudinẽ incusso. Infernè enim secare non expedit, quãdoquidem ferè semper in fistulam proficit, ac postea per ipsam fissuram urina excernitur. Lapide tandem amoto

Lapis si circa collũ uesicæ detẽtus fuerit.

Decubitus.

Cathetere quãdo vtẽdum.

Si lapis in medio pudendi meatu retineatur.

Præseruare hominem, ne rursus renes lapide infestentur, oportet. Maximi autem ad lapidis generationẽ præcauendã momẽti est cibus boni succi, cõcoctu facilis, & moderatus. Quare cauere sibi ab omnibus cibis duræ substantiæ conuenit, & quæ ægrè manducatione atteruntur. Exercitia enim mediocria sint, rarusq́; omnis generis leguminũ frumentaceorumq́; usus, casei itẽ, lactis, & quæ ex ipso præparantur obsoniorũ, uini deniq; nigri, copiæ carnium, & omniũ summatim craßi succi, nimisq́; calidorum & acrium. Eos autẽ quos calculus afflixit, admonere oportet, ut à cœna sæpius uomant, & absinthiũ aßiduè bibant: & certis tẽporibus, si quidem sanguis abũdare uideatur, uenã secent: aut si uitiosi humores coaceruẽtur, conuenienti ipsorum temperamento purgatorio medicamento utantur. Oportet etiam ipsam aquam per omnem uictum esse purißimam & percolatã. Vinum item tenue, album, neq; ualde uetus: hoc enim urinæ ciendæ idoneum. Vrinam quoq; ciẽtibus tum cibis tum medicamentis utendũ. Quare indies pastinacam admodum percoctam, fœniculũ, sium, pulegiũ, & similia edere oportet. Præseruatio à lapide.

Inter medicamẽta uerò is puluis multæ est efficaciæ, qui habet: Radicũ *fœniculi, asparagi, œnanthes, singul.* ʒ *1. radicis rubiæ tinctorum* ℈ *1. radicis aristolochiæ rotundæ uocatæ, altheæ, utriusq;* ʒ *1. glycyrrhizæ rasæ* ʒ *2. lapidis è spongijs marinis, tecolythi, hoc est iudaici, utriusq;* ℈ *1. seminũ ammeos, dauci, oreoselini, saxifragæ candidæ, fœniculi, anisi, lithospermi, singul.* ʒ ß. *seminũ melonum & citruli excorticatorum, utriusq;* ʒ *1.* ß. *seminis halicacabi* ʒ ß. *helxines seu parietariæ, maluæ, utriusq;* ʒ *1. polij montani, adianti, pulegij, asari, sing.* ʒ ß. *sanguinis hircini arefacti & præparati* ʒ *1. bdellij, ammoniaci, utriusq;* ʒ ß. *oculorũ cancri, cinnamomi selecti, iunci odorati, singul.* ℈ *2. contusa omnia redigãtur in* Puluis ad calculosos renes.

puluerẽ

puluerē minutißimum, de quo detur pondus drachmæ unius quarto quoq; die: aut singulis septimanis in aurora ex uino tenui. Porrò sanguinis hircini, cuius in prædicto puluere mentio fit: præparationem tradit Aëtius lib. 11. cap. 12. Plura alia remedia dicemus in capite De calculo uesicæ.

De vlceribus renum. Cap. XXXIX.

Causæ. Renum ulcera accidunt propter uenarum quæ in ijs sunt rupturam. Item suppurationem inflammationis, & acres ac mordaces humores huc delatos. Signa. Deprehenduntur renes exulcerati dolore in lumbis cum grauitate, & sine impedimento urina redditur, id quod in uesicæ ulceribus nō fit. Vrinæ quoq; pus cōmixtum reperitur, carnosis particu-
4. Aph. 75 lis, aut pilis innatantibus iuxta Hippocratis sententiā, qui ita scriptum reliquit. Si sanguinē aut pus mingant, aut renū aut uesicæ exulcerationē significat. Et statim posthæc: Quibus in urinam crassa existent carunculæ paruæ, aut ueluti capilli unà exeunt, his à renibus excernuntur. Victus. His itaq; apparētibus æger cruditates uitet, & satietatē: Ne qd igitur crudū in cibo accipiat, & neq; quod ægrè cōcoquitur, aut facile corrūpitur, aut inflationes parit. In primis autem ab ijs abstineat quæ facilè acescunt. Item omnia acria & feruentia, & quæcunq; bilem gignere possunt, ut est sitis multa, abstinētia, inedia, labor, ira, solicitudo, exercitatio, uigilia, & immodica condimenta. Vitanda uerò maximè erit immodica equitatio, & omnis uehemens concitatio: non minus tamen ijs perpetuum ocium, & balneorum aßiduitas. Vtendū pane recenti, & decenter apparato. Carnibus uolucriū montanarū, hœdis quoq;, & similibus tenerā carnē habentibus. Piscibus saxatilibus, squamosis, in craticula aßis. Cancri præterea fluuiales, sorbitio ex ptisana, & amylum cum lacte coctū mirificè cōfert

fert. Dandũ & lac ouis permixtum, iusculumq́; gallinaceũ pingue. Oua etiam sorbilia per se conueniunt. Ex oleoribus autẽ malua, intuba, rumices, portulaca & lactuca cõducunt. Omnia tamẽ hæc cocta: crudi enim nihil, ut dictum est, æger sumere debet. Ex fructibus uua passa nõ incommoda est, & nuces pineæ: amygdalæ etiam, decorticatæ tamen, & probè mũdatæ. Multus potus, et meracior uitãdus. A frigido quoq; potu in totum abstinendum. Frigidũ enim, ut ait Hippocrates, ulceribus inimicum. Pro potu utatur uino diluto, ac parum adstringẽte: aut lac caprinũ, aut ouillum, aut amygdalinum bibat. Coitus nõ solum ulceribus, uerumetiam omnibus alijs renum malis infensißimus, potißimũ ubi senes, & natura imbecilliores eo usi fuerint. Vitanda ea quæ urinã ciunt. Balnei, ut dictum est, rarus sit usus. Naturales uerò & sponte natas aquas experiri non inutile fuerit, maximè aluminosas, sulphureasq́;. Frigida lauare commodißimum est. suprà modum enim ulcerationes ægrè sanabiles, tũ externas, tum internas destruit. Conferent etiã naturales aquæ post matutinã deambulationẽ potatæ. Curandi ratio, ubi propter acres & mordaces humores ulcera renum accidant, ab eorundem humorũ uitiosorum & erodentium purgatione auspicanda. Qui uerò sic afficiũtur, eos uomitu quoq; uacuare oportet. Non autẽ ad uitiosos duntaxat humores uacuãdos cõfert uomitus, uerumetiã si quis singulis mẽsibus audacter uomuerit, is renum ulcus, & quicquid inde mali accidere potest, dissoluet: humorum siquidẽ motum in contrarium auertet. Sunt etiam interea propinanda medicamenta quæ morsus acrium humorũ obtundũt, ut est malua, intubum, rumex, portulaca, semẽ melonum, cucumeris, & cucurbitæ, serapium uiolaceũ, rosaceum, nymphææ, & eorundẽ sacchara. Cæterùm uitiosis humoribus uacuatis, aqua mulsa bibenda, aut decoctum

5. Aph. 2c.

Curatio.

Vomitus.

Morsus ob tũdẽtia medicamenta.

fœno

fœnogræci cum melle, aut cucumeris, aut maluæ, aut melonũ semẽ cum hydromelitæ. Lac præterea cum melle præbẽdum, recens mulctum & calidum: ad ulcera enim purganda cõducit. Serum item caprinũ, decoctũ hordei, uuarum passarum, & glycyrrhizæ, quæ quidẽ, perinde atq; eius succus, mirificè cõfert. Quũ uerò iam purgata & mũda fuerint ulcera: quod inde tibi palàm fiet, si neq; tectoriũ ulceri obductũ cum urina excretũ apparet, neq; pus excretũ est feculentum, sed subalbum, leue, æquale, & paucum: tũc ea quæ resiccãt, adstringunt, & glutinãt medicamẽta adhibeantur. In quẽ sanè usum datur bolus armenia, gummi, tragacantha, amylum, terra lemnia, & similia alibi cõmemorata. Præter cætera tamen mirificè confert is puluis qui accipit: Terræ lemniæ, boli armeniæ, utriusq; ℥ 1. ß. tragacanthæ, spodij usti, utriusq; ℥ 1. amyli, nucum pinearum tostarum, utriusq; ℥ ß. seminum lini, cucumeris repurgati, melonum, singul. ℥ 2. seminis apij ℈ 2 sanguinis draconis. Conterantur singula, inq; puluerẽ rediganatur tenuißimum, de quo dentur quotidie ægrotanti ℥ 2. cum lacte recens mulcto. Porrò extrinsecus quæ renes exiccare ac roborare possunt admoueantur emplastra, cerata & unguenta ex oleis rosaceo, myrtino, farina hordei, thure, mastiche, rosis purpureis, similibusq; composita, quorum formulas è superioribus petent studiosi. Plura remedia alia infrà in capite De ulceribus uesicæ recensebimus.

Glutinantia. Puluis. Renes exiccantia & roborãtia.

De diabete. Cap. XL.

Diabete quid. διάβητος

Diabetes diuturnum est malum circa renes consistens, multam sitim inducens: unde quoq; διάβητην Græci idem mali nominãt: unà cũ hoc quod quicquid bibitur, simul ut & quale assumptum est, per urinam redditur. Quidam hoc malum, ut testatur Galenus cap. ulti. lib. De sympt. diff.

urinæ

urinæ fluorem, & aquam inter cutẽ ad matulã uocant. Origo ipsius ex retentricis rerum facultatis imbecillitate cõtrahitur, attractricis uerò tanto robore, ut totũ corpus ob immodicũ calorẽ exhauriat. Renum itaq; proprium malum, Diabetes existit, quo uidelicet immodicè humorẽ appetũt ægrotantes, ipsumq; propter debilitatẽ retentiuæ in eis facultatis continere nõ possunt, sed eum aceruatim in uesicã excernũt. Concomitatur ægros pertinax sitis, neq; ulla satietas ex alicuius liquoris exhibitione contingit: ideoq; aßiduè potum assumere coguntur, propterea quòd citißimè per urinã expellatur id quod ingestum est. Viscera etiã ægrotantibus uri uidentur, intumescunt lũbi, testes, & coxæ. Quòd si amplius adhuc mordẽs caliditas in uisceribus augeatur, superior uenter corrugatur, & uenæ in ipso eleuantur, uniuersum habitum gracilem habent, & tabes totius corporis grauis accedit. Cæterùm curationis scopus in ijs consistit, ut humorum acredinem obtundamus, sanguinemq;, ac cum eo permixtum serosum humorẽ admotum tardiorem reddamus, & renum intemperiẽ corrigamus. Mox itaq; ubi cœperit malum, nondum ad perfectionem progressum, optimũ est cubiti uenam secare, & moderatè sanguinem auferre. Vtendum etiã mediocriter urinam cientibus quæ uitiatum, inq; renes imbibitum humorem expurgẽt. Quòd si uerò inueteratum sit malum, neq; uenæ sectione utendum, neq; quicquam quod urinã mouet exhibendum. Hæc enim corporis tabem & colliquationem, quæ sponte sua in hoc malo accidit, accelerant. Concidunt enim inueteratis uires, & ex uenæ sectione totũ corpus acrius redditur, & urinam cientia in ipsis multiplicant, augentq; malum. Maximum uerò ac præcipuum eius mali remedium est, ut quod potatũ est statim reuomatur. Sit autem perquàm frigidus potus ipse, quãdoquidem reliqua etiã

Marginalia: Causæ. — Signa. — Curatio. — Si malũ recẽs fuerit. — Si inueterauerit.

Victus. uictus ratione frigidiore uti conueniat. Cibi igitur exhibendi boni succi, quiq; difficulter commutari possunt, & mordacitate careāt, aut qui mordacitatē & acrimoniā obtundere ualeāt: ut sunt oua sorbilia, alica ad sorbitionis modū apparata, carnesq; porcinæ macræ plurimum coctæ. Neq; uerò incommodè exhibetur eis caseus recens cōpactus, salis expers, & lac per silices, aut ferrum ignitum scissum, seroso adempto humore. Pro sorbitione etiā ptisanæ succus frigidus probatur. Ex oleribus autē intubum, lactuca, & portulaca. Ex fructibus pyra, poma, mala punica. Inter pisces, saxatiles cōueniunt. Vinum bibendum rufum, crassum, aqua amplius dilutum, ad salsuginosorum humorum, qui sitim inferunt, prolutionē. Vinum enim corporis temperaturā ad dulcorem permutat. In potu quoq; exhibendus succus malorum granatorum, succus medicatus è ribes, aut oxyacantha. Quod ad medicamētorum rationē attinet, polygoni seu sanguinariæ succus rectè ipsis ex uino nigro propinatur. Symphytum item, palmularumq; & baccarū myrti, pyrorumq; decoctum. Serapia rosaceum, myrtinum, & similia. Pastilli quoq; è spodio, ex polygoni succo, aut uino nigro propinandi. Extrinsecus hypochondrijs, lumbis, & pectini illitiones, cataplasmata & cerata refrigerātia adhibēda: qualia sunt quæ ex aceto rosaceo, polenta, lactuca, lenticula palustri, parietaria, folijs uitis, portulaca, & similibus cōficiuntur. In quem etiā usum proderit inunctio ex oleis rosaceo, & myrtino: aut illitio è succo solani, aut pampinorū uitis facta. Farina quoq; hordeacea, aceto & rosaceo subacta, cataplasmatis modo hypochondrijs imponēda. Vtēdū deniq; hoc emplastro, quod habet: Farinæ hordeaceæ ℥ ß. pampinorum uitis, extremitatum salicū, bursæ pastoriæ, sing. m̄. ß. corticum granatorū ʒ 2. ß. portulacæ m̄. 1. seminis cotoneorum ʒ 1. rosarū purpurearū m̄. 1. ß.

(Margin notes: Medicamēta. — Localia. — Emplastrū)

m̃.1.ß.Ebulliãt singula in aqua, donec ad mellis craßitudinẽ perueniãt. Deinde addantur olei rosacei ℥ 2. olei myrtini ℥ 1. denuoq; bulliant, & fingatur emplastrum. Ex iam cõmemoratis potest fieri ceratum, adiectis hypocisthide, acatia, bolo armenia, resina & cera. Porrò sudores quoq; excitandi erũt, ut scilicet uitiosi humores ad exudationẽ uertantur. Optima uerò est in dolio facta ex herbis aut alijs rebus calidis euaporatio ad sudandũ, eo modo facta, ut caput extra doliũ promineat. Vel uas aqua calida plenum pedibus ægrotantis inq; lectulo decumbentis admoueatur, atq; sudor eliciatur. Sudorum euocatio.

De uesicæ calculo. Cap. XLI.

GEnerãtur in uesica lapides pueris frequẽtius quàm ætate prouectis: uoraces enim sunt pueri & perpetui motus, cibisq; utcunq; oblatis ac nociuis utũtur, & neq; horam cibum capiendi seruant certã & ordinatã. Quinetiã priusquã prior assumptus cibus cõcoquatur, aliũ ingerũt. Ideoq; cùm uehementius à cibo moueantur, fit ut crudus & incoctus in uenas cibus distribuatur. Mollia autẽ cum sint adhuc illorũ corpora, & quæ facilè cedãt, ob id obturationẽ circa renes non perferunt. Quum uerò craßißima urina in uesicæ amplitudinẽ perferatur, ibidẽ ueluti fex uini & limus aquæ subsistit, ac postea propter caliditatẽ, qua pueri præditi sunt, desiccata & firmata lapidescit: id quod extrinsecus etiam in aquis suapte natura calidis, & in uasis in quibus quotidie calesit aqua, accidere cõspicimus. Hinc est quod aquæ impuræ, & multo limo refertæ, itẽ quæ duriores & uehemẽter frigidæ sunt, ladipis in uesica generationẽ adiuuãt. Duæ itaq; potißimæ generationis lapidis in uesica causæ, craßities urinæ, & puerorũ calor. Quod Hippocrates etiã lib. 6. Epid. par. 3. aph. 11. ijs uerbis innuere uoluit: Considerandum, an à mi-

Pueri lapide uesicæ magis laborãt quã renum.

Causæ.

„ ctione facta concretio puerulis magis, eò quòd calidiores sint, accidat. In cuius quidē sententiæ explicatione quæ annotauimus in nostris commentarijs sanè multa ad institutū facientia reperient studiosi. Pruriunt laborantes calculo uesicæ crebro, & contrectant pudenda, quæ etiā intenduntur, ac continuò ad mingendum urgentur, stillicidioq; urinæ uexātur. Curatio huius mali eadem ferè est, quæ renum quum calculo laborant. In eo tamen diuersa, quòd ualidiora requirant medicamenta lapides uesicæ: & quod uesicæ adhibenda sunt, quæ renibus alias admouerentur. Lapides autē in uesica oborti, ijs potißimum medicamentis atteruntur, semine nimirum & radice fœniculi, smyrnij, granis pæoniæ nigris, artemisia, chamæmelo, altheæ radice & semine, sio, adianto, rumicis radice, lapidibus spongiarum, tecolytho, lithospermo, rusci radice & semine, lapide qui ab ægris cum lotio eiectus est trito & potato, semine xanthij, cortice capparis, abrotoni semine, hyacinthi, uiolæ albæ, apij, petroselini, & alijs ijs similibus quæ urinam ciere possunt, & quæ in capite de renū calculo sunt commemorata. His coniungendum laudatißimū remedium passer troglodytes, qui minimus passerculus est, iuxta sepes & muros uictum quæritans, ut Aëtius & Paulus tradunt, caudam semper subreptam & albo colore retro interpunctam habens, iuxtaq; summum alæ lineamentum cinerei coloris. Hic sanè totus sale conditus, & crudus in cibo sumptus, morbum perfectè sanat. Calculos enim iam creatos per urinā expellit, in posterumq; generari prohibet. Sanguis deniq; hircinus ad calculos cum renum, tum uesicæ præsens remedium est. Nam præexistentes soluit, atq; per urinā excernit, & ut alij amplius nō generentur prohibet, ac dolorē sedat. Præterea si uesicæ lapides per urinæ meatum excerni haud poßūt, sed illic sunt obturati & impacti, atq; adeò urinæ

Signa.

Curatio.

Lapides atterentia.

Passer troglodytes.

Si vesicæ lapis per vrinæ mea-

næ ſuppreßionẽ efficiunt, ægrum ſupinum decumbere opor- tet, ita ut coxarum partes magis ſurſum uergant, indeq́; huc atq; illuc multiformiter commouere, quo ex meatu excidat lapis, poſt uero ita adhuc ſupinum & poſitu ſurſum uergẽ- tem mingere iubere. Si uerò neq; ſic excernere queat, per catheterem inſtrumentum urinã prolectare: deinde ea quæ lapidem in ueſica atterere ualent medicamenta exhibenda. Quòd ſi neq; per hæc curatio procedat, ad ſectionẽ uenien- dũ erit. Lapide igitur hac uel illa ratione extracto, uictus ra- tio cõſtituenda eſt eiuſmodi, ne ſubinde renaſcatur, quam in capite de lapide renum deſcripſimus. tum excer- ni nequeat.

De ſanguinis ex veſica eruptione, & gru- mis eiuſdem. Cap. XLII.

RVmpi nonnunquam in ueſica uenam accidit, atq; tum partim quidẽ ſanguis foras mittitur, partim uerò in- tus condenſatur. Sanguine uerò condenſato, & grumis iam coactis, æger animo linquitur ac palleſcit, pulſusq; exiguos & obſcuros, et denſos habet, mœrore angitur, refrigeratur, uiribusq́; deſtituitur. Quũ uerò grumus aliquãdo in urina- rium meatum inciderit, tum is etiã urinæ excretionem ſup- primit. Porrò quàm celerrimè uelut etiam in alijs ſanguinis eruptionibus auxilium ferre oportet. Quapropter ſi nihil prohibeat, uenã in cubito ſecare, partita ſanguinis detractio ne cõuenit, ut hac ratione ſæpè & paulatim ſanguis detra- ctus reuellatur. Aegri uerò in decumbendo ſurſum uerſus collocentur, & coxendicib. ipſorum leuandis, & ſimul re- frigerandis ſpongiæ poſca imbutæ ſubdãtur. Extremæ quoq; partes cõſtringẽdæ, & pectẽ ex ſpongijs poſca imbutis irri gãdus. Vrgẽte malo ſummè proſunt cucurbitulæ ilijs ac lum- bis affixæ. Poſt irrigationes cataplaſmatis ex polygono, ru-

Cauſæ. Signa. Curatio.

bo, plantagine, balaustijs. Itē ceratis ex hypocisthide, acatia, bolo armenia, et ijs similibus in capitibus De sanguinis sputo, & dysenteria cōmemoratis. Vesicæ infundēdus polygoni, plātaginis, aut millefolij succus, cōmixtis acatia, bolo armenia, pastillis è spodio, et similibus. Insessus etiā ex cōsimili materia cōstructi cōueniūt. Nam et posca, & lētisci decoctum, itemq; rubi, ac similiū eis cōuenit. Danda quoq; in potu medicamēta eductioni sanguinis apta, ut sunt rheū ponticū tenuißimè tritū, et pæoniæ grana rubra duodecim, terra lēnia, hippuris, cētaurij magni radix, thuris cortex, & similia. Cæterùm qbus sanguis in uesica, in grumos cogitur, primū tentandū est ut medicamētis cōueniētibus dissoluatur ac diffundatur. In potu itaq; præbēda est artemisia, elichrysum, absinthiū, abrotonū, ramēta uitis, raphani semē, leporis aut hœdi coagulū, unūquodq; cū oxymelite. Imò ipsum oxymeli per se exhibitū, mirificè prodest: grumos enim dissoluit, ut subinde paulatim cum urina prodeant. Extrinsecus autē balnea, unguenta, irrigationes, & alia quæ relaxandi uim obtinent adhibenda, quæ sanè singula ex capite De renū calculo sunt petēda. Præter cætera uerò ceratum hoc plurimum cōfert, quod accipit: Oleorū liliacei & chamæmelini, utriusq; ℥ 1. ß. calaminthæ, cumini, foliorū sambuci singul. ʒ 1. bituminis iudaïci, ammoniaci, utriusq; ʒ 2. coaguli leporis ʒ 3. abrotoni, farinæ seminis fœnogræci: utriusq; ℥ ß. ambar subalbidi, sperma cœti uocāt. ʒ 1. cū resina et cera quod satis est, fiat ceratum, quod pectini imponatur. Quòd si hoc modo nihil ꝓficias, sed urina supprimatur, neceßitatē inducet catheteris adhibendi. Per quē ubi urinā eduxerimus, rursus quæ dicta sunt in potu exhibeamus, & extrinsecus quæ grumos dissoluūt admoueamus. Si uerò neq; sic grumi dißoluantur, ad sectionem, haud secus quàm uesica calculo laborante ueniendum.

[Margin notes: Sanguinem educentia medicamēta. — Grumos sanguinis dissoluentia. — Localia. — Ceratum.]

De

De inflammatione vesicæ. Cap. XLIII.

MOrborum qui circa uesicam oboriuntur grauißimus & maximè mortalis inflammatio existit. Cõsequuntur ægros hæc signa. Febri acuta infestantur, uigilant, delirãtes aliena loquuntur, uomunt biliosa pura & urinã reddere non possunt. Durus fit pecten, & pubes cũ uehementi dolore, & egerendi appetẽtia, ueluti in tenesmo fieri solet. Quod uerò egeritur tenuè est, & subsidentiã non habet. Aliquando etiã inflationes sequũtur, & aluus adstricta est, intestino recto ab inflammatione uesicæ cõpresso. Sic laborantibus si nihil aliud ꝓhibeat, citra cunctationẽ uenã poplitis secato, uel ex malleolis sanguinẽ detrahito. Victus quoq; rationẽ, perinde atq; in alijs inflammationibus tenuem adhibeto. Vino deniq; abstinendum, atq; aqua in qua parum cinnamomi decoctum sit, utendum. Extrinsecus ea sunt adhibenda, quibus leniẽdi ac mitigãdi dolores potestas inest. Quapropter oleo in quo anethum, lini semen, interdum etiã ruta & althæa incocta sint, uesicæ locus irrigandus. Frigida autem & reprimentia medicamenta prorsus admouere nõ oportet: idq; primum quod uesica neruosa admodum sit. frigidũ enim, Hippocrate teste inimicũ neruis. Dein quòd frigida occludãt et stringant, atq; adeò urinæ suppreßionẽ, quæ huic malo sua spõte accidit, augeant. Postremum quòd frigida, ne humores inflãmationẽ efficientes discutiantur aut concoquantur, prohibeant. Quare potius mediocriter calida sunt admouenda, quæ quidem dolorem leuare possunt, urinæ fistulam & meatum laxare, atq; inflammationẽ discutere. Clysteribus quoq; lenibus ac mollibus aluus subluatur, & post stercorum eductionem oleum anethinum, aut tale aliquod, leniendi doloris gratia inijciatur. Præstat autem & papaueris calycem

Signa. Curatio. Localia. 5. Aph. 18. Clysteres

ſimul cum oleo incoquere, & adipem anſerinum aut gallinaceum recentẽ in ipſo oleo eliquatum ſimul infundere. In uehementiori dolore ſolutam in oleo anethino drachmã unam pilularum de cynogloſſa infundere oportet: aut opium cum myrrha & croco lanæ illitum in podicẽ indere. In decoctum itẽ ſeminis lini, fœnograeci, radicis altheæ, ſeminis dauci, & ſimilium inſideat æger, admoueaturq; quo in aqua decocti deſidens mingat. Veſica enim nõ ſatis robuſta eſt ad amplectendã expellendamq; urinã: quare ipſum ægrum, aut aliquẽ ex adſtãtibus ſcitè ac placidè pectinẽ premere oportet, neq; id ultra modũ, ne dolor inde intendatur. Cæterùm poſt clyſteres & inſeſſus, fomentis etiã per aquã calidã, & oleum in ueſicis bubulis aut alijs uaſculis ſemiplenis admotis utendũ: aut ſacculis, ut in capite de pleuritide eſt oſtenſum. Quòd ſi neq; ſic malum ceſſet, cucurbita unà cum ſcarificatione locis afflictis affigenda erit. Porrò abſtinendum ab ijs, quæ urinã uehementer citant, potioq; multa uitanda. Vbi euidens declinatio apparuerit, ad ea quibus diſcutiendi & emolliendi uis ineſt, de quibus iam ſæpè dictũ eſt, tranſeundum. Catheteris immiſsione ueſica inflãmatione laborante nõ facilè utendum, in uiris potiſsimũ: cum enim nõ niſi laborioſè immitti queat, dolores exacuit, & inflammationẽ auget: uerũ in mulieribus ipſum adhibere nihil abſurdum, breuis enim in ipſis urinæ meatus exiſtit, & rectà ſitus, ut citra dolorem hoc molimen admittant. Si uerò urinæ ſuppreſſæ periculum admodum urgeat, neceſſariò in uiris etiã ad catheteris uſum confugimus: non ſanè quod mali moleſtiam tollat, ſed ut potius urgentem urinæ ſuppreſsionẽ corrigat, & à præcipiti periculo liberet. Poſt urinæ prolectationem rurſus ad auxilia quæ dolorẽ leuant ueniendum, uſq; quo inflammatio ſoluatur aut ſuppuretur. Solet autem ſæpè inflammatio repente ſolui, eryſipelate

Fomenta.

Cucurbita

Catheteris immiſsio.

late iuxta cutis superficiem oborto, & permanēte, neq; rursus intro recurrente. Imò & urina multa eiecta sæpè iudicatum est malum. Nihilominus tamen etiam si hæc apparent, iisdem remedijs insistere oportet: quandoquidē ut plurimum tensione perfecta oborta, continuæ exacerbationes, fiunt, & mali constitutio diuturna. At uerò ubi periculosæ accessiones ceßarint, & morbi constitutio iam fuerit inueterata, ad unguenta quæ humores ex profundo euocant & transferunt, & ad emplastra quæ cutem rubefacere poßunt, transeundum est. De quibus alibi diximus.

De vlceribus vesicæ & eius ceruicis. Caput XLIIII.

Exulceratur uesica aut propter abscessum, aut tuberculum quod præceßit, aut rupturam, aut fluxionis erosionem, aut aliā similem ob causam. Causæ. Aegros comitatur dolor uesicæ acutus omni quidē tempore, mictionis & excretionis puris. Signa. Et ubi sordida fuerint ulcera, fœculenta simul excernuntur & mucosa, & quæ crassam subsidentiā instar farinæ habent. Interdum autem & pelliculæ tenues instar foliorum & lanarum cum urina excernuntur. Si uerò serpendo depascant ulcera, subcruenta excernuntur, & saniosa, & fœtētia. Ad hæc accedunt difficultas emittendæ urinæ & pudendi arrectio ac petulantia. Dolor uerò non solū cùm urinæ meatus fuerit exulceratus, sed & quum in profundo exulceratio cōsistat. Cognoscetur autem num in profundo exulceratio sit, aut iuxta urinæ meatum fistulam'ue, ex eo, quòd si amplitudine uesicæ fuerit, dolor circa pubem consequatur. Sin iuxta ceruicem uesicæ ulcera existant, tempore mictionis tantū, & maximè ubi mingere inceperint ac desierint, dolor sentitur: atq; id amplius contingit, si urina sit acrior. Qui hoc malo

affliguntur, ij aut aßiduè decũbunt, aut erecti stare nequeũt, neq; reclinati quiescunt. Ab immenso ac cõtinuo dolore, febribus, uigilijs, & colliquatione perimũtur: alij quidẽ citius, alij tardius. Cæterùm insanabilia, aut saltẽ curatu difficillima sunt uesicæ ulcera, tum quia ipsa neruosa est, tum etiam quia ulcera eius urina, quæ natura acris est, aßiduè cõtingat, atq; adeò erodat, nec glutinare permittat. Et si enim plurima excernitur urina, tamen uniuersa uesica euacuari non potest, sed semper ex urina quippiam in ipsa relinquitur, quod aßiduè ulcera contingit. Imò cum urinæ copia euacuatur, tum uesica contrahitur atq; concidit, ut quod in ea relictum est quantũuis exiguũ, idipsum omnes eius partes cõtingit. Verũ cum sæpè etiã præter expectationẽ quædam eueniant, cura aggredienda est, per quam, si nihil aliud, certè accessorij dolores minuentur. Primũ igitur persuadendũ est laboranti, ut decumbat, & in lecto quiescat, idq; maximè ubi febres simul adsunt. Deinde remedia febribus intermittẽtibus adhibenda. Maximũ uerò hic fuerit lactis potus, neq; post ullũ aliud remediũ secũdo loco id habendum. Nã & asperitates lenit, & ulcerationes eluit, malũq; extergit. Reliqua uerò uictus ratio talis sit, qualis ea quæ in renum exulceratione adhibetur. Per medicamenta etiã ægrũ cõsolari oportet, ne urina acris generetur, quæ mordeat, & irritet ulcera. Et si quidẽ cum inflãmatione exulceratio cõsistat, cataplasmata ex lini semine, & fœnogræco, aliaq; quæ suprà in capite de uesicæ inflammatione dicta sunt, apta erũt. Porrò si exulceratio pascendo serpat, subadstringentia extrinsecus imponẽda sunt medicamẽta, atq; hæc quidem calida, ut scilicet ob calorem partes circundolitantes leniendo iuuent, ob potestatem uerò ipsorum uicinos locos depascere prohibeant. Sunt autẽ adstringentia medicamenta, gallæ, malicorium, alumẽ, acatia, hypocisthis, & si

Insanabilia aut saltẽ curatu difficillima cur vesicæ vlcera.

Curatio.

Adstringẽtia medicamenta.

& similia sæpè antea, & alibi à nobis commemorata. Vtendum etiã ijs quæ per catheterẽ infunduntur medicamẽtis. Infundẽdum autẽ exulceratis atq; adeò exasperatis locis lac recens mulctum, aut optimũ rosaceum tepidũ. Si uerò nihil horum adsit, aqua dulcissima tepida assiduè infundenda, mordacitatis potissimum tẽpore instante. Per sedem quoq; ptisanæ succus, aut decoctum ex semine lini, cucumeris decorticati, fœnogræci, maluæ, aut lac cum rosacco infundendum. Porrò ubi clysterem adhibere uis, ei qui uesicam habeat malè affectam, non supinum ipsum decumbere oportet: nõ enim permittit uesica infusum intrà transire, utpotè recto intestino incumbẽs: uerũ in genua pronũ reclinare hominẽ oportet, atq; ita infusum adhibere. In hac enim situs figura uesica secedit, & intestinum laxat, quo infusum assumere queat. Frequenter autem & in aquam calidam desideat æger, & in decocta relaxantia: nam hæc dolores leniunt. Atqui ubi ulcera iam pascendo serpunt, per catheterem in uesicam inijcienda sunt, quæ depastionem sistere possunt: ut sunt acatia, hypocisthis, terra lemnia, bolus armenia, & alia paulò antè commemorata. Quòd si uerò sordida sint ulcera, medicamenta infundenda sant, quæ expurgandi & abstergendi facultatem obtinent, uelut est mulsa dilutissima, uel lac cum paululo mellis, uel cum cucumeris semine decorticato. Si uerò acrimonia consequatur & mordacitas, lac recens mulctũ cum optimo amylo infundatur, aut pompholyx pluribus aquis elota & exiccata, atque subinde cum lacte diluta. Cùm uerò expurgata fuerint ulcera, iuuare oportet ut ad cicatricem perducãtur, atq; id per insessus adstringẽtes, & eiusdẽ facultatis emplastra, fomenta, & irrigationes. Cæterùm si multo tempore exulceratio duret, quemadmodum magna ex parte accidit, tunc sanè & exacerbationes, & interualla, siue

Figura sit in exhibẽdis clysteribus in hoc malo.

Si exulceratio diu duret.

ſiue remißiones, ægros apprehendunt. Quare in exacerbationibus, quidem cataplaſmata, & irrigationes leniendi uim habentia admoueantur. Remißionis uerò tempore, ijs quæ malum deſtruere poſſunt utendum. Pectinem itaque rubefacientia ac ſinapiſmi imponantur, ac uictus ratione uiribus

Si non mãſueſcat malum. reparandis idonea æger utatur. Quòd ſi non manſueſcat malum, cruſtas circa pubem infligere oportet, aut per medicamenta, aut per ferrum, ſinereq; ut multo tempore ulcera ſe

Dolorẽ leuantia medicamenta. per effluxionem expurgent. Non ineptè uerò medicamenta dolorem leuantia in potu exhibueris, ſi uehementes inſtent dolores. In hunc ſanè uſum, præter cætera quæ alibi produximus, conueniunt paſtilli de halicacabo cum opio. Plurimũ etiam exulcerationis dolorem mitigant ſemen cucumeris, maluæ, papaueris albi, tragacãtha, amylum, nuces pineæ, &

Mixtura. amygdalæ. Poteſt itaq; hoc medicamentum exhiberi, quod accipit: Sacchari uiolacei ℥ 3. ſeminis maluæ ʒ 2. quatuor ſeminum frigidorum maiorum, ſingul. ʒ 1. glycyrrhyzæ raſæ ʒ 1. ß. gummi ℈ 2. boli armeniæ ʒ ß. paſtillorum è terra lemnia ʒ 1. cum ſerapio è glycyrrhiza in unitatẽ coëant. De eo quotidie in aurora exhibeatur quantitas nucis auellanæ. Porrò in ueſicam quoq; inijcienda quæ dolores leuant, & exulcerationem ſanant medicamenta.

De ſtillicidio vrinæ. Cap. XLV.

Stranguria. Στραγγουρία Græcis, ſtillicidium urinæ Latinis dicitur, & nihil aliud eſt quàm ubi paulatim & guttatim urina deſtillat, atq; aßiduã ad mingendũ irritationẽ fa-

Cauſę. cit. Accidit propter urinæ acrimoniã, uel exulcerationẽ ueſicæ, uel abſceſſum iecoris aut renum, qui ruptus, pure ad ueſicã trãslato, propter acredinẽ eiuſdẽ, aßiduã ad mingendum

Signa. irritationẽ inducit. Porrò acrimoniã eſſe cauſam iudicabis,

ſi urinæ

ſi urinæ biliosiores ſint, totusq́; corporis habitus, uel etiam reliquæ notæ, bilem, teſtantur, & mordacitas circa ueſicã cõtingat. Veſicæ autem exulcerationem, perinde atq; renũ & iecoris abſceſſum ex notis in ſuperioribus comemoratis cognoſces. Si itaq; ob acrimoniã urinæ ſtillicidiũ accidat, tum ſanè exuperantem uitioſum humorẽ quàm celerrimè purgare oportet. In quẽ uſum præter ea quæ iam ſæpè dicta ſunt, mirificè confert ſerum lactis cũ caſia fiſtulari, aut aliud medicamentum quod bilem educit. Humore bilioſo euacuato, cibis cõtemperantibus, & acrimoniã obtundentibus utendũ: ut eſt ptiſanæ cremor, malua, portulaca, uiola, cucumeris ſemina, & eiuſmodi. Ab omnibus autẽ acribus & ſalſis abſtinendum, uino præterea, exercitijs, ira, & tarda comeſtione: hæc enim omnia bilem in corpore aceruant. Piſcibus utendum ſaxatilibus, & balneo aquæ dulcis, quod mirificè humores uitioſos cõtemperare ſolet. In potu plurima aqua dulcis calida exhibenda, aut decoctum hordei, cum ſerapijs uiolaceo & roſaceo. Vinum uerò, ut dictum eſt, nõ præbendum, niſi dulcius, & dilutum. Optimum eſt etiã ipſum lac calidum potatum. In ſumma, quod ad uictus attinet rationẽ utendum cibis humectantibus, ac aluũ emollientibus iuſculis. Cæterùm æger aſſiduè ad mictionẽ cogendus. Si enim acre recrementũ diutius in ueſica moretur, partes ipſas erodit, & exulcerat. Quinetiã ad obtundendã humorũ acrimoniã medicamentũ quod in fine capitis præcedẽtis deſcripſimus porrigendum. In eundẽ uſum præbendum decoctum glycyrrhizæ, aut puluis ille qui habet: Seminum melonis excorticati, citruli, cucumeris, ſing. ℨ 3. ſeminũ cucurbitæ, portulacæ, lactucæ, ſingul. ℨ 2. roſarum purpurearum ℨ 1. ſucci glycyrrhizæ, glandiũ, utriuſq; ℨ 1. ß. terãtur ſingula, & fiat puluis tenuiſſimus, de quo detur quotidie pondus ℨ 1. ß. in aurora, ex ſarapio

Curatio. Victus. Puluis.

è gly

Terebinthina resina. è glycyrrhiza aut zulapio uiolaceo aut rosaceo. Suprà modum etiã cõducit terebinthina resina, lota in aqua stillaticia rosacea, aut intubi, nucis ponticæ magnitudine, aliquãdo duarũ trium'ue accepta. Hæc enim, ut testatur Gal lib. 5. De tuẽda sanitate. nõ solũ aluũ citra noxã soluit, atq; adeò acres humores ab urinarijs meatibus auertit, uerumetiã uiscera, renes potißimum, abstergit. Et fuerũt qui huius tantũ usu sanitatẽ recuperarũt. Non parum etiã prosunt clysteres ex decocto maluæ, uiolarũ, althea, foliorũ salicis, nymphea, & alijs suprà cõmemoratis parati, adiectis casia fistulari, saccharo, & oleis uiolaceo & rosacco. Quòd si uerò acrimonia adhuc augeatur, etiã per colẽ lac ipsum cũ amylo in uesicã inijciẽdum. In eum etiam usum decoctum papaueris albi inijcere oportet. Extrinsecus pubes oleis, uiolaceo, nymphea, adiecta caphuræ exigua quãtitate, inungẽda. Si uerò stillicidium urinæ ob uesicæ exulcerationẽ, aut aliã corporis partẽ malè affectã, & semper urinã expurgantẽ accidat, manifestũ est illis priorem curam deberi, sic tamen ut præsens malum haud negligatur. Curationes autem uniuscuiusq; partis ex proprijs locis ac capitibus studiosis petenda erunt.

Clysteres.

Localia.

De difficultate vrinæ. Cap. XLVI.

Disuria.



Υσουρία Græcis, urinæ difficultas Latinis appellatur. Et est malũ in quo urina ægrè & difficulter excernitur. Fit ob uesicæ imbecillitatẽ, atq; adeò frigidam eiusdem intemperiem, quæ actionẽ eius lædit. Interdum etiã propter pituitosos atque adeò crassos humores uesicæ ceruicem obstruentes accidit. Frigidam intemperiem, si à causa extrinseca facta est, ex ægri sermonibus cognoscere oportet, & urinæ tenuitate & albore. At si præter alborẽ, etiã craßicies in urina appareat, pituitosus humor censendus est qui

Causæ.

Signa.

uesicæ ceruicē, ut dictū est, obstruxit. Frigida intēperies per ea quæ calefaciūt curatur. Cibis itaq; calefaciētibus utendū, uino quoq; calido, & condito. Medicamētis præterea urinā cientibus, ut est pastinaca probè cocta, fœniculū, apiū, asparagus, hipposelinū, & similia. Vrinā etiā cōmodè cient cancri, & herinacei terreni. Carnem enim illorū exiccare oportet, & drachmæ pondus in potu accipere. Aromatū deniq; decocta in potu exhibēda, aut antidota ex ijs confectis, atq; adeò ab illis denominatis. Præter alia uerò summè cōferunt antidotus diacalaminthes, dialachæ, & diacurcumæ. Theriaca quoq; in potu data mirificè conducit. Extrinsecus pectinē oleis calidis, rutaceo nimirū, anethino, liliaceo, scorpionum, & de castoreo fouere oportet. Admouēda etiā fomēta, & sacculi ex chamæmelo, abrotono, betonica, artemisia, ruta, calamintha, sabina, & similibus herbis cōpositi. Aegrum etiā oportet in prædictarū herbarū decoctū desidere, ac imū uentrē cōtegere, & calefacere. Interdum etiā proderit per sedē earundē herbarum decoctum, oleis admixtis calidis, infundere. Si uerò frigidus & pituitosus humor difficultatem urinæ fecerit, tūc oxymelite utendū erit, & decoctis hyssopi, pulegij, origani, thymi, & similiū suprà sæpè cōmemoratorum. Item usus sit quoq; fomentorū, irrigationum, & sacculorum calidorum, de quibus paulò ante, & in præcedētibus capitibus, diximus. Præterea siue crassus humor, siue calculus, siue grumus, siue aliud eius generis obstruēs urinæ trāsitum impediat, catheterem indere ex usu est, nisi particulæ, quod suprà etiam monuimus, inflammatio impediat.

Curatio frigidæ intemperiei.

Extrinsecus admouenda.

Fomenta.

Curatio pituitosi humoris obstruentis.

Topica.

Catheterem quādo vtēdum.

De suppreßione vrinæ. Cap. XLVII.

ΙΣχουρία Græcis suppreßio urinæ Latinis, malum est in quo ægris in totū urina supprimitur ac cohibetur. Accidit hæc

Ischuria.

Causæ.

Vesicæ imbecillitas. Crassi humores aut lapis. Tumores præter naturam. Caruncula aut callus. Grumus sanguinis. Pus. Obtusus vesicæ sensus. Longa urinæ detentio. Signa imbecillitatis vesicæ. Crassorum humorum. Lapidis. Tumorũ.

hæc interdum propter uesicæ imbecillitatem, ea quæ in ipsa continentur arctè cõplecti ac exprimere nequeuntis. Interdum etiã obstructo inferiori eius meatu, aut à craßis humoribus, aut lapide impacto. Nonnunquã uerò superuenire solet uel ab inflammatione, uel scirrho, uel alio quopiã tumore præter naturã, angustiorem reddente meatum, uel etiã omnino obstruente. Quandoq; etiã ob carunculam, aut callum in meatu natum. Sanguis quoq; in grumos concretus in uesica, suppressæ urinæ causa existit. Pus item per ipsam uesicam à renibus, aut iecinore, aut alia quapiã superiore parte excretum, urinæ suppreßionem efficit, perinde atq; humor crassus atq; lentus. Accidit etiã interdum propter obtusum uesicæ sensum, ut non reddatur urina, citra tamẽ expultricis facultatis læsionem, ubi scilicet proprij eius nerui patiũtur. Sic Galenus cuidã, torpente ob malè affectos neruos uesicæ sensu, suppressam fuisse urinã tradit. Quũ enim inter dormiendum non sentiret homo uesicã impleri, ipsa extensa, nihil excernere potuit. Sic sanis etiã quibusdã accidit, aut urgẽtibus negocijs, uel in cõcionibus, uel senatu, uel foro, uel conuiuio: tum enim retenta longo tẽpore urina, extẽditur uesica, atq; urina cohibetur, cõtractrice facultate læsa, propter immoderatã tensionẽ. Imò quantò ipsius uesicæ amplitudo repleta circũtenditur, tantò angustior seipso fit meatus. Quæ omnia fusius prosequitur Galenus lib. 1. De locis malè affectis, cap. 1. & lib. 6. cap. 4. Cæterùm si propter uesicæ imbecillitatem fit urinæ suppreßio, ex ijs quæ frigidam eiusdẽ intemperiem notis monstrãt, cognoscitur. Si à craßis humoribus ex uictus ratione quæ præceßit deprehenditur. Siquidẽ in ocio educatus multis cibis, qui crassos & lẽtos humores generare possunt, usus est. Si à lapide, ex notis quæ suprà in peculiari eius capite dictæ sunt, agnoscẽdum. Si ab inflammatione, aut alio tumore

tumore, dolore, febre, ac uisu dignoscitur. Vbi ob carunculã aliquam, aut callum suppreßio urinæ orta fuerit: ex præcedentibus ulceris notis, & ex eo quòd traiecto cathetere urina uacuatur, intelligi potest. Immissus etiã catheter in ea uidelicet meatus parte, ubi antea ulcus esse cõijciebatur, dolorẽ mouet, fractaq; sub cathetere carne sequũtur cum urinæ excretione & cruor & carnis fragmenta. Si grumi obturationem fecerint, sanguinis præceßit excretio & effluxio. Vbi uerò pus obstruxit, ex præcedentium noticia scire licebit. Nam uel uesica, uel renes antea malo aliquo laborauerũt, per quod tale tantũq; pus colligi potuerit: aut in parte aliqua renibus superiore fuit abscessus, quo erupto pus in renes, & subinde in uesicã transsumptũ est. Reliquæ causæ è sermonibus ægrotantis possunt cognosci. Curandi ratio pro causarũ diuersitate uariatur. Si enim propter uesicæ imbecillitatẽ urinæ suppreßio contingat, calefacientia, ut in capite præcedenti est dictum, adhibenda erunt. Omnino enim frigida intemperies, quæ actionẽ uesicæ deijcit, amouẽda. Si autẽ à craßis & lentis humoribus urinæ retentio oriatur, fomẽtis, inceßionibus, ac cataplasmatis ex herbis calidis & incidẽdi facultate præditis compositis, similiq; uictus ratione curãda erit. Præterea autẽ quæ in capite præcedenti De urinæ difficultate commemorata sunt ad mali amolitionẽ unicè confert hoc unguẽtum, quod habet: Oleorũ scorpionis, nardini, liliacei, singul. ℥ 3. sagapeni, bdellij, opopanacis, singu. ℈ 2. pinguedinis anseris, anatis, utriusq; ʒ ß. radicis helenij ℈ 2. pulegij, calaminthæ, utriusq; ℥ ß. dissolutis gummi in uino, cum cera quod satis est fiat unguentũ. Vesicæ etiam inijciendum per siringam oleum scorpionũ, aut liliaceũ, aut aliud quod crassos humores dissoluere ac incidere potest. Si à lapide aut grumis suppressa urina fuerit, curatio ex ꝓprijs capitibus petẽda erit.

Carunculæ aut calli.

Grumorũ.

Puris.

Curatio.

Si propter vesicæ imbecillitatẽ

Si ob crassos & lẽtos humores.

Vnguẽtũ.

Si à lapide aut grumis.

Lapis enim q meatũ urinariũ obstruit, è loco mouẽdus, quẽadmodũ dictũ est cap. 41. huius libri. Grumi uerò dissoluẽdi, ut dictum est cap. 42. Si propter inflãmationẽ uel aliũ tumorem præter naturã urina supprimitur, curatio itidẽ ex proprijs petenda capitibus erit. Quòd si ob carunculã aut callũ retenta urina fuerit, balnea & alia remedia relaxãtia, ac urinæ fistulã dilatãtia admoueantur, quorum formulæ ex capite De calculo renũ petãtur. Quòd si ita nõ procedat, ad catheterũ usum cõfugiendũ perq; hoc ipsum instrumentũ immissum urinæ plectandæ. Si propter obtusum uesicæ sensum urina supprimatur, irritãdo admonere ac excitare eius actionẽ oportet, & per insessus, fomenta, & alia calida medicamẽta quæ torporẽ eius auferre poßunt, succurrẽdũ. Vitanda tamẽ sunt unicè ea quæ urinã mouent, ne scilicet copia eius uesica distendatur, atq; adeò cõtractrix eius facultas lædatur. Nitro præterea, aut pediculo uiuo, aut alio quod excretoriã uesicæ facultatẽ irritare potest, urina prolectanda. Excretoria etiã facultate malè affecta, Galeno lib. 1. De patiẽ. loc. cap. 1. teste, æger sic figurandus, ut decliuis sit ceruicis uesicæ positus, ac manibus suprà pubẽ admotis, urina sensim, cõprimẽdo tumorẽ præter naturã, expellenda. In sanis autem, quum ob negotiorum importunitatẽ urina diutius retenta uesicam imbecillam ac debilem rediderit, auxiliari ipsi oportet ambabus manibus suprà pubem, ut iam comprehensum est, admotis, & urina sensim ac paulatim exprimenda.

Marginal notes: Si propter tumores præter naturam. — Si propter carũculam aut callũ. — Si propter obtusũ uesicæ sensũ. — Vrina ut plectanda. — Si in sanis retẽta fuerit urina.

De exulceratione pudẽdi. Cap. XLVIII

Naturalium ac pudendorum ulcera citra inflammationem oborta, medicamentis indigent quæ uehementer resiccant: cuiusmodi sunt charta combusta, anethum aridum ustũ, & aloë arida in puluerẽ redacta, quo sanè remedio

Marginal note: Aloe arida.

dio uix aliud præsentius reperies. Radix etiam pistolochiæ, quam uulgus herbariorum rotundã appellat aristolochiam, præsens exulceratis pudendis remedium adfert. Porrò inter composita quidẽ medicamenta hoc est efficacissimum, quod habet: Aloës iecinorariæ ℨ 2. gallæ ℨ 1. ß. sanguinis draconis, boli armeniæ, põpholygis, singul. ℨ 1. radicis pistolochiæ ℨ ß. myrrhæ ℈ 1. gũmi arabici uocati ℨ 2. aluminis usti ℥ ß. Cõtritis omnibus fiat puluis subtilis, qui partibus exulceratis inspergatur. Quòd si humidiora ac sordidiora ulcera fuerint, primùm dilutiore mulsa, mox lacte caprino abstergantur. Quo peracto, puluere iam dicto utendum, aut lapide hæmatite, aut thure, aut malicorio, aut lemnia terra, in puluerem redactis. Si simul inflammatio accesserit, hæc primùm remouenda erit, linteis in aqua stillaticia rosarum purpurearum, aut solani, aut aïzoli, aut portulacæ, adiecto oui candido, madefactis, & loco patienti admotis. Reliqua remedia ex alijs petenda capitibus erunt.

Puluis optimus.

Absterfio vlceris.

Inflammationis remotio.

De priapismo. Cap. XLIX.

PRiapismus, autore Galeno lib. 6. De malè affectis locis, cap. 6. est quũ genitale membrũ & in longitudine, & in latitudine augetur, nullo stimulãte ad libidinẽ aut desiderio, aut acquisito calore. Quòd si pudendi accedat palpitatio, tũc Satyriasis dicitur. Appellationẽ autẽ hoc malũ accepit à Priapo, quẽ suapte natura huiusmodi pudendũ habentẽ finxerũt & pinxerũt homines. Fit hoc malum, ut eodẽ in loco testatur Galenus, uel ob arteriarũ ora immodicè patẽtia, uel uaporosum spiritum in fistuloso neruo ortũ. Cerbrius tamẽ ora arteriarũ patẽtia seqtur. Quippe facilius est hæc distẽdi, quàm flatuosum spiritũ in neruo fistuloso generari. Nã calefactis lũbis, par est ut & arteriæ calidiores reddãtur, &

Priapismus.

Satyriasis.

Causæ.

magis etiã pateant ipsorũ ora: quamobrẽ non exiguam tunc spiritus essentiã in fistulosum neruũ effundũt, qui paulatim impletus colem extendit, ita ut tota ipsius essentia in fistuloso neruo consistere uideatur. Aliquando malũ hoc accidit ijs qui longo tempore præter consuetudinẽ à concubitu abstinent: atq; hoc potißimũ ijs euenit qui plurimo sanguine abũdat, & nõ student ut multa exercitatione sanguinis abũdantia dißipetur, ut copiosius loco iam citato Galenus ostẽdit.

Signa. Qui hoc malo laborant, perinde atque ij qui distensione neruorũ correpti sunt dolent: inflatum enim & distentũ pudendum conuulsionis modo afficitur. Sic conuulsi celeriter pereunt, nisi confestim eis auxiliũ feratur. Quum uerò moriuntur, uentre inflantur, & frigidum exudant.

Curatio. Curãdi ratio pro causarũ diuersitate uariatur. Si enim propter patentia arteriarum ora, atq; adeò earundẽ caliditatẽ malũ accidat, protinus uena secta sanguinem mittere conuenit. Quod etiam faciendũ erit, ubi malũ hoc comprehendit eos qui sanguine abundant, & longo tempore præter consuetudinẽ uenere abstinent. Secanda uerò est uena nigra, quam mediam etiam uocant. Vtendum quoq; uictu tenui, & à uino abstinendũ. Cibũ autem exhibere frumentaceum paucũ, atq; omnino nihil inflantem, & sitim indicere, potuq; aquæ uti cõuenit. Exercitium, frictioq;, spiritibus rectè discutiendis adhibentur. Vacuationem etiam per uomitũ moliri expedit.

Clyster. Aluum autem obturatam & adstrictã clysteri non admodũ acri, qualis est qui ex betæ, maluæ, & mercurialis decocto fit, submollire oportet.

A purgantibus in hoc malo abstinẽdũ. À purgantibus autem medicamentis in totum abstinendum, ne deorsum trahãtur humores. Eadẽ de causa cauenda quoq; quæ urinæ ciendæ facultatẽ habent.

Sũma curationis. In summa annitendum, ut ea medicamenta adhibeantur quæ redundantiam euacuare, & sursum trahere, atq; adeò à pudendo

dendo auertere humores posunt. Quòd si diutius malũ durat ac prorogatur, cucurbitulæ cum scarificatione affigẽdæ sunt. Si uerò plenitudo adfuerit, hirudines adhibendæ. Lũbis uerò quæ euidenter refrigerant imponenda, ut est solanum, portulaca, hyoscyamus, & semperuiuum. Necessariò etiam pudendũ, & intercapedo inter anum & pudendum ex aliquo succo & liquore herbarum leniter refrigerante illinitur. Optimè autem facit in ipsis ceratũ ex rosaceo optimo apparatum, & frigida aqua sæpè elutum, si tum pudendo, tum lumbis imponatur. Eius autem cerati quod liquidũ uocatur, cõstructionem docet Galenus libro primo De simpl. medicament. facult. cap. 6. Et lib. 10. Ther. Method. cap. 6. Ceratum hoc confert, quod habet: Ceræ albæ decies in aqua frigida lotæ quar. 1. caphuræ ʒ 2. Commixta redigantur in formam cerati. Quid multa? adhibenda atque in potu etiam exhibenda ea medicamenta, quæ semen extinguere possunt. De quibus copiosè in cap. sequenti De profluuio seminis dicemus. Porrò supino cubitu conquiescere nociuum, at in latus decumbere ipsos ex re est. À spectaculis uerò & narrationibus, ac commemoratione eorum quæ ad uenerem excitant penitus sunt arcendi. Si malum hoc ob uaporosum spiritum in fistuloso neruo natum accidat, ad eiusdem dissolutionem tota curatio cõuertenda erit. Quare ad caput De curatione inflationis uentriculi, & coli doloris flatuosi recurrendum: illic enim remediorum copiam reperire est.

Si diutius malum duret

Ceratum liquidum.

Ceratum.

Decubitus qualis sit.

De seminis profluio. Cap. L.

Γονοῤῥοία Græcis, seminis profluuiũ Latinis dicitur. Est enim seminis præter uoluntatem, citraq; pudendi tentiginẽ excretio. Fit propter retentricis in uasis seminarijs facultatis imbecilitatem, aut ob aliud malum, quod

Gonorrhœa

Causæ.

seminariorum uasorum partes eodem modo, quo expultrix secūdū naturā facultas mouet: ueluti in comitialibus, & alijs uiolentioribus cōuulsionibus cōtingit. Oboritur autē aliquādo etiā ex seminariorum uasorum fluxione. Semē quod profluit aquosum est, tenue, citra coeundi appetentiā, &, ut plurimum quidem, citra sensum, quandoq; uerò cum uoluptate quadam promanat. Corrumpitur hoc malo affectis sensim uniuersum corpus ac gracilescit, praesertim circa lumbos.

Signa. Cōsequitur & debilitas multa, nō ob seminis multitudinem, sed ob locorum principatum. Et si pudendo nō intento euenerit, retentricis in seminarijs uasis imbecillitatē sequitur. Si uerò intento pudendo contigerit, conuulsioni quodammodo simile malum erit. Non uiris tantum, sed & foeminis malum hoc accidit, & in foeminis quidē aegrè tollitur.

Curatio. Curandi ratio communis est cum ea quae in omni fluxione adhibetur. Primum igitur in quiete, pauco cibo, atq; aquae potu aegros adseruare oportet. Deinde etiā lumbos & pubem contegere lanis uino et rosaceo, aut melino madefactis. Neq; uerò ineptae sunt spongiae posca imbutae. Sequētibus uerò diebus cataplasmatis, emplastris & unguentis ex palmis cotoneis, acatia, hypocisthide, rhoe, & similibus, suprà saepè cōmemoratis, utendum est. Insessibus quoq; adstringētibus ex rubi, plantaginis, myrti, & id genus aliorum decoctis paratis uti oportet. Decoquēda uerò praedicta in uino austero, aut etiā aqua. Ciborū qui aegrè corrumpuntur, & difficulter permutātur, & resiccādi uim habent usus sit. Dandum etiā cum cibis ac potu agni seu uiticis, & cannabis semē, praesertim tostū: rutae item semen & folia, lactucae semē & caules, ac nymphaeae radix. In potu uerò quotidie pro aqua communi, aqua in qua ferrum saepè extinctū est praebeatur. In summa, acrium rerū usum & multi uini potum, & oleorum exhibitionem uitare

opor

oportet, uictusq; ratio uniuersa resiccatoria & adstringens constituenda est. Ea quoq; medicamenta quæ semen extinguunt propinãda, ut est agni semen tostũ & perfrictũ. Folia item eius & flores, venerẽ cohibere creduntur, non comesta tantũ, sed et in potu sumpta & substrata. Portulaca comesta & lactucæ semẽ potatũ, & nymphææ radix & semẽ in cibo accepta, semẽ refrigerãdo extinguũt. Ruta uerò comesta calore suo semẽ corrũpit. Calaminthã autẽ aßiduè edẽtes, generandi potentiã amittunt: id quod similiter & uiolæ albæ semen facit. Cæterùm aqua fabrorum ferrariorum, in qua ferrum sæpè extinctum est, aßiduè potata, citra molestiã imminuit semẽ. Porrò ex iam cõmemoratis medicamentis simplicibus uaria cõponi remedia possunt, hæc in primis tritura quæ accipit: Specierum diacumini, diacalaminthes, utriusq; ℥ i.ß. seminis agni, rutæ, utriusq; ʒ i. calaminthæ ʒ 2. seminis lactucæ, portulacæ, utriusq; ʒ i, sacchari æquale omniũ pondus. Misceantur singula, & fiat tritura, de qua ʒ i, aut ʒ i.ß. in uino austero diluto exhibeatur. Optimum quoq; esse censetur, laminã plumbeam lumbis supponere: multum enim refrigerare consueuit. In his uerò qui plumbi duritiẽ ferre non possunt, cõsulere oportet, ut ex prædictis paulò antè herbis quasdã arefactas sibi substernãt. Ad quẽ usum præter cæteras uiticis folia, ruta, calamintha, & rosa ipsa cõmendatur. Prosunt enim hæc, absq; id q d' renes lædãt. Vehemẽtes nãq; refrigerationes eorũ quæ lumbis subdũtur, renes iniuria afficiunt. Præterea stratũ ipsum nõ ualde molle sit. Decubitus ut plurimũ in latus fiat, euitata forma decubitus supina, ne lumborum arteriæ inde calefiãt. Post prima autẽ morbi tẽpora exercitijs ægrum cõmittere oportet, quibus totum corpus, & præsertim partes laborantes, confirmentur. Bonum etiã fuerit, si nihil aliud impediat, ad frigidã lauationẽ defugere,

Semen extinguẽtia.

Tritura.

Lamina plumbea.

Frigidæ lauatio.

quo omnem morbum ex fluxione ortum abigere consueuit: idq; maximè, si medicamētaria aliqua qualitate aqua sit prædita. Conuenit item per interualla quædam ijs quæ rubeface-re, eaq; quæ in profundo sunt ad superficiem transferre pos-sunt, uti. Omnē insuper de rebus uenereis cogitationē exclu-dere oportet.

De ijs qui re venerea vti non possunt. Caput LI.

Causæ. QVi mariti existunt, & re uenerea uti ac debitū uxori-bus exigentibus persoluere cupiunt, ignaua uerò & impotentia mēbra, propter frigidā qua laborāt intemperiem, aut aliā ob causam obtinent, ij infernas partes exercere debēt, & cibis calefaciētibus, bonumq; succum ge-

Victus. nerātibus, carnibus nimirum gallinarū, caporum, perdicum, phasianorum, iuuenum columbarum, auicularum mōtanarū, passerum maximè, gallorum testiculis, & similibus uti. Edu-lia uerò nō solum bene nutriētia, sed etiā flatuosa ipsis cōue-niunt, ut est cicer, faba, bulbi, porrum, pastinacæ radix & se-mē, nuces pineæ, amygdalæ dulces, rapi semē, et id genus alia. Oua item perdicis ad uenerē ignauos excitant. Dormiāt in mollibus lectis, legantq; quæ ad coïtum cohortantur, aut le-ctionibus aßideant. Naturalia continuo ex oleis, unguentis,

Vnguentū alijsq; calefaciētibus medicamentis cōfricent. In quem usum hoc unguēto utendū, quod habet: Olei liliacei ℥ 1. ß. olei è ca-storio ℥ ß. piperis, nigellæ, pyrethri, singul. ℈ 1. myrrhæ ʒ ß. euphorbij grana 3. ceræ quod satis est, fiat unguentum. Cæ-terùm medicamentis etiam quæ seminis copiam efficiunt, ac

Simplicia medicamēta coitum cōcitantia. calefacere possunt, utendum. Inter simplicia ijs potißimum, eruca, sinapi, nasturtium hortense, urticæ semē, ari radix, pi-per, satyrium, orminum, anisum, scylla, orchis: cuius quidem maior bulbus cum lacte potatus tentiginem cit, minor uerò

cum

cum aqua potatus tentiginē remittit: fœniculū, & anethum. Testes uulpis sicci triti bibiti, innocuā & minimè uanā mēbri tentiginē faciunt. Partes etiā scinci renes amplectentes. ad tentiginē pudendorum excitandā bibuntur. Præterea pudendum cerui aridum urito, & de eo pondus drachmæ unius ex uino meraciore præbe. Inter cōposita hoc medicamento uti licebit, quod accipit: Antidoti dianthon, pleres archigi, diagalangæ, singul. ℥ 3. diasatyrion ʒ 6. nucum pinearum, amygdalarum dulcium, pistaciorum, singul. ʒ 2. satyrij ʒ 1. radicis ari ℈ 1. seminum erucæ, urticæ, nasturtij hortensis, singu. ʒ 1. ß. scinci ʒ ß nucis Indicæ ʒ 1. piperis longi, zingiberis, utriusq; ʒ 1. ß. scobis pudendi ceruini ℈ 1. serapij è menta, & sacchari quantū ad excipiendum satis est, fiat antidotum liquidum de quo ante cœnā, aut ieiunis per se, uel ex uino detur pondus drachmæ unius aut duarum. Antidotū liquidum.

De ramice. Cap. LII.

Κήλη Græcis, ramex & hernia Latinis, ruptura barbaris medicinæ scriptoribus dicitur, uarijsq; fit modis, ac uarias propter adiectiones accipit appellationes. Si enim peritonæo rupto intestina in scrotum deuolūtur, ἐντεροκήλη Græcis, ramex autē intestinorū Latinis uocatur. Quādo uerò intestina suprà in inguinibus hærēt βουβωνοκήλην Græci, ramicē autē inguinis Latini nomināt. Quòd si ociosus & aquosus aliquis humor in parte aliqua mēbranarū scrotum implicātiū colligitur, ὑδροκήλη Græcè, ramex aquosus Latinè dicitur. Quum uerò intra testiū tunicas dura increscit caro, σαρκοκήλη Græcis, carnosus ramex Latinis nūcupatur. Quid multa? ramicis genera nomēclaturā semp à rebus opplētibus accipiūt. Proinde si omentū in scrotū descendat, ἐπιπλοκήλη, hoc est, ramex omenti uocatur. Si intestinum

Cele. Ramex. Hernia. ἐντεροκήλη. βουβωνοκήλη. ὑδροκήλη. σαρκοκήλη. ἐπιπλοκήλη.

ἐπιπλοεντεροκήλη. quoq; delabatur, Græcè ἐπιπλοεντεροκήλη, id est omenti intestiniq; ramex nominatur. Ita ubi uenæ quæ testiculos nutriunt uaricum more dilatantur, & ultra modũ repletæ glomerantur, Græci uitiũ hoc κιρσοκήλην, hoc est uaricosum ramicẽ appellant. Ramices intestinorum & inguinis fiunt, uel quod peritonæum plus æquo extenditur, uel quod rumpitur. Vtrunq; uerò ex uiolẽta quadam occasione præcedente, nempè ictu, aut saltu, aut clamore, aut immensæ molis sublatione accidit. Aquosus uerò ramex quãdoq; ex occulta, quãdoq; & manifesta cõtingit causa. Ex occulta quidẽ, quando adauctis uasis in scroto cõtextis, aquosus humor propulsus, & sanguini permixtus ad eas partes decubuerit. Ex euidenti autem, quum propter ictum collisis aut fractis uasis, sanguis subinde alimenti ratione defluẽs, in aquosam serosamq; substantiã mutatur. Colligitur autẽ humor uel intra tunicã erythroidẽ, uel exterius inter ipsam & tunicas adiacẽtes, uel in peculiari tunica, tanquã in quadã uesica cõprehẽditur. Carnosus sanè ex latente causa nascitur, testiculo fluxionem experto, induratoq;, aut ex ictu, aut imperita post ramicis succisionẽ curatione. Reliquorum ramicum causæ ex eorundem descriptionibus patẽt. Notæ utriq;, intestinorum nimirũ & inguinis ramici, cõmunes sunt. Cõspicuus enim in scroto aut inguine tumor est, qui in exercitijs, itinere, spiritus retẽtiõe, alijsq; occasionibus maior quàm prius euadit, cõpressus tardè quidẽ recurrit, celeriter autẽ rursus deuoluitur. Peculiaria ramicis ad extensionem relati indicia sunt, quòd non uniuersim, sed particulatim tẽporis spacio, & ob causas quaslibet intestinum deuoluatur, tumor æquabilis & profundus appareat, intestino quod deuolutum est peritonæo cõstricto. Ex ruptura facti ramicis signum est propriũ, quod uniuersum ab initio intestinum deuoluatur, idq; ob causas uiolẽtas duntaxat:

κιρσοκήλη.

Causæ ramicis intestinorũ & inguinis.

Aquosi.

Carnosi.

Reliquorũ

Signa communia ramicis intestinorũ & inguinis.

Peculiaria ab extensione.

Ex ruptura.

taxat: tumor immēsæ magnitudinis, inæqualis, & per summa protinus in cute emineat, quòd scilicet intestina extrà peritonæum elabantur. Aquosi ramicis cōmunis nota est tumor dolore uacans, firmus, ac stabilis in scroto, quacūq; tandem occasione nō euanescens, sed in ijs qui modicum cōtinēt humorē cedens, in illis qui copiosum habēt, non item. Ac in quibus erythroides tunica humore distenta est, tumor rotūdus paululum, & oui modo lōgiusculus apparet. His testiculus in conspectū nō uenit, ut qui undequaq; sit implicitus. Si extra erythroidē membranam sub darto habetur, per pauca corpora sublabitur, testiculusq; intrà notas tactui occurrit. At si humor ex superuenienti coierit, propter cōtractionem ex omni parte & rotunditatē, tumor alterius testiculi imaginem exhibet. Et cùm aquosus humor extiterit, tumor cōcolor pellucet: cum fœculentus, aut sanguineus, aut rubicūdus, aut liuidus apparet. Cùm uerò in utraq; scroti parte hæ apparuerint notæ, duplicem ibi ramicem cognosces. Carnosum ramicem color ubiq; sui similis cum duritia subsequitur. Si autem tumor in scirrhum coalescat, nullus nec color, nec sensus adest. Si maligni referat naturam, dolor urget punctorius. Cæterùm ramicem intestinorum & inguinum curamus hunc in modum. Aegro resupinato diductis cruribus intestina sensim reducere, atque reducta deinceps idoneis ligamentis retinere oportet. At si loca scroto aut inguini adiacentia uehementissimis doloribus cum inflāmatione affligantur, torminaq; & flatus superuenerint, atque adeò intestina reductioni minus obtemperent, emollientia, ac inflammationem doloremq; leuantia, & flatus dissoluentia fomenta, linimenta, balneaq; adhibeantur: qualia sunt quæ ex malua chamæmelo, anetho, seminibus lini, fœnogræci, carei, anisi, cumini & similibus componuntur. Lana quoque succida uino & oleo

Aquosi.

Carnosi.

Ramicis intestinorum & inguinū curatio.

& oleo madefacta, loca doloribus exagitata foueantur. Reductis intestinis, conandũ ut eadem idoneis uinculis retineantur, impositis primũ ceratis aut emplastris cõstringentibus ac glutinantibus, quale est hoc quod habet: Picis naualis, mastiches, utriusq; ʒ 3. thuris ʒ 2. hypocisthidis, sarcocollæ, acatiæ, sing. ʒ 1. ß. lapidis hæmatitis, sanguinis dracõis, aloes, singu. ʒ 2. boli armeniæ, symphyti radicis, gallarũ, malicorij, sing. ʒ 3. uisci quercini ʒ 1. ß. aristolochiæ utriusq; ʒ 2. rhois, balaustiorũ, utriusq; ʒ 1. sepi hircini ℥ 2. resinæ terebinthinæ, & ceræ quod satis est. Gũmi prius in aceto aut uino dissolutis formetur ceratũ, quod in pelle arietis impositũ alligetur, nec ante diẽ septimũ soluatur. Interea æger in lecto triginta diebus maneat, & à cibis flatuosis abstineat, uinoq; copiosiore, motu uehemẽti, cursu, saltu, clamore, & id genus alijs. Interea autẽ bibat hoc decoctũ, quod accipit: Saniculæ utriusq;, solidaginis sarracenicæ, ophioglossi, pedis leonis, eupatori, numulariæ, singul. m̃ 1. polygoni, clematitis daphnoidis, prunellæ, plantaginis maioris, singulorũ m̃ ß. radicis symphyti maiusculi, cynoglossi officinarũ, utriusq; ʒ ß. radicis geranij sexti generis ʒ 6. seminis myrti ℥ 3. balaustiorũ ʒ 2. foliorũ lauri ʒ 1. ß. ebulliant in uino rubeo & aqua iustæ quantitatis, donec tertia pars absumpta fuerit. Deinde colo transfundãtur, & sacchari adiectione ius decocti dulce reddatur, purificeturq;, & fiat potio suauis, de qua quotidie in aurora dẽtur ℥ 4. Porrò annitendũ unicè ne aluus indurescat. Si enim nimio conatu stercora excernere necessum fuerit, simul etiã intestina iterũ prolabentur. Vtendum quoq; apta & conueniẽti deligatura, ut antea nouimus: idq; tum præcipuè ubi occasio aut necessitas motum exigit. Cæterũ ramex aquosus ꝑ ea quæ calefaciũt et exiccãt medicamẽta curãdus, è quorũ numero sunt farina fabacea, lauri baccæ, lini

Margin notes: Ceratum. — Victus. — Decoctum glutinans. — Ramicis aquosi curatio.

cæ, lini semen, dauci, althcæ, nigellæ, & id genus alia quæ in capit. De ascite, & reliquis aquæ inter cutem generibus, enumerauimus. Porrò chirugicam prædictorum aliorumq; omnium ramicum curandi rationem è Paulo Aegineta petent studiosi, qui eandem copiosè tradit lib. 6. cap. 62. & sequentibus. Nam eam ijs in libris tractare non est nostri instituti, quare ad uteri mala progrediemur.

De suppressis mensib. Cap. LIII.

SVpprimuntur mulieribus mẽses uel naturaliter, uel præter naturam. Si naturaliter, hinc deprehendmus potissimum, quòd mulier nulla inde molestia uel totius corporis, uel uteri afficiatur. Aetatis itaq; ratione plurimis menses quartodecimo anno fluere incipiunt paucissimis ante decimumtertiũ, uel duodecimum, plerisq; autem post quartũdecimum erumpunt, ut plurimumq; purgatio ad duos tres'ue dies, pluribus ad quinq;: alijs ad septem usq; perdurat. Desinunt uerò alijs anno quinquagesimo, aut quinquagesimoquinto, paucis autẽ ad sexagesimũ usq; extendũtur. Steriles etiã mulieres, in utero habentes, & saltatrices, naturaliter non purgantur. Nam quicquid in eis est excrementi, exercitationis uehementia absumitur. Et, ut summatim dicam, mulieres calidioris temperaturæ, ualidisq; exercitijs utẽtes, & agrestes, parum aut nihil purgantur. Nonnunquam uerò menses præter naturã, ob nimiam scilicet crassiciẽ aut gracilitatẽ, supprimi solẽt. Pingues enim reliquis magis exangues sunt, minimasq; & angustas uenulas habent, quicq; illis inest sanguis paucissimus, ferè in pinguedinem transit. Graciliores uerò ob diuturnũ aliquem morbum extenuatæ, nihil prorsus superuacui sanguinis continent. Præterea mẽses non profluunt, quibus sanguis uel crassus, uel lentus, uel per

Causæ.

Quibus naturaliter mẽses supprimantur.

Quibus præter naturã mẽses detinentur.

per alia loca delatus ac uacuatus fuerit, uerbi gratia p̄ nares, aut sedē. Alijs etiā, quod è thorace sanguinē multum eiectauerint. Alijs, quod è dissecta uena plurimum sanguinis promanauerit, mēses suppreßi sunt. Sed & reliqua excretionem genera idem sæpè effecerunt, ut sudoris multitudo, aßidui uomitus, alui profluuia, ac pustularum omne genus quæ in cute efflorescunt. Præter causas nunc commemoratas non raro etiā menses detinentur propter acutos maximosq; morbos, & ob alimētorum uel paucitatem uel multitudinē. A' paucis enim alimentis paululum quippiā cōfestim expirat atq; exhalat: à copioso autē meatus obstruuntur, & menstruorum excretio intercipitur. Atq; eas ob causas maximè menses supprimuntur toto corpore malè affecto. Detinētur autem non minus, ubi uterus ipse peculiari uitio cōflictatur: id quod ei accidit interdum propter frigidā, aut calidā eiusdem intemperiem. Nonnunquā etiā propter callum in ore uteri obortum, aut carnis excrescentiā, aut pinguedinis copiam purgatio mēstrua impeditur. Quibusdā etiā statim ab initio membrana quædā circa uteri collum aut orificium adnascitur, quēadmodum ijs accidit quæ imperforatæ appellātur. Alijs cicatrices ulcerum, quæ in utero antecesserunt, uasorum ora à quibus sanguis in uterum ferebatur, obstruxerūt. Quibusdam post aborsum uteri ore exulcerato, ac deinceps ad cicatricē ducto, coitio uel cōpactio superuenit, quæ præter quā quòd aliàs omnes uteri transpirationes prohibet, sanguinis etiam excretionem moratur. Curæ deniq; pertinaces, metus immodicus, & ingens mœror menses intercipiunt. Suppressos menses uniuersi corporis grauitas, nausea, fastidium, & horridi quidā discursus, quales ijs quæ conceperūt accidunt, consequuntur. Præterea dolores circa lumbos, fœmora, collum, sinciput, & oculorum fundamenta existunt. Item febres

Signa.

con

continuæ, & urinæ nigricantes, cum rubra quadam sanie, perinde ac si quis aquæ in qua nuper mactatæ carnes ablutæ fuerunt, fuliginem miscuisset. Nonnullis etiã urina aut difficulter redditur, aut omnino supprimitur. Causarũ diuersitas partim ex habitu totius corporis, partim etiã, idq; magna ex parte, de sermonibus ægri cognoscitur. Fridioris tamẽ temperaturæ mulieres ex ijs potißimũ dignoscere licebit, quod somnolentiores sint, & ad omnẽ motum segniores ac colore candidiores, ac ueluti plũbei coloris urina deniq; aquosa, & cæteris quæ iam sæpè suprà dicta sunt. Pituitam quoq; aßiduè excreant, interdũ etiã pituitosos humores euomunt. Calidioris autẽ temperaturæ indicia, iam comprehensis planè contraria sunt. Plenitudinis notæ præter alias, quæ ex præcedẽtibus capitibus colligẽdæ sunt eiusmodi potißimum esse solent, ut quæ hac ipsa laborãt mulieres menstruorum tẽpore magis grauentur, doloresq; uehementiores circa lumbos & pubem sentiant, uenæq; illis in tumorẽ insignẽ attollantur. Cæterùm curãdi ratio pro causarũ diuersitate uariatur. Si enim frigida uteri intẽperies mensiũ profluuiũ impediet, cum cõtrarijs, hoc est calefaciẽtibus tũ cibis, tum medicamẽtis, abigẽda erit. Cibos itaq; calidos exhibere oportet, uinũq; fuluum, odoratum, & antiquum. Exercitia quoque præscribenda, & alia quæ corpus calefacere possunt admouenda, quorum aliqua paulò pòst subiungemus. Valent autem præter alia, pulegium, thymus, calamentũ, abrotonum, dictamnus, radix iridis, casia, acorus, asarũ, & sauina, è quibus decocta & fomenta parari possunt. Vinum etiam merum calidum post balneum ieiunis propinandum. Sumendis autem ijs medicamentis tempora maximè idonea sunt, alterum quidem cum purgationis tempus appetit, alterum post balneũ, fomentationem, aut inunctionem, si protinus scilicet biberit,

Frigidioris temperaturæ.

Calidioris.

Plenitudinis.

Curatio. Intẽperiei frigidæ.

Tempora sumẽdorũ medicamẽtorum.

rit, ut calido adhuc & soluto corpori medicamentū occurrens uires suas efficacius ostendat. Porrò calidiores & plurimum excercitatæ mulieres, curatione quidē haud egerent: rectius enim & cōsultius foret ad integrā sanitatē tuendā, eam uictus rationē præscribere, à qua mulieris corpus ita desiccaretur, ut menstruæ purgationis non indigeret: sed hoc cōceptioni aduersaretur: neq; enim concipiūt quæ nō purgantur. Causa ergo cōceptionis, & quoniā omnes ferè mulieres inconsultò uictitant, purgationes sunt necessariæ. Quare cō uenit curationē quoq; subijcere, qua menses ob calidā intemperiem intercepti euocantur. Mulieres itaq; calidiores, & quæ plurimum exercitātur, quàm maximè humectare oportet uberiore humidioreq́; cibo ac potu: quales ptisanæ et alicæ sorbitiones sunt, & qui è carnibus agni, hœdi, ac piscibus teneras carnes habētib. auibus altilibus, lacte, oleribus, lactuca, cucurbita, & è fructibus ficubus recētibus parātur. Vino autē utendū ijs candido, nō admodum antiquo, & diluto. Balneis quoq; aquarum dulcium: &, ut in pauca rem contrahā, uictus ratione quæ becticis adhibetur. Porrò si plenitudinis ratione, qua mulier laborat, menses detinētur, & nihil aliud prohibeat, à sanguinis mißione curandi ratio auspicetur. Secanda uerò uena malleoli aut poplitis, idq́; non ante statum mensium tempus. Neq; etiā inutile erit, si cruribus cucurbitulæ affigantur. Vacuato sanguine potiones quæ menses mouere possunt, fomētationes, balnea, inunctiones, & alia quæ paulò, pòst subijciemus admouenda. Sin plenitudo nulla fuerit, sed qui mensium profluuia morantur humores craßi ac pituitosi fuerint, initio uictus ratio extenuans præscribenda, aliaq́; medicamenta quæ prædictos humores incidere, & ad expulsionē faciliores efficere ac præparare possunt exhibēda, cuiusmodi est hoc decoctum, quod habet: Radicū acori, iridis,

Calidoris tēperaturæ curatio.

Plenitudinis curatio.

Vitiosorū succorū curatio.

Decoctum.

iridis, petroselini, asparagi, singulorum ℥ 1. seminum apij fœniculi, rusci, anisi, dauci, ammi, urticæ, singulorum ʒ 1. calaminthæ, absinthij, utriusq; m̃. ß. origani, abrotoni, artemisiæ, pulegij, asari, singul. m̃. 1. hyssopi m̃. 1. ß. cinnamomi electi ʒ 1. Decoquantur singula in aqua iustæ quantitatis donec tertia pars absumpta fuerit. Dein colo trāsfusis, saccharo adiecto iuri decocti dulcedo concilietur, & albo oui purificetur, adiectis serapij de calamintha, de hyssopo, & de marrubio, singul. ℥ 1. ß. fiatq; potio, de qua quotidie in aurora detur pondus ℥ 4. Ea exhausta purgatorium aliquod sumatur medicamentum, quale est hiera picra, diaphœnicon & indi compositio: catapotia de agarico, è benedicta, aut ijs similia. A' purgatione mulieres sunt exercendæ, potißimum deambulationibus, & inferiorum partium frictionibus. Præterea fomentationes & balnea ex chamæmelo, artemisia tenuifolia, mentastro, & alijs quæ in decocto precedēti commemorauimus parata, adhibenda. Inunctio quoq; fiat hoc unguento, quod accipit: Oleorū liliacei, rutacei, utriusq; ℥ 1. artemisiæ tenuifoliæ, pulegij, calaminthæ singul. ℈ 1. radicis iridis ℈ 2. hyssopi, origani, utriusq; ℈ 1. Cum cera quod satis est, fiat unguentum. Post hæc medicamenta quæ detentos menses euocant, protinus, propter causam suprà dictam, exhibenda: qualia sunt myrrha, castoreum, baccæ lauri, rubea tinctorū, piper, saluia, ruta, sauina, casia, & alia quæ paulò suprà, & alibi à nobis comprehensa sunt. Vnicè autem hoc confert, quod habet: Castorei ʒ 1. mentastri in puluerem redacti ʒ ß. uini ueteris, aut mulsæ ℥ 4. Misceantur singula, & à balneo propinetur calidum. Benefacit etiam decoctum pulegij, artemisiæ, rutæ, cumini, dauci, saluiæ, anethi, ammi, fœniculi, inulæ, & similium. Calamintha quoque in puluerem redacta pondere ʒ 2. aut sauina pondere unius drachmæ in uino,

Purgatio.

Exercitia.

Fomentationes.

Vnguētū.

Menses euocantia.

Medicamētum præstans.

aut mulsa pota plurimum confert. Mirificè deniq; cõducunt pastilli è myrrha. Absinthite autem uinum per totius curationis decursum bibendum. Peßis etiam in uterum demißis, neceßitate ita exigente, utendũ, qualis est is qui accipit. Tripheræ magnæ opij expertis ʒ 1. farinæ erui, nigellæ, rubiæ tinctorũ, artemisiæ, pulegij, singul. ℈ 1. ſ. succi rutæ ℥ 2. commixtis omnibus fingatur peßus, qui cum lana uel gosipio subdatur. Et hic qui habet: Myrrhæ, bdellij, styracis, singul. ʒ 1. calaminthæ, abrotoni, absinthij, singul. ʒ 1. ſ. Radicum acori, rubiæ tinctorũ, utriusq; ʒ 1. seminis nigellæ, rutæ aridæ, baccarum lauri, singul. ℈ 2. sauinæ ℈ 1. castorei ℈ ſ. redigantur singula in puluerem subtilißimum, & cum melle, aut triphera, aut mithridatio antidoto quod satis est excipiantur, & fiant peßi, qui mulieris pudendo inserantur. Metrenchytis quoq; utendum. In quem usum utero infundimus olea calida, nempè irinum, liliaceum, laurinum, & similia. Suffitis etiam ex styrace, galbano, thure, bdellio, radice aristolochiæ, artemisia, garyophyllis, cinnamomo, & similibus paratis utendum. Quorum formulas in libris nostris De med. cõp. monstrauimus. Euaporandus deniq; uterus odoratis rebus, maiorana, serpyllo, calamintha, chamæmelo, pulegio, artemisia, radice iridis, & similibus in olla decoctis: quam operculo perforato operire oportet, arundinemq; aut alium canalem foramini insertum undique circumlinere, ut deinde sedens mulier excepto canali foueatur. Proderit etiam, ut mulier huic decocto usq; ad umbilicum insideat, & inde peßos paulò antè memoratos sibi admoueat. Pinguiores mulieres uictus ratione curabimus extenuante, exercitijs uelocibus, alijsq; medicamentis quæ exilius corpus reddere poßunt, ut est aßidua uentris deiectio, unguenta euaporandi uim habẽtia, & similia, quæ copiose traduntur à Galeno nostro libro

[Margin notes: Absinthite vinum. — Pessus. — Alius. — Metrenchytæ. — Suffitus. — Obesarum curatio.]

14. The.

14. The. Meth. cap. 15. Et lib. 6. De tuenda sanitate. Quæcunq; uerò propter gracilitatem non purgantur, siue id per morbum, siue alia ratione acciderit, eas primo reficere oportet, & corpori carnem per conuenientem uictus rationē, aliaq; medicamenta quæ Galenus loco iam citato recēset, restituere. Si enim carnosæ euaserint, bona spes erit menses sua sponte erupturos esse. Quòd si tamen non euenerit, tunc potionibus, fomentis, & alijs medicamentis suprà commemoratis eos euocabimus. Si uerò menses propter aliquod uteri uitium non profluxerint, principio malum quod detentorum mensium causa fuerit curabimus: quo curato, deinceps ad mensium prouocationem progrediemur. Curatio uerò uitiorum uteri è suis petenda locis erit.

Extenuatarũ curatio.

Curatio earum quę ꝑpter vteri vitium nō purgantur.

De redundantibus mensibus. Cap. LIIII.

Redundare menses in mulieribus dicimus, quando ultra consuetum tempus purgationis magna copia effluxerint. Tempus autem purgationis nullum statum ac ordinatum est. Multis enim ad duos tres'ue dies, haud paucis usq; ad quintum profluit, alijs etiã, ut dictũ est, ad septimũ usq;. Rarißimè ad duodecimum usq; purgãtur. Accidit autẽ menses supra modum profluere propter aperta aut fracta uasa, uel magna uel parua. Immodicæ etiam purgationes mulieribus oboriuntur interim ob partus grãdiores, quæ plerunq; etiam sponte sua cessant. Crebro autem post aborsus uehemẽti laborãt profluuio, & præceps interdũ periculũ affert. Amplioribus uasis ruptis aut apertis, cõfertim sanguis promanat. Minoribus uerò apertis, sensim, nec magna copia profluit. Ab erosione si accidit, non solum paulatim, uerumetiã cum maximo dolore effluit. Porrò quũ immodicè profluxerint

Mẽses quãdo redundant.

Causæ.

Signa.

rint menses, color fœdus consequitur, pedes molli tumore attolluntur, corporis robur prosternitur, uitiatur ciborum tum appetitus, tum concoctio: atq; in totum omnia quæ immodicã sanguinis uacuationẽ siue ex hæmorrhoide, siue alio quopiã sanguinis fluore euenientẽ sequi cõsueuerunt. In primis igitur artus, & extrema corporis, incipiendo ab alis & inguinibus uinculis excipere oportet. Cucurbitulas etiã leues magnas subter mãmillas, iuxta Hippocratis sententiã, affigere cõuenit. Cibis quoq; & potionibus austeris atq; adstringentibus utendum, ut est oriza, & similes. Aßis autẽ potius quàm elixis uescatur ægra, carnibus maximè quibus suapte natura desiccãdi facultas inest, ut auium montanarũ, & agrestium animaliũ. Motu & uino abstinẽdũ, ac pro eo adstringente aliqua potione utendũ, aut posca nõ quidẽ frigida, sed tepida. Porrò adstringẽtia etiã medicamenta simplicia in potu propinãda, qualia hæc sunt: balaustiũ, hypocisthis, acatia, corallia, lyceũ, terra lẽnia, galla, polygonũ, symphytũ utrũq; hæmatites, calices glandiũ, plãtago, oxyacantha, & similia. Composita sunt serapia, rosaceum, myrtinũ, pastilli è succino, & terra lemnia. Mirificè autẽ in constringendis mẽsibus ualent hæc catapotia, quæ accipiunt: Terræ lemniæ, boli armeniæ, thuris, mastiches, gallarũ, singul. ℈ 2. sanguinis draconis, hæmatitis, utriusq; ℈ 1. cornu ceruini usti ʒ 1. hypocisthidis, acatiæ, coralliorum rubeorum, singul. ʒ ß. balaustiorum, rosarum purpurearum, utriusq; ℈ 2. succini ℈ 1. Excipiantur serapio myrtino, & formentur catapotia, de quibus pondus drachmæ unius, aut ʒ 1. ß. propinetur. Extrinsecus loca oleis, rosaceo, myrtino, cotoneorum, & uino austero foueantur, adhibeanturq; unguenta, emplastra, cerata, & epithemata adstringẽtia, qualia multa suprà in capitibus De dysenteria, diarrhœa & lięteria dicta sunt. Insessus etiã ex decocto

Curatio. Medicamẽta mẽses cõstringẽtia. Catapotia. Localia. Insessus.

cocto paulò antè commemoratorum medicamentorum parati conueniunt. Vti etiam debemus ijs quæ per metrēchytas utero infunduntur. In quē usum mirificè cōmendatur succus plantaginis, quo se Galenus quatuor continuis diebus delatū ab utero sanguinē, cum nullo alio præsidio sisti posset, suppreßisse scribit. Quantitas autem iniijcienda, ad cyathi mensuram accedat. Idem possunt succi polygoni, aut solani, aut hypocisthidos, aut acatiæ, aut similes iniecti. Pessulorū quoq; usus non contemnendus, inter quos is potißimum laudatur, qui habet: Thuris, balaustiorum, gallarum, singul. ʒ 1. gummi arabici, acatiæ, succini, cornu ceruini usti, singul. ʒ 2. boli armeniæ ℈ 2. Redigantur singula in tenuißimum pollinem, & lana rosaceo intincta excepta, in mulieris pudendū immittantur. Metrenchytæ. Pessulus.

De fluore muliebri Cap. LV.

VTeri fluor, qui Græcis ῥοῦς γυναικεῖος dicitur, totius corporis expurgati diuturna est destillatio. Talem uerò speciē id quod euacuatur repræsentat, qualē humor in corpore superans. Aliud enim rubrum, ueluti sanguinis ichor saniesúe: aliud candidum, quod pituitæ soboles est: pallidū, aliud, quod biliosum: aliud uerò aquosum, quod quidem serosum est. Atqui si sanguis purus, sicut in uenarū dissectione efferatur, attendendū accuratè est, ne quædā in utero erosio sit excitata. His notis fluor deprehenditur, loci continuè madent humoribus, colore uariantibus, laborās decolor est, cibum non sentit, eumq; fastidit, obambulādo difficulter spirat, oculos habet prætumidos, nunc cum dolore, nunc etiam citra illum, aut cū exulceratione, aut sine illa, aut inflammata ulceratione, aut sordida aut pura. Causarū uerò diuersitatē, ex colore eorum quæ promanant, ut dictū est, dignosci licebit. ῥοῦς γυναικεῖος. Causæ. Signa.

Curatio rubri fluoris. bit. Quòd si rubro fluore mulier uexabitur initio, ubi ætas & alia permiserint, ad sanguinis mißionē uertamur oportet. Siquidē multa incōmoda sequerentur, si confestim sanguinis impetum localibus remedijs reprimere conaremur, hydrops nimirum, neruorū uitia, aut oris uentriculi, aut capitis. Ablationem uerò sicut in ijs quæ sanguinē excreāt, partiri oportet, ut paulatim prolixiori tēpore auersio fiat. Secanda uerò in cubito uena erit. Post hæc summitates corporis uinculis deligandæ, & ea omnia admouenda quæ in contrarium fluxum auertere possunt. Quare cōueniūt remedia omnia quæ capite præcedēti à nobis dicta sunt.

Victus ratio. Victus ratio uniuersa sit adstringēs, & craßitudinē inferēs. Potus sit aqua, aut in uinorum defectu uinū crassum & adstringēs.

Curatio albi et saniosi. Cæterùm fluore albo, aut seroso infestante, initio quidē resistendum nō est, ut aliena è corpore excernantur. Neq; etiā præter rationē erit, quandoquidē id quod effluit à pituita ortum habeat, si medicamentum quod pituitam purgat adhibeatur. Toti quoque corpori auxilia quæ exiccant, quum malum ipsum humidum sit, admouenda. Exercitationes itaque superiorum præcipuè partium, & frictiones conducunt. Carnes etiā quibus desiccandi facultas inest, ut aues montanæ, & agrestia animalia, deligenda. Initio etiā mali, ea possunt exhiberi medicamenta, quæ crassos humores extenuant, & subinde per urinā educunt, ut sunt asarum, fœniculū, apium, & ijs similia iam sæpè cōmemorata. Transacto principio, utero moderatè adstringentia applicanda, ut sunt rosaceum & cotoneorum oleum, & alia præcedenti capite cōprehensa. Abstergentibus etiam medicamentis utendum, ne scilicet ab humore effluēte ulceratio fiat.

Curatio pallidi & biliosi fluoris. Quare aqua calida iugiter serosus humor abluendus. Post abstersionem sordium, oleum rosaceum, aut melinum, aut myrtinum illinendū. Pari ratione ubi pallido fluore mu

re mulier laborauerit, initio non resistendum, sed medicamẽto bilem educente corpus purgandum. Dein reuulsioni studendum, alijsq; medicamentis adstringentibus utendum, non neglectis etiã abstergentibus quibus maximè propter effluẽtis humoris acrimoniam indigemus. Porrò ubi fluor cessauerit, à ueloci deambulatione, à frictionibus abdominis & lũborum multis, ab esu acrium, à calefaciẽtibus, & ijs, quæ urinam mouent, diu abstinere oportet.

De vteri suffocatione Cap. LVI.

Suffocatio seu strangulatus uteri nihil aliud est, nisi eiusdem ad superiora retractio. Græcis ὑστερικὴ πνὶξ dicitur. Fit, Galeno libro 6. De malè affectis locis, cap. 5. teste, ob tensionẽ, quæ creatur à plenitudine, quæ ad menstruorum retensionẽ sequitur. Neq; enim ueluti animal errabũdũ, aliàs ad alium locum discurrit in mulieribus uterus, sed ab extensione retrahitur. Accidit etiam non rarò, eodẽ teste, propter cohibitũ semẽ. Nonnunquã etiã ob refrigerationẽ, quæ utero, tempore quo menstruæ effluxerunt purgationes, euenit. Interdum etiam ob difficilem quempiã aborsum, uel ubi quis sanguinis eruptionẽ ab utero, repente sistere properauerit. Comitatur hoc malo laborantes, cum accessio propinqua est, torpor mentis, pigritia, crurum imbecillitas, faciei pallor, aspectus mœstus. Quum uerò iam instat suffocatio, inclinatio ad somnum, desipientia, detentio instrumentorum sensus, uox obmutescit, cruraq; cõtrahũtur. Pulsus parui ac debiles fiunt, sæpè etiam penitus abolentur. Nonnullis quoque spiratio quæ ab ore ac naribus prodit, manente tamen ea quæ in arterijs fit, in totũ intercipitur. Cùm remittit malum, rubescere malæ incipiũt, oculi attolli & aperiri. Humiditas etiã quædã à locis muliebribus tactu perceptibilis excurrit, ac

Strangulatus seu suffocatio vteri.

Causa.

Signa.

ac intestina immurmurant, ipseq; uterus paulatim laxatur, atq; sic ipsis mens, sensus, & motus redit. Cæterùm malum hoc iuxta circuitus mouetur, perinde atq; epilepsia, idq; nimirum utero ut dictum est, repleto aut seminali, aut alia quæ in eo putresit materia. Vbi autẽ uterus sua ipsius ratione laborauerit, pro quãtitatis uel qualitatis ratiõe, tũ mẽstruorũ, tũ seminis, alias aliæ symptomatũ species oriri solẽt. Etenim lædẽte causa uniuersum corpus refrigerare potẽte, adeò uehementer infrigidatur corpus, ut & spiratio & arteriarum pulsus sensu deprehẽdi nequeant. Quæ si uel crassa fuerit, uel acris, cõuulsiones: si uerò atræ bilis naturã habuerit, mœstitiã inducet: quẽadmodũ animi quoq; defectiones, & ad fortes extẽsiones, & refrigerationes, & stomachi uexationem sequi cõsueuerũt. Superuenit id mali genus omni qdẽ tẽpore, sed præcipuè hyeme & autũno. Eoq; magis corripiũtur iuniores, & ad uenerẽ ꝓcliues, steriles, præsertim si ui medicamẽtorũ tales factæ fuerint. Præterea multæ se à malo hoc recolligũt, nõnullæ uerò in ipsis accessionibus subito, aut saltẽ intra paucas horas pereũt: id qđ accidit, ubi pulsus crebriores & inordinati fiũt, ac subinde in totũ abolẽtur. Postremò frigidus & modicus humor superficiẽ irrorat. In accessionibus igitur extrema deligare oportet, cumq; deligationibus crura tota, ac uniuersum corpus perfricare, & ueluti animo deficiẽtes recuperare. Aegrotã autẽ ceruice & scapulis accliuioribus collocare oportet, fœmoribus uerò et inguinibus decliuioribus. Naribus fœtida admoueãtur, uerbi gratia, funiculus lucernæ nuper extinctus, plumæ, præsertim perdicũ, aut lanæ laciniæq; cõbustæ, soleæ calciamentorũ, alliorũ aut ceparũ cortices, capilli, præsertim si ipsius ægrotæ fuerint, cremati, uel capræ cornu combustum, pix super carbonibus eliquata, galbanũ, castorium, & alia eiusmodi. Reliquis deficienti

Curatio.

Quę in accessione facienda.

cientibus, matulā ex ueteri locio naribus adhibere licebit, aut pannos sulphuratos ueteres cōbustos. Inferius autē pudenda ex odoratis suffiantur, styrace nimirū, aloës ligno, cinnamomo, garyophyllis & similib. Cucurbitulas quoq; inguinibus & imo uentri cum multa flamma, & leues affigere conuenit. Confestim autē accedēte accessione fomenta, ac sacculi calefacti imo uentri ac pectini imponēdi, quibus uix aliud in huius mali accessione præsentius auxiliū reperies. Parabis autē eosdē ex artemisia utraq;, origano, betonica, chamæmelo, calamintha, absinthio, pulegio, seminibus lini, & smyrnij, atq; id genus alijs. Quòd si accessio prolongetur, etiā quæ flatibus educendis cōducūt, supponere oportet, quorū omniū formulas & nomina è capitibus De uētriculi inflatione, & coli doloribus petent studiosi. In uterū quoq; tum unguenta & olea odoratissima infundere oportet: ut est amaricinum, & quod spicaceum hodie appellatur, irinum, & similia. In hæc etiam obstetrix digitos intingat, atq; subinde usq; ad uteri os immittat, leniter & multū defricans, ut eo irritamento crassus humor excernatur. Præterea mulier etiam maximis uocibus excitetur, propriūq; nomē inclametur. Hoc etiā tempore ea sunt admouenda, quæ sternutationes excitant, ut est struthiū, castoriū, piper & similia. Sunt qui insessionibus ex decocto baccarū foliorūq; lauri, pulegij, calaminthæ, artemisiæ, marrubij, sauinæ, altheæ, chamæmeli, serpilli, iridis, aristolochiæ, & fœnogræci paratis utendum esse putēt. Insessionū tamen tempore cerebri curā non omittemus, sed rosaceo & aceto caput irrigabimus. Ego tamen fomentis & sacculis potius quàm insessionibus utendū esse iudico, præsertim cū ut plurimum, quāuis uelis maximè, insessionibus in hoc malo locus non sit. Vbi accessio quieuerit, ad uomitum cogātur. Omnes enim uomitus leuat, sed eas præsertim quæ à cibo infestātur.

Sacculi.

Quæ post accessionē statim agenda.

In tertio die lumbis & ilijs cucurbitulæ cũ scarificatione applicẽtur. A septimo die purgatione utendũ ex hiera de colocynthide, aut catapotijs de agarico: mox ad castorij potionẽ ueniendũ, quod iugiter potum ab hoc malo protinus liberat. Dandum autẽ singulis diebus ad drachmæ unius pondus, interdum cum mulsa, interdũ cum artemisiæ decocto, nunc cum uino tenui. Hoc sanè tẽpore potius quàm in accessione, ut dictum est, insessionibus & pessis emollientibus ex adipe anserino, styrace, mastiche, ammoniaco, & similibus compositis uti licebit. Vterus quoq; ijs quæ calefaciẽdi, flatumq; educẽdi uim obtinẽt, suffiendus. Sit autẽ huius potissimum suffitus usus, q habet: Pastillorũ galliæ et aliptæ moschatæ, utriusq; ℨ 1. ß. styracis ℨ 1. garyophyllorũ, maceris, utriusq; ℨ 1. ligni aloës ℈ 2. cinnamomi selecti, foliorũ lauri, utriusq; ℨ 2. ladani ℥ 1. ß. Trita in pollinem excipiãtur stacte, & informentur pastilli pro suffitu. Cibo interea & potu paucis admodũ cõtenta sit mulier, totaq; uictus ratio exiccatoria sit. Atq; hæc curatio in huius mali accessionibus adhibẽda. In totius uerò corporis restitutione, potissimum ubi malũ diuturnũ fuerit, plerunq; à sanguinis missione inchoandum, præsertim si mẽstruæ purgationes detineãtur. Deinde ad purgationẽ ex hiera picra transeundum. Peracta euacuatione, cucurbitulæ leues quidẽ, sed cum plurima flãma affigẽdæ, & uiolenter, detrahendæ. Interdum etiã loca scarificanda, & scarificata sale inspergenda, deinde cõuenientibus medicamentis ad cicatricem ducẽda. Nec inutiliter sinapismi, & dropaces ex euphorbio, pyretro, pipere, & sinapi constructi applicantur. Non parum etiam recta uictus ratio opitulatur, nempè deambulationes matutinæ, gestationesq; uel in curru, uel in naui, uel in iumẽto. A gestationis motu uociferatio, et lectio clara, & concinna utilis est. Vnctio præterea, frictio, & ex conueniẽtibus

[Margin notes: Purgatio. — Pastilli pro suffitu. — Victus ratio. — Totius corporis curatio. — Purgatio. Cucurbitulæ. — Victus.]

tibus interuallis repetita, eisdem conueniet. Balneum aquæ dulcis rarius, & non nisi sordium abstergendarũ gratia admittendum. Balneis autem naturalibus uti optimum est, atq; adeò postremum quasi confugium. Præ cæteris autem cõueniunt quæ sunt in Badenia Marchionis.

De vteri procidentia. Cap. LVII.

PRocidere uterum dicimus, quãdo ita euertitur, ut exterius emineat. Neq; enim uterus, ut imperiti suspicãtur, à suis solutus propaginibus totus decumbit: nam si ita procideret, restaurari haud posset. Quanquam autẽ uterus raro procidat, nihilominus tamẽ multæ procidendi eius causæ. Ab alto enim delapsa mulier, si in coxas deciderit, mẽbranis quæ uterum cõtinent, ac uicinis partibus cõnectũt, ruptis, eo malo corripitur. Accidit etiã nonnunquam ut in difficili partu procidat uterus, propter secundæ scilicet extractionẽ, quam uterus qui illi adhæret sequitur. Nonnunquam propter negligentem aut imperitã fœtus, præsertim mortui, extractionem. Præterea ob ictum, uel immensi ponderis eleuationem, uel animi uehementiorem perturbationẽ, filiorum nimirum interitum, aut hostium accessum, uel ob periculosam nauigationem, aut eiusmodi aliquam causam, omni eo quod in toto corpore concretum est soluto, atq; adeò utero quoq; simul elapso. Interdum etiam hoc malũ citra iam dictas causas accidit, tota corporis mole soluta propter resolutionẽ, aut partium, membranarum scilicet & musculorum, imbecillitatem: id quod senescentibus maximè euenire solet. Procidit sæpè uterus propter humoris plurimi ac tenacis defluxum, partuumq; frequentiã laxatis ac solutis appendicibus. Procidit autem potißimum secundum os eius, & quod procidit ouo struthiocameli simile est, maioris tantum & minoris ratione

Prociden- tia vteri.

Causæ.

ne differens. Notis plurimis nihil opus est, quod causarũ diuersitas partim ex corporis constitutione, partim etiam de ægrotantis & aßidentium sermonibus cognosci queat. Quũ malum adhuc recens est, studendum ut uterus inseratur, ac in suum reponatur locum. Siquidẽ initio repositioni prõptè paret, & locatus perseuerat, præcipuè si ætas conuenerit. Nam in prouectioribus uterus quidem reponitur, sed rursus qualibet leui causa relabitur. Conuenit igitur, si in recto intestino fæces & stercora dura fuerint, ut clysteri educãtur. Simili modo si in uesica lotium collectũ fuerit, per catheterẽ euocetur, ut undiquaq; uterus sit liber. Euenit enim aliàs, ut eorum detentione uterus, qui inter utrunq; rectum inquã intestinum & uesicam medius statuitur, compressus, & intra locorum angustias coactus, in prolapsu suo impediatur, ne repelli & in proprium situm reduci queat. His autem ritè peractis, ægram supinam figurare oportet, ut coxas habeat sublimiores, poplites flexos, curibus inuicem dilatatis & diuaricatis, deinde prolapsam uteri partẽ oleo tepido, uel butyro, uel maluæ, althææ, fœnogræci, seminis lini, aut similium decocto affatim fouentes, conuolutam lanam præparabimus, figura & craßitudine sinui muliebri proportionalem, tenui & puro linteo exterius circundatam, ac deinceps in succum acatiæ, uel hypocisthidis uino dilutis mersam utero inseremus, & citra uiolentiam ac sensim totum quod procidit sursum torquebimus, quoad integer in sinu tumor excitetur, & uterus in proprium reponatur locum. Extrinsecus autem pubem spongia in posca expressa operiemus. Mulier uerò iacebit extensis adaptatisq; inuicem cruribus ut alterum alteri incumbat. Tutius tamẽ erit pedes simul uinciri, fasciam usq; ad genua deducendo, At si prolapsus uterus temporis diuturnitate intumuerit, plurimoq; humore infartus fuerit, ita ut tumor

Curatio. (margin, beside line 3)

Localia. (margin, beside line 28)

tumor reductionem impediat, betarum decocto irrigabimus, deinde acetum circũfundemus, salemq́; tenuißimum inspergemus: & ubi detumuerit, sicut dictum est, reponemus. Deinde cucurbitæ cum flãma copiosiore, umbilico & utriusque ilibus affigendæ. Naribus odorata iugiter admouenda. Tertio die lana adhuc in sinu persistente, mulier in uino nigro austero, modicè tepido, aut in decocto myrti, rubi, malicorij, & similiũ insidebit. His peractis, rursus supina acclinibus coxis locabitur, sublataq́; è sinu priori lana, altera in locum prioris eodem medicamento madefacta imponitur. Cataplasmata, etiã & emplastra extrinsecus imo uentri ex palmulis, malicorio, lenticula, & similibus composita imponantur. Cerata etiam ex mastiche, ligno aloës, ladano, thure, iunco odorato, acoro, nuce moschata, gummi, tragacantha, & eiusmodi medicamentis parata conueniunt. Singulis uerò tribus diebus hæc usque ad perfectam curationem permutẽtur. Toto etiam curationis tempore mulier motum, & ea quibus sternutatio excitatur, euitet. Cæterum uterus ab infernis, fœtidis rebus suffiendus est, naribus autem odoratißima sunt adhibenda, quod is odorata sequatur, fœtida contra refugiat. Cibi etiam boni succi, & uina odorata offerenda. Vẽter etiam leniendus ac lubricandus, ne si cum difficultate sit egerendum, simul uterus procidat. Cauendum tamen unicè, ne uenter nimium subducatur: exoluitur enim, elaxanturq́; propinquæ partes, & uteri loca procidunt. Porrò si pars uteri prolapsa temporis diuturnitate propter incuriam obq́; putruerit aßiduam urinæ irrigationem & sordes inhærentes exulcerata fuerit, amputandum, aut inurendum quòd inutile fuerit, nullius metu periculi. Constat enim, Pauli etiam testimonio, totum uterum, eo quòd computruerat, ablatum fuisse, ac mulierem superuixisse. Victus.

De

De mola. Cap. LVIII.

Mola qd. Μύλην hoc est molam Aëtius & Paulus uocant induratum tumorem, interim in uteri ostiolo, interim in toto ipso prominentē, ad tactum ferè lapidosum, Gal. autem lib. 14. The. me. molā definit esse carnē informē. Nomen à difficultate motus accepit, quā sanè quæ hoc malo premuntur mulieres sentiunt. Fit à seminis muliebris, & plurimi sanguinis menstrui in uteri retentione & affluxu, quem calor immodicus cogit, ac in carnis formā transmutat. Consequitur hoc malum tumor durus cum hypochondriorū contractione, corporis gracilitate, decoloratione, appetentiæ deiectione, mensiumq; suppreßione. Item in hoc malo mammillæ intumescunt, ut conceptionis quibusdam per initia suspicio suboriatur. Temporis uerò progressu discernuntur: molā enim punctionis sensum inferens dolor subsequitur, nec in ea motus ullus, sicut in cōceptione percipitur. Nōnullæ uerò præbent aquæ inter cutem suspicionē, à qua tamen malum hoc distinguitur, quod tumor durus sit, neq; sicut in hydrope manuum aut digitorum impulsu cedat, aut excauatur, aut tympani modo sonum edat. Nonnunquā tamen tempore procedente iecur refrigeratur, & hydrops superuenit. Malū hoc magna ex parte insanabile est, nisi initio remedia adhibeantur. Vtcunque tamen accidat, curatio negligenda non est, sed omnia quæcunq; conuenire uidebuntur, adhibenda. Primùm uerò omnium alimenta boni succi offerenda, ac uini potione utendū moderata. Mulier uehemēti motu non utatur, is enim fluxionē commouet: sed gestationibus, & deambulationibus, & balneis. Pedes quoque decumbendo elatiores habeat. Interea ubi plenitudo affuerit, uena cubiti incidēda erit, ac subinde purgatione per catapotia fœtida uocata utendum. Corpore uacuato cataplasmata, fomēta, insessiones, peßi, unguenta,

Mola cur dicta.

Causæ.

Signa.

Victus.

Curatio.

Localia.

ta, & cerata quæ relaxandi uires habent admouenda: qualia sunt quæ ex althea, malua, chamæmelo, meliloto, fœnogræco, semine lini, & similibus parantur. In hunc usum non alienum erit unguenti dialtheæ, aut emplastri diachylôn simplicis admotio. Vel adhibeatur hoc quod accipit: Olei amygdalarum dulcium ℥ 1. olei liliacei ℥ 2.ß. pinguedinis anseris & gallinæ, utriusq; ℥ 1.ß. lenti cremoris seminis lini & fœnogræci, utriusq; ℥ 1. ammoniaci, bdellij, utriusq; ℥ 2. radicis altheæ, seminũ nigellæ & dauci, singul. ℈ 2. ceræ quod satis est, fingatur unguentũ, gummi in uino prius dissolutis. Peßi quoq; subijciendi ex butyro, adipe porcino, medulla ceruina, paßulis, caricis pinguibus, seminibus lini & fœnogræci, cōfecti. Posthæc quæ menses euocare, possunt propinanda medicamenta. In quem quidem usum præter ea quæ in capite de suppreßis mensibus commemorauimus, conuenit hoc medicamentum, quod habet, Specierum diacinnamomi, diagalangæ, diacumini, singul. ℥ ß. specierũ diambar ℈ 1. specierũ dialachæ ℈ ß. cinnamomi selecti, hyperici, calami odorati, asari, radicis acori, seminis anisi, singul. ℈ 1. seminis rutæ, zingiberis, artemisiæ, marrubij, dictamni, saluiæ, singul. ℈ ß. sacchari dissoluti in liquoribus stillaticijs artemisiæ & hyperici, quod satis est, fingãtur morsuli, de quibus quotidie pōdus duarum aut trium detur drachmarum. Proderit etiam hunc subijcere pessum, qui habet: Radicum assari, acori, rubiæ tinctorum, singul. ℥ 2. seminum rutæ nigellæ, utriusq; ℥ ß. maioranæ, nucis moschatæ, garyophyllorũ, baccarum lauri, singul. ℥ 1. sauinæ ℈ 1. castorei, euphorbij, utriusque ℈ ß. tusis & cribratis ijs quæ opus est, cum terebintina resina formentur peßi. Quid multa? utendum medicamẽtis ralaxãtibus & dissoluentibus sanguinem concretum, sic enim plurima sanguinis atri & grumescentis excretio sequetur. Mirificè etiã ad

Litũ. | Pessi. | Morsuli. | Pessus.

ad huius mali amolitionẽ, potißimum ubi diuturnum fuerit, uti confert balneis naturalibus & per se natis, quibus dissoluendi ac discutiẽdi facultas ineſt. Porrò multa etiã remedia huc ex capitibus De aqua inter cutẽ, transferenda erunt.

De inflammatione uteri. Cap. LIX.

Causæ. VTerus plurimis de causis inflãmatur, nempè ictu, mensium retentione, aborsu, ulceratione, concubitu metas rationis excedente, sellæ nimis duræ insеßione, lõgißima intentißimaq́; deambulatione, sæpè etiã trãspiratione, propter frigus, prohibita. Comes inflammationis uteri eſt febris acuta dolor capitis, pubis & lumborum, & radicis oculorum, brachialis, digitorum & colli cõuulsio, & in aduersum declinatio. stomachi ex cõsortio dolor, oris uteri conniuentia. pulsus exigui, crebriq́;. Si languida fuerit inflammatio, haud ualida prædicta symptomata erunt, maioriq́; dolore uterus afficietur. Sin uehemens, & ipse totus pulsatilẽ dolorẽ percipit, omniaq́; symptomata uehementiora erũt. Vniuerso autem utero inflammatione laborante, undiquaq; dolebit: parte uero eius aliqua inflãmatione obsessa, in ea dolor magis intẽditur. Nam si posteriora ipsius inflãmatione corripiuntur, dolor lũbos magis uexabit, durumq́; stercus detinetur, quòd tum rectũ inteſtinũ, admodum cõprimatur. Si anteriora, dolor pubẽ occupat, & urinæ stillicidiũ aut difficultas, uesica preßa, excitatur. Lateribus autẽ inflãmationẽ expertis, inguina tenduntur, & crura grauantur ac difficulter mouentur. Quum autem os uteri inflammatio affligit, in abdomine dolor eſt, digitoq; immisso os occurrit durum, iniucundum, clausum & feruidum. Initio itaq; curationẽ aggreßi, si neq; ætas, neq; habitus corporis, neq; anni tempus obſtiterit, neq; inflammatio poſt aborsum, aut immẽsam sanguinis euacuationem

Signa. Curatio.

tionem superuenerit, uenam poplitis aut, malleoli secabimus, idq; ex Galeni traditione, qui in libro De curãdi ratione per sanguinis mißionẽ, uteri inflammationẽ à uenis in crure sectis magis quàm in cubito iuuari scribit. Aegram subinde in domicilio obscuro, & moderatè calido seu tepido collocabimus, quietem imperantes, ac crura eius ab omni motu prohibentes. Deinde artus & extrema perfricabimus, ut fluoris ad uterũ impetũ auertamus. In cibo, qui quantitate modicus sit, utendum ptisanæ cremore, & ouis sorbilibus, uno tamen die interposito. Potu uini abstinendum, ac pro eo utendum iure decocti cinnamomi, aut aqua calida. Aluus quoq;, præcipuè ubi sua sponte non deiecerit, leuibus & emollientibus clysteribus eluenda, & uacuanda. Extrinsecus lana ex oxyrhodino madefacta, pubi & lumbis imponenda. Palmulæ quoq;, aut mala cotonea, in uino decocta, & rosaceo admixta, admouenda. Cataplasmata etiã ex farina seminum lini, fœnogræci, meliloto, plantagine, lentibus polygono, portulaca, sedo, & similibus composita adhibenda: idq; potißimum, si erysipilatis naturam inflãmatio sortita sit. Lana deniq; cum rosaceo, aut melino oleo, aut succo portulacæ, aut sedi madefacta in uteri sinum immittenda. At ubi inflãmatio declinare cœperit, ad ea ueniendum, quæ quadantenus remittendi discutiendiq; uires habeant. Aegrotã igitur in fœnogræci, altheæ, seminis lini, maluæ, interdum etiã artemisiæ, marrubij, & saluiæ decocto usq; ad lumbos sedere iubebimus. Pubi quoque & lumbis hordeaceam farinam cum fœnogræco, & semine lini in mulsa elixatam, aut caricarum decoctum illinemus. Peßi quoq; subijciendi ex butyro, medulla ceruina, adipe anserino, gallinæ, & similibus parati. Vbi curatio processerit, uarius magis cibus & leuior utilis erit. Et quidem in manifesta declinatione ad balneum etiã ducantur ægrotantes, ui-

Venæ sectio.

Victus.

Localia.

numq́; aquosum maximè & tenue detur.

De inflatione vteri. Cap. LX.

Causæ. INflatur uterus ex frigore, uel humoribus in eo corruptis, uel ex aborsu uel difficili partu ostiolo eius conniuente, aut grumo in ipso obstruente. Flatus uerò sæpè in cōcauo ipsius spacio colligitur, sæpè in sinu qui sensui patet, nec raro in rarioribus sensuiq́; non patentibus partibus corporis ipsius uteri. Malum hoc sequitur tumor imi uētris, cum duricie & Signa. dolore punctionis sensum inferente, qui usq; ad septum transuersum & stomachum peruenit: ac nihilominus utrinq; in lateribus extenditur, sæpeq́; alteri inguini, interdum utriq;, interdum & umbilico lumbisq́; ac pectini dolor communicatur, cui caput quoque assentitur. Nonnunquam flatus per muliebre pudendum erumpit, & ab ægra percipitur. Si itaq; flatus in uteri cauitate collectus fuerit, murmura & sonitus quidā in corporis flexu audiuntur, quales intestinis accidūt, quæ torminibus uexantur, impulsuq́; digitorum sonus tympani modo redditur. At ubi flatus in rarioribus uteri meatibus cōtinetur, dolores uehementiores, ac curatu difficiliores Curatio. infestāt. Auxiliatur huic malo primū, nisi ætas, regio & anni tempus obstiterint, sanguinis mißio, inedia, & purgatio ex Localia. hiera picra Galeni. Quibus peractis, fomentis & inunctionibus ex oleo rutaceo, aut oleo in quo anethum decoctum sit utendum. Insessionibus præterea ex decocto rutæ, pulegij, calaminthæ, marrubij, artemisiæ, althee, & similibus paratis. Cataplasmata quoq; adhibenda ex semine apij, fœniculi, carei, cumini, smyrnij, dauci, anisi, lolij farina, & similibus. Vtero etiam infundenda quæ laxandi, flatusq́; discutiendi uires habent, ut est oleum rutaceum, ammi, origani, & paulò ante commemoratorum decoctum. Et si flatus grumorum

causa

causa includantur, post prædictorum insessionum maximè usum, obstetrix digitum prius perunctū in pudēdum muliebre inserat, ac grumum sensim ac leniter dissoluat & educat, Quòd si diutius se malum prorogauerit, ad efficatiora remedia ueniendū erit. Quare utendum linimentis, emplastris & ceratis paulò uehementioribus, quale est quod habet: Abrotoni, origani, calaminthæ, singul. ℥ 2. seminis agni ℈ 2. centaurij minoris ℨ 1. seminum carei, ammi, utriusq; ℥ ß. casiæ ℈ 1. bdellij, ammoniaci, utriusq; ℥ 1. ß. oleorum rutacei & anethini, utriusq; ℥ 1. cū cera & terebinthina resina quod satis est, informetur ceratū quod utero adhibeatur. Interdū etiā usq; ad dropaces ac sinapismos progrediendū. Cucurbitæ etiā locis in ambitu leues, & quæ uiolenter auellātur, affigendæ. Nam hæ incantamēti cuiusdā simile, ut nūc sæpè dictum est, efficiunt. Interdum etiā scarificatio adhibenda est. Omnimoq; ijs utendum quæ uim habēt ex alto in summū euocandi. Alimenta quoq; attenuantia, & flatum discutientia exhibere oportet, necnon medicamēta quæ idem possunt, ut dianisi & diacumini, ac diacalaminthæ antidota, & alia quæ in capite De uentriculi inflatione exposita sunt.

Ceratum.

Cucurbitæ

Victus

De vteri exulceratione. Cap. LXI.

EXulceratur interdum uterus propter difficilem partū, aut fœtus extractionem, aut eiusdē corruptionem, aut ex acribus medicamentis, aut fluxione, aut abscessibus disruptis. Hoc malo laborātes in patiente parte dolorem punctorium percipiūt, atq; ex interuallis fœtidi saniosiq; humores ab ulcere sordido excernuntur, cæteraq; signa consequuntur malè habenti utero peculiaria, ut capitis, & præcipuè sincipitis, tenontum, radicisq; oculorum dolor, qui ad manuum etiam fundamenta, & digitos usq; protenditur, ac reliqua

Causæ

Signa.

quæ in capite De inflammatione prædiximus. Vlcus itaq; in conspectũ ueniens, spicillo oriculario deprehenditur. Altum uerò & reconditum, ea quæ excernuntur indicabũt. Humor enim diuersus excernitur. Inflammato quidẽ ulcere, paucus, cruentus, aut fœculentus, cum magno dolore. Sordido autem existente, copiosior, & sanies cum minori cruciatu. Depascente uerò, fœtidus, niger, cum doloribus uehementioribus.

Curatio. Porrò ubi cum inflãmatione fuerit ulcus, uenæ sectione & alijs medicamentis ad illam scriptis utendũ. In reliquis medicamentis purgãtibus, maxime si corpus uitiosis redundet humoribus, utendum.

Localia. Deinde adhibẽda quæ reprimunt humorum defluxum, atq; calidã intemperiẽ corrigunt, ut est succus aut liquor stillaticius portulacæ, plantaginis, bursæ pastoriæ, et similes iam sæpè expositi.

Repurgãtia medicamenta. In sordido subinde expurgantium medicamentorum usus erit, ut est ptisanæ cremor cum melle, mulsa cum decocto radicis iridis, aristolochiæ, absinthij, aut agrimoniæ. Ea uerò quæ depascunt efferantur quæ ulcera, equino uel asinino lacte recenter mulso abluẽda sunt. Lacti uerò mel admiscendũ, & iridis radix. Hæc qdẽ, si ulcera cõspicua fuerint, illinuntur: sin profunda, infundũtur per metrenchytas.

Ad cicatricem ducentia. Vbi ulcera probè purgata fuerint, ijs quæ ad cicatricẽ ducunt utẽdum, primo quidẽ mitioribus, postea efficacioribus.

Ceratum. Placet in primis ceratum Aëtij, quod habet: Ceræ albæ ℥ 1. rosacei optimi ℥ 3. Hæc super carbonibus liquato, & quadantenus subinde refrigerato, tum in mortariũ conijcito, lacteq; muliebri, aut asinino, aut caprino recẽs mulcto, cum pistillo diluito, quousq; totum albescat: deinde effuso priori lacte, nouum imponito, ac rursus subigito, postea croci circiter ℈ 1. adijcito. Quòd si maiorẽ mitigationẽ quæsieris, addito rosacei olei ℥ 2. adipis & medullæ anseris utriusq; ℥ ß. Licebit & pro rosaceo melinũ admiscere. Hoc ceratum

ratum abdomini & coxis imponendum. Siquidem eius facultas per latentes meatus in uterum traducetur. Possunt etiam eius farinæ medicamenta utero inijci, ut est decoctum mali corij, rosarum, malorum cotoneorum, rubi, myrti, rhoïs coriarij, acatiæ, hypocisthidis ex uino adstringente. Ad hūc locum transferenda sunt medicamenta è superioribus libris, ex capitibus De ulceribus renum uesicæ, & uirgæ.

De phimosi vteri. Cap. LXII.

Φίμος καὶ φίμωσις, obturatio seu coarctatio est in ore aut ceruice uteri, qua ea loca tam angusta redduntur, ut non amplius semen admittant: uel si admiserint, nō retineant. Ob callosam enim duriciem contrahi nequeunt. Interdum tamē semen admittitur, & intra angustißimum os uteri continetur, atq; inde fœtus concipitur, conceptus uerò prægnanti moriendi occasionē affert, quum propter nimias locorū angustias efferri nō queat. Fit autē phimos in ore uteri, aut ex præcedenti ulceratione, aut durata illic inflammatione. Signis ad mali cognitionē nihil opus est, de sermonibus enim ægrotantis & tactu facilis est deprehēsio. Curatio ipsa fit fomentis relaxātibus & emollientibus, itemq; cataplasmatis & insesßionibus simili facultate præditis. Fomenta itaq; ex hydrelæo & fœnogræci decocto adhibenda sunt. Pessis etiam utendum quæ relaxādo emolliūt, ut est is qui ex æsypo, nitro, & resina terebinthina cōficitur. Quid multa? ad huius mali amollitionem utendum medicamentis emollientibus, malua nimirū, althea, nigella, fœnogræco, lino, ammoniaco, bdellio, resinis, adipibus, & similibus, è quibus cerata, emplastra, & omnis generis localia medicamēta componi possunt. Quòd si malū inueterauerit, suffimētis uaporibusq; aromatum utendum. At ubi iam loca tactui molliora offeruntur,

Phimosis vteri. Causæ. Signa. Curatio. Si malū inueterauerit.

tunc spongiã aridã funiculo appensam intra locorum angustias, dilatandi gratia imponemus. Quæ si exciderit, aliã crassiorẽ immittemus. Quare plures diuersasq; spõgias exarentes præparatas habere oportebit. Postea aliquod medicamẽtum ex alumine & elaterio, melle exceptis, paratum spõgiæ imponendæ illinendum, ut scilicet locus apertior fiat. Quòd si postea sublata spongia locus non satis apertus uidebitur, inflammatióq; propter erodentia medicamenta admota superuenerit, infrà scriptum medicamentũ spongiæ illinetur, quod habet: Olei irini ℥ 1. resinæ terebinthinæ ʒ 2. adipis anserini ʒ 1. radicis iridis, thuris, utriusque ʒ ß. ceræ quod satis est, fiat unguentũ. Porrò si inflammatio uehemẽs fuerit, pro irino uiolaceũ aut rosaceum sumatur. Vbi inflammatio cessauerit, & locus apertus fuerit, ceratum ex oleo rosaceo & adipe anserino confectũ spongiæ illinemus, & in eo usq; ad cicatricẽ obductam persistemus, locum solidiorẽ paulatim reddentes. Spongia tamen usq; ad perfectam curationẽ nunquam non imponenda, ne os uteri rursus coalescat.

Vnguẽtũ.

De sterilitate remouenda. Cap. LXIII.

Causę. A uiro.

STerilitas aut uiri, aut mulieris ratione accidit: A uiro est, cum semen eius uel calidum, & ueluti torrefactum, uel frigidũ, tenue, aquosum, liquidum, quale decrepitorum est: uel crassius quàm oportet emittitur, uel quod uiri semispadones sint, penemq; breuissimũ habeãt, ut in uuluæ recessum semẽ iaculari nequeant. Quod etiã interdũ nimia obesitate cõtingit. Obesi enim tam uentricosi euadunt, ut semẽ ad profundiores uteri partes iaculari non possint. Mulier uerò sua ipsius ratione non concipit, quòd uterum habeat uel calidum & igneum, uel frigidum & humidũ, uel squalenẽ & aridum. Nam, ut Hippocrates ait: Quæcunque frigidos & den

A muliere.

5. Aph. 62.

densos uteros habent, nõ concipiũt: extinguitur enim in eis „ genitura. Et quæcunq; siccos magis & torrefactos: nam ex „ defectu alimẽti corrumpitur semẽ. Cæterùm crassæ admodũ „ & obesæ haud cõcipiunt. Cuius rationẽ Hippocrates ijs uer „ bis reddit: Quæcũq;, inquiẽs, præter naturã crassæ nõ cõci- 5. Aph. 46. piunt utero, ijs omentum os uteri comprimit, & priusquam „ extenuentur non concipiunt. Graciles deniq; & macilentæ „ non concipiunt: aut si concipiunt statim abortiunt, eodem Hippocrate teste, qui sic scriptum reliquit: Quæcunq; præ- 5. Aph. 44. ter naturã tenues existentes, utero gerunt, abortiunt prius- „ quam craßescãt. Quædã etiã non cõcipiunt, eo quod uterus „ earum debilis est, uel angustus, uel breuis, aut quod uasa eius obstructa & clausa sint, aut cicatricis superuẽtu excæcata, aut quòd uteri ceruix in obliquũ ducatur: aut quòd os eius ni- mis angustũ, uel nimis amplũ sit. Sed & inuiti cõcubitus ina- nes & steriles, magna ex parte sunt. Amor enim geniturã cõ ciliat: ideoq; fœminæ amantes creberrimè pariũt. Aetas etiã uel iunior, uel prouectior cõceptum impedit. Propterea nũc primùm pubescentes à uenere arcere oportet, ita ut uir tri- gesimum annum, mulier decimumoctauum attingat. Præci- puè uerò inepta mulieris forma sterilitati occasionẽ præstat.

Inuiti concubitus cur fere steriles.

Aetas quæ conceptioni apta.

Fœcunda enim mulier habere debet proceritatem corporis moderatam, lumborum & pectinis latitudinem, nates eminẽ tes, commodam alui molẽ, thoracem angustum, mammillas amplas. Signa quibus causarum diuersitas cognoscitur, hæc sunt. Calidius uiri temperamentum facile ex pilorum copia, nigrorum potißimum, in partibus genitalibus, & omnibus quæ circunstant, à supernis quidem usque ad media fœmo- ra deprehenditur. Petulca etiam est hæc temperatura, & prona ad libidinem, statim uerò satiatur. Frigidius tempe- ramentum monstrant partes circumpositæ testibus glabræ.

Fœcundæ mulieris forma qualis esse debeat.

Signa.

Calidæ tẽperatur&æ uiri.

Frigidæ

Neq; etiam hoc temperamento præditi ad libidinem proni sunt. Vteri uerò caliditas ex reliqui corporis caliditate cognoscitur, quodq; pauca menstrua, & cum dolore deferuntur, ut genitalia interdum mulieris exulcerentur. Sed & quæ educuntur, nigriora sunt. Hanc etiam temperaturã insignis salacitas, & totius corporis siccitas sequitur. Frigidiorem uteri temperaturam monstrat, mẽstruorum suppreßio, stupor in pube, lumbis, & cruribus obortus. Veneris etiã usum aspernãtur, & os uteri contractum habẽt, hoc temperamento præditæ. Humiditatis uerò uitio fœcunditatẽ frustrari indicat, si in coïtu humore admodũ perfundantur & si ijs fuerint tenuia copiosaq; mẽstrua. Siccitas cõtrarijs planè deprehenditur notis. Reliquæ causæ partim uisu, partim de sermonibus ægræ, aut aliorum cognoscũtur. Communiter quidem ambobus, uiro scilicet & mulieri, congruit uniuersum corporis conseruare probè temperatum, laboris, cibi, balnei, & reliquorum omnium mediocritate. Viri igitur, qui propter deprauatam uiuendi rationẽ semẽ corrumpũt, ad magis cõpositum salubrioremq; uictum cõuersi, genituræ fœcunditatem acquirũt. Mulier autẽ neq; ingenti labore defatigetur, neq; prorsus ociosa sit: hoc enim superuacuis excremẽtis molem corporis replet, illud uero sanguinẽ desiccat, & purgationes absumit. Potu & cibis concoctu facilibus utatur, & quos uẽtriculus probe superet atq; cõficiat. Illud uerò potißimum circa rectam uiuendi rationem est obseruãdum, ut nec uir, nec mulier obesi reddantur. Qui enim tales fuerint, liberis procreandis inepti sunt, eo quòd genitalibus mutuo se cõtingere non poßunt, & paucum semen emittunt. Porrò cõuenit etiam ut ijs qui liberis procreãdis operam dare cupiũt, quædam consueta esuq; aut potu grata ante cibum offerantur, quæ ueneri excitandæ & semini generando aptißima sint:

Vteri calidioris.

Frigidioris

Humidioris.

Siccioris.

Curatio uiro & mulieri cõmunis.

Obesitas maximè uitanda.

sint: qualia existunt quæ calefaciunt mediocriter, Galeno lib. 5. De simpl. med. facul. cap. 20. teste, & inflant. Vinum itaq; in hunc usum, modicè sumptum, aquæ præfertur. Sine enim Cerere & Baccho, ut ille ait, friget Venus. Ex oleribus utendum eruca, orminio erysimo, & alijs quæ in cap. De ijs qui re uenerea uti non possunt, commemorauimus. Ruta, calamintha & menta omnino uitanda sunt. Calamintha enim & menta, etsi plurimum semen, languidum tamē & imbecillum gignunt. Ruta uerò prorsus corrumpit. Cæterùm ubi mulier uitio quodam humorum nō concipiat, eas purgante medicamento uacuare, & proba uictus ratione emendare expedit. Peculiariter uerò mulieribus cōuenit, curā eorum quæ sunt circa uterū quàm fieri potest maximā habere, & ut ijs menses sine omni impedimento promanent. Quum igitur propinqua est per menses purgatio, cibi potusq; quantum fieri potest mediocritatē curæ habebunt, & quippiam ex ijs quæ menstruam purgationem irritare & stimulare possunt, assument, ut sunt olera odorata & acria, gingidium, fœniculum, apium, smyrnium, & similia quorum copiam ex capite De suppreßis mensibus petes. A` purgatione menstrua optimum & oportunißimum concipiendi tempus est. Quoniā, ut testatur Hippocrates noster, post menstruam purgationē iam dextra, iam uerò sinistra uteri pars aperta est. Porrò uteri intemperiem frigidā per fomenta, cataplasmata, suffitus, & alia quibus calefaciendi uis inest, corrigere oportet, ut sunt quæ ex artemisia, pulegio, saluia, ruta aniso, cumino, acoro, & similibus parantur. Castorium etiam bibere proderit, & semina odorata, cuminum, anisum, iuniperi quoq; fructum, & alia quæ in capite De suppreßis mensibus dicta sunt. Calidiorem uerò uteri intemperiem per ea quæ refrigerant & humectant emendabimus: cuiusmodi sunt olera quidem la-

Olera quæ vitanda.

Curatio mulieris cacochymia laborantis.

Tempus cōcipiēdi.

6. Epid. par. 7. Aph. 24.

Curatio frigidæ intemperiei vteri.

Curatio calidioris intemperiei.

ctuca, malua, cucurbita, portulaca, atriplex, & ijs similia. Vinum bibendum tenue, album & dilutum. Proderit sic laborantibus somnus, & dulcium aquarum balnea. Lumbis etiā ac pubi refrigerātia adhibenda sunt, ut solani succus rosaceo admixtus, qui etiā lana exceptus in uteri sinum utiliter imponetur. Quæ ob uteri humiditatē nō cōcipiūt, ijs uictus siccior utilis est. Exerceri etiam eas plurimum oportet, ac in superioribus corporis partibus perfricari, euacuationisq; & auersionis gratia interdum pransas, interdum ieiunas uomere, & cibi parcimonia exiccari, carnesq; ætate uigentiū animalium tostas comedere, uinumq; potens & meracius, sed parcius bibere. Arida præterea fomenta crebrò adhibenda. Profuerit & uuluæ adstringentia apponere, qualia sunt rosarum, foliorum rubi, gallarum, rhois obsoniorum, myrthi, poligoni, malicorij, & similiū decocta. Id autē nisi totū antea corpus purgatum sit faciendum minimè erit. Sicciorē uerò uterum cōtrarijs curare oportet, balneis aquarū dulciū, inunctione, & alimentis humectantibus, uino diluto, non nimis ueteri. Quòd si à craßiorib. humoribus cōcipere mulier impediatur, siquidē rodentes fuerint, mulierē probè purgare cōuenit hiera picra, sero lactis & uictu exquisitiori, cibisq; boni succi utendum. Pituitosos uerò humores laboribus plurimis sudoribus, uomitu, uel per inferna purgatione absumere oportet, aliaq; omnia quæ in cap. De suppreßis mēsibus cōmemorata sunt, quæ nihil attinet hic mēbratim recensere. Iam uerò flatus quoq; in utero cōcepti fœcunditatē impediunt. Quibus primùm parciore cibo medebimur, dein ijs quæ flatus discutiunt medicamētis, ut est cuminū, ruta, anethum, apij semen, & similia, quæ in cap. De uuluæ inflatione, & alibi dicta sunt. Ea autē partim potāda, partim extrinsecus adhibenda sunt. Clausum ac conniuentem uterum aperiemus

Humidioris.

Siccioris.

Curatio humorū craßiorum.

Curatio flatuum.

Clausi uteri.

riemus iniectis clysteribus odoriferis, fomētisq́; & insessioni bus ex fœnograeco, semine lini, malua, & id genus alijs, suprà in cap. De phimosi uteri etiã cõmemoratis. Postea ad ualidiora progrediendum artemisiã nimirum, calaminthan, pulegiũ, & maioranam. Quibus os uteri nimium hiat, ijs uictus aridus, fomenta sicciora, medicamenta adstringentia, qualia sunt gallarum decoctum, rubi radix, myrtus, & eiusmodi in curatione humidioris intemperici recensita, conueniunt. Postremum peruersiones uteri emollientibus fomentis dirigemus: id enim fomenta maximè possunt. Sed & mollientes pessuli utiliter supponētur. Præcipuè uerò pulegij & artemisiæ decocta, & castorium è posca bibitũ utero auerso conferre solent. Paulus tradit, tum uenerē à tergo exercitam ad cõcipiendum conducere. Nos hic generatim atq; per capita tantum curandi rationes perstrinximus. Particulares enim curationes è proprijs petendæ sunt capitibus.

Aperti vteri.

Peruersionis.

De difficultate partus. Cap. LXIIII.

Difficilis partus aut uitio parientis, aut fœtus, aut secũdarum, aut extrinsecus aduenientium accidit. Parturientis quidem, si crassa obesaq́; sit, aut animo pusillo, & dolorum imperita, aut uterus totus exiguus fuerit, aut inflãmationē uteri, aut alterius partis habuerit, aut alio quouis morbo laborauerit, aut naturaliter imbecilla sit, ut fœtum propellere nequeat, aut ante tēpus pariat. Itē si os ceruicis uteri fuerit obliquũ, aut eidē caro aliqua propter ulcus quod præcessit adnata sit. At fœtus uitio, si uel inusitatæ magnitudinis existat, uel exiguus & modicæ grauitatis, uel magni capitis, uel monstrosus (uerbi gratia) biceps tripes'ue: uel mortuus, qui nihil opis parturienti præstet, aut intumescat: aut uiuus quidem, sed imbecillis, ut foras non poßit progredi: uel

Causæ. Ex parturiente.

Ex fœtu.

uel si gemini uel plures fuerint, & repente omnes simul collo uteri impingantur. Vel si figuram naturæ aduersam & cōtrariā obtineat. Naturalis siquidē figura fœtus prodeuntis est: prima quidē in caput, manibus super fœmoribus porrectis & extensis, & capite in neutram declinante, sed rectà ad os uteri directo. Proxima huic, ubi in pedes manibus super utroq; fœmore extēsis, rectà defertur. Aliæ omnes præter has duas à natura abhorrent, ut si caput in dextram aut sinistram uteri partē inclinat, uel si altera aut utraq; manus exeritur cruraq; interius à se inuicem diducuntur. Aut si fœtus altero pede prodit, altero interius retēto. Aut si duplicatus alicui uteri parti innititur. Ob secundas partus redditur difficilis, si aut non auellatur ob craßitiem, aut priusquā opus sit propter tenuitatē abrumpatur. Tūc enim humor in utero collectus ante cōgruum tempus excernitur, quare pudenda sine humore, siccaq; in ipso partus tēpore manēt, cum necessaria est humiditas, quæ exitum lubricū & facilē fœtui præbeat, atq; adeò præ siccitate ægrè fœtus elabitur. Ab externis etiā causis pariendi difficultas oritur, à frigore nimirū, quod uterum densat, & meatus angustiores reddit: aut calore immodico, qui uires dissoluit. Causæ quidē externæ parientis, & aßistentiū sermonibus cognoscuntur. Imbecillitas uerò pariētis, ueluti pinguedo, ex corporis habitu facilè deprehenditur. Ex morbis etiā præcedētibus prōptè in imbecillitatis notitiā, & nonnullorū aliorū malorū ueniemus. Fœtus imbecillitas ex debili ac tarda motione cognoscitur. Qui si mortuus fuerit, à motu prorsus cessat, uētris frigiditas adest, atq; dolor iuxta umbilicū grauis. Spiritus exhalatur fœtidus, facieiq; color prauus. Magnitudo autē fœtus ex parētum corporis cōstitutione, ac uentris parientis mole conijcitur. Craßities secundæ inde colligi potest, quòd prædictorū

signo

Naturalis figura fœtus prodeūtis.

Ex secundis.

Ab extrinsecus accidentibus signa.

Imbecillitas pariētis.

Fœtus.

Magnitudinis fœtus.

Crassities secundæ.

signorum nullũ adsit, & parturiẽs robusta, facilisq; fœtus motus sit. Porrò quod ad curandi rationem attinet, uariatur quidẽ iuxta causarũ diuersitatẽ. Obesam itaq; mulierẽ in lectulo pronã, hoc est in caput propendentẽ, & uultu in terram deiecto figurare oportet, flectentẽ inclinantem'ue genua ad fœmora, quo uterus ad abdomẽ tẽdẽs è directo oris sit. Digitis uerò pinguedinibus (uerbi gratia) butyro, oleo, axũgia anatis, gallinæ, & similiũ delinire os uteri oportet, & sensim dilatare. Timidæ uerò addẽdus animus. Inexpertã autẽ dolorũ partus admonere, ut ualidißimè spiritũ cõprimat ac cõtineat, & ad ilia ualidiore conatu protrudat. Si autẽ difficilis partus ex adstrictione, stupore, aut ueluti fœtus adarctatione oriatur, relaxatione succurrendũ erit, infundẽdo largiter oleũ dulce & calidũ. Item decoctum fœnogræci, aut maluæ, aut seminis lini, aut etiã oua, quòd leniendi facultate prædita sint. Dein & pubẽ cum abdomine & lumbis prædicto, decocto, aut alio relaxante medicamẽto fouere oportet. Proderit etiã insessionibus calidis & euaporationibus tum aëre domus ad caliditatẽ uergẽte, tũ infusionibus et illitionibus ex oleis tactu & uirtute calidis, cataplasmatisq; cõuenientibus uti. Quòd si neq; febris, neq; quippiã aliud obstiterit, balnea relaxãtia adhibere oportet, mouereq; parientem gestatione in sella, in aëre mediocriter calido. Nonnulli & in ijs corporis quassationibus uiolẽtis utuntur. Quòd si aliqua debilis fuerit, & difficilẽ partũ ob resolutionẽ habeat, densantibus & cõtrahentibus, atq; cum ijs quæ reficiũt, & robur addunt cibis & potionibus resocillanda: quales sunt insessiones, & aspersiones ex myrto, pãpinis uitis, malis punicis, rosis, aceti odore, et illitiõe ex uino, oleo rosaceo mixto frigido. Vbi infans præmagnus fuerit, ea adhibẽda quæ dilatare et laxare os uteri poßũt. Si uerò ex præternaturali fœtus figura difficilis partus

Curatio obesæ.

Timidæ.

Si ex adstrictione, stupore, aut fœtus adarctatione.

Si ex imbecillitate & resolutiõe.

Si infãs præmagnus sit.

Si fœtus figura præ

ter naturã fit. *partus cõtingat, ad naturalẽ quãtũ poßibile fuerit, ducẽdus est figurã, partim pellẽdo, partim adducẽdo, ꝑtim flectẽdo, partim in rectũ agendo.* Si manus aut pes prę mititur. *Et si manus pes'ue præmittitur, non attrahere mẽbro præhensum oportet: magis enim firmatur ac impingitur, uel luxatur uel abrũpitur, sed digitis humero uel coxæ fœtus innixis, rursus id quod prominet in conuenientem locũ diducere.* Si cũ oris vteri compresiõe fœtus indecẽs figura sit. *Porrò si cũ oris uteri compreßione, totius infantis indecora fuerit figura, sursum prius ipsum ab uteri ore sublimẽ detrudere cõsiliũ est, deinde præhensum iterũ ad os dirigere.* Si gemini pluresve fuerint. *Si autẽ gemini aut terni, plures'ue fuerint, ac ceruicẽ uteri obsederint, reliquas propellere ad fundum uteri oportet, & eũ q magis paratus uidebitur, prius educere.* Si nõ procedat infans. *Verũ si non procedat, quod infans mortuus sit, aut caput nimis magnũ, uel aliã ob causam, ad fœtus extractionẽ seu sectionẽ, quã Græci ἐμβρυοτελκίαν appellãt, ũeniendũ est. Eam autem copiosißimè Aëtius lib. 16. cap. 23. Et Paulus lib. 6. cap. 74. tradũt. Neq; enim manualẽ curãdi rationẽ docere instituimus.* Si secunda crassior sit. *Porrò si fœtus tunica, seu secũda craßior fuerit ac solidior quàm ut rũpi poßit, dissecanda erit.* Si tunicarũ humor prę properẽ fluxerit. *Quibus autem humor in tunicis cõtentus, ante cõgruũ tempus effluxerit, ita ut loca exaruerint, ouorum albuminibus cum maluæ aut fœnogræci decocto excolato, aut ptisanæ cremore tepido perfundemus.* Puluis optimus ad difficultatem partus. *Medicamentũ uerò quod in uniuersum omnes difficulter parientes iuuat, est hoc quod habet: Cinnamomi electi ℥ 2. myrrhæ, casiæligneæ uocatæ utriusq; ℈ 1. succini candidi ℥ 1. ß. terantur singula, & fiat puluis subtilißimus, de quo in uino odorifero detur põdus drachmæ unius.* Secũdæ eductio. *Porrò fœtu excusso, frequenter accidit, ut secunda in utero firmiter adhærescat. Quod si euenit, tum interdum os uteri apertum, interdum clausum reperitur, secundaq; ipsa nonnunquam uteri fundo adhuc coniuncta, nonnunquam seiuncta est.*

Si

Si itaque os uteri diductum fuerit, & secunda quæ inibi relicta est alicui parti uteri orbiculatim, ac pilæ modo cõuoluta inhæserit, facile educitur. Manu siquidem sinistra calida pinguiq; illita in fundum demissa, secũdam sublabentẽ extrahere oportet. Si autẽ fundo uteri sit cõnexa, demissa simili modo manu calida, & pingui uncta apprehensam secundã trahemus: non tamen in rectum, ne uterus procidat, neq; uiolenter admodũ, sed leniter ac placidè, primum in obliquũ deducemus, huc atq; illuc circumagentes, deinde paulo ualidius attrahemus: hoc enim pacto obsequũtur, et à cõnexu soluũtur. Quòd si uuluæ os clausum fuerit, perfusionibus utemur, & sinistræ manus digitis leniter aperire, & paulatim dilatare conabimur. Quòd si non successerit, mulieris pubi fomenta, perfusiones, unguentaq; emolliẽtia & relaxãtia adhibere cõuenit. Si robusta fuerit, eo tempore etiam sternutamenta ex castorio, pipere, & similibus confecta naribus admouenda sunt. Hinc est quod Hippocates 5. Aph. 49. sic scriptũ reliquerit: Vt secunda procidat, sternutatorio apposito, & nares apprehendito & os. Potiones denique ex earum numero quæ menses prouocant propinãdæ. Quæ quidem omnia primo aut altero die peragenda sunt. Præterea suffitu utendum, decoctis in olla artemisia, iride, sauina, pulegio, calamintha, dictamno, & similibus, olla sellæ supposita, cui mulier uestimẽtis undiquaq; circũsepta insideat. Postea si os uteri apertum inuenerimus, manu inserta, secundã sicut prædictum est, educere conitemur. At si non obediat, dilacerãda non est, haud multis enim postea diebus putrefacta, & in saniẽ soluta excidet. Quia uerò odoris grauitate & caput replet, & stomachum putrefacta euertit: odoramẽta iugiter suffienda sunt, quæ huiusmodi malis aduersantur, & secundã subducunt. Ad quos usus excellunt cardamomũ, bdellium cum sauina, thus, Odoramẽta.

styrax,

styrax, ladanũ, lignũ aloës, & id genus alia. Lapis etiã Gagates per fistulã quæ ori uteri subditur suffitus, mirabiliter prodest. Conueniunt & simpliciora ex ijs quæ menses ducunt, artemisiæ decoctũ, & lauri baccæ cum uino mulso. Pessulos item conficito ex myrrha & cyclamino cum oleo mixtis.

De ischiade. Cap. LXV.

Ischias. Ἰσχιὰς Græcis proprie dicitur dolor grauissimus qui circa iuncturã, quàm Græci ἰσχίον, Latini coxã appellant, accidere solet. Malum hoc Latinis ischias, & qui eo affligũtur, Ischiadici. ischiadici nominantur. Barbari sciaticã malum, & eo laborantes Causa. sciaticos uocãt. Fit propter crassum pituitosumq; humorẽ, qui in coxarũ articulo cõcretus insidet. Ideoq; ischiadis generationẽ non parum adiuuant aßiduæ cruditates, & immodicus rei uenereæ usus. Aliquãdo etiã deãbulationes cõcitatiores, et hæmorrhoïdes suppressæ, & uomẽdi cõsuetudo intermissa, & purgationes menstruæ, aut etiã aliæ familiares ac cõsuetæ excretiones impeditæ, exercitiorumq; neglectus. Hæc enim singula pituitosi humoris copiam conciliare posSigna. sunt. Antecedit autẽ, & quasi auspicatur hoc uitium aliquãdo quidem uicinorum musculorum dolor, & maximè lumborum. Aliquando uerò ab ipsa coxa initium fit. Iam uerò etiam contingit, ut coxæ dolore sublato, circa poplitẽ solum afflictio hæreat: alijs autem iuxta talum, quibusdam uerò totum crus æqualiter dolore afficitur. Multis item dolor circa inguina figitur, & tum sanè uesica ipsa molestiam transsumẽs, urinæ difficultatem inducit: & tunc maximè totũ crus Curatio. à coxendicibus usq; ad calcaneum dolorem perfert. Initium Si plenitudo adsit. autem curationis fiat ab affligentis humoris euacuatione. Et si quidem humoribus ex æquo omnibus redundarit corpus, præ alijs omnibus remedijs uena secanda in poplite, aut talo

interna aut etiam cubito, Gal.lib.10.De cõp.med.secundũ locos ca.2.teste:idq́; in latere affecto. Nam interdũ ischias una die per hanc ex cruribus euacuationẽ curatur. Sin pituitoso atq; crasso humore corpus refertum fuerit, à purgatione eius humoris auspicabimur curationem. In quẽ quidem usum clysteres crebri exhibendi erunt, in hunc uel similem modum parati, quiq; habẽt: Centaurij minoris, saluiæ, uerbasculi odorati, rutæ, chamæpityos, singul. m̃ 1. radicis acori ℥ 1. stichadis ʒ 3. seminũ anisi & fœniculi, utriusq; ʒ 2. ß. agarici optimi ʒ 2. radicis polypodij ʒ 5. decoquantur singula in aqua iustæ quantitatis ad tertias. Dein accipiatur iuris decocti ℥ 13. hieræ picræ ℥ ß. cõpositionis indi maioris ʒ 2. olei liliacei ℥ 2. olei rutacei ʒ 1. uitellos ouorum duos. salis ʒ 1. ß. Commixtis omnibus fiat enema. Auxiliantur etiam ischiadicis uomitiones, atque magis utiq; quàm euacuationes infernæ per uentrem, ut quæ repente humorẽ deorsum repellãt. Elicẽdi itaq; sunt uomitus in principio statim ab accepto cibo. Postea uerò etiã uomitoria medicamenta, initio facto à mediocribus. In quibus autem uehemens humorũ coactio densatio'ue, quæ ægrè dissolui potest, à medicis intempestiuè acribus medicamentis utentibus facta est: ijs cucurbitula quàm maxima cũ scarificatione affixa auxiliatur. Cæterùm medicamẽtis fluxũ reprimentibus in ischiade non utemur. Quum enim in profundo coxa sita sit, sanguis ex uicinis & ambientibus uenis ac musculis ad illã pellitur. Mitigatorijs igitur in principio medicamẽtis opus est in hoc dolore, quæ neq; refrigerẽt multum, neq; uehementer calefaciant. Vt enim ea quæ refrigerãt ad coxam impellunt: sic quæ uehementer calefaciunt, aliam amplius materiã ex adiacentibus partibus attrahunt. Porrò post uenæ sectionem, aut per purgãtia medicamenta uacuationem, ad acria medicamẽta, non antè ueniendum est. Si enim

Si crassus ac pituitosus humor. Clyster.

Vomitus.

Cucurbita magna.

Adstringẽtibus medicamẽtis in Ischiade nõ vtendum.

Acriorum vsus quando conueniens.

quis prius quàm corpus euacuet, acria medicamenta ad patientem particulam adhibeat, ægrè curabile malum reddet, utpotè multitudine ibidem indissolubiliter condensata. Præter alia enim crassa & uiscosa fit, & ob acrium medicamentorum caliditatem & siccitatē non dißimile quidpiā assationi perpetitur. Male affectum itaq; locū primùm ex oleo rutaceo irrigare oportet. Postea uerò efficaciora admouenda medicamenta, quæ scilicet sensum calefaciant, & humores ex alto ad superficiem trahere queant: ut sunt oleum uulpinum, de piperibus, costinum, iuniperinum: unguenta aregon, martianum, & agrippe. Item saluia, ruta, folia lauri, sambuci, ebulli radix, pulegium, sauina, opopanax, bdellium, ammoniacū, & similia. Ex quibus subinde fomenta, unguenta, emplastra, & cerata cōponi possunt. Principio itaq; spongia in decocto iuniperi, aut saluiæ, aut foliorū sambuci madefacta, loco patiēti iterum atq; iterum imposita, hoc subinde unguē-

Vnguētū. to utendum erit, quod habet: Vnguenti martiani ℥ j. oleorum irini, liliacei, utriusq; ℥ ß. succi rutæ & chamæpityos, utriusq; ʒ ij. mellis ʒ j. ß. saluiæ, pulegij piperis, singulorum ʒ ß. pyrethri, staphidis agriæ, utriusque ℈ j. ceræ quod satis est, fiat unguentum. Proderit etiam huius cerati usus, quod accipit.

Ceratum. Oleorum costini, uulpini, utriusq; ℥ j. ß. olei de piperibus ℥ ß. opopanacis, bdellij, styracis, singulorum ʒ j. radicis bryoniæ, nitri, foliorum sambuci, singulorū ʒ ij. pistolochiæ (rotundam hodie aristolochiam nominant) rutæ utriusq; ℥ j. ß. euphorbij ℈ j. gummi in acerrimo dissoluantur aceto, ut cū resina terebinthina & cera quod satis est, fiat ceratū. Quòd si malum adhuc remoretur, clysteribus denuò utendum erit, & deinceps cucurbita quàm maxima cum plurima flamma coxæ affigenda, uulnusculis etiam altioribus per scarificationem impactis. Quòd si uerò neq; sic malum finitur, ad purgatio

gationē, uomitum, & alia quæ suprà dicta sunt, redeundum erit. Quibus peractis, ad dropaces & sinapismos, adeoq; ad adurentium medicamentorū usum ueniendum. Inter quæ nō postremum obtinet locum herbæ iberidis radix recēs, æstate effossa, & diligenter tusa, ac ueteri axungia modica excepta, articulo coxæ, ac uniuerso cruri imposita & alligata. Idem etiam folia possunt. Sic uerò admota incumbere sinito, mulieribus quidē non infrà duas horas, uiris autē horis quatuor, si poßibile sit idipsum perferre. Excitat enim tumores cum ardore & rubore, ut sinapismus facere solet. Postea in balneum inducito ægrotantē, in quo ubi modicè exudauerit, in solium ob feruorē mordacius desidere iubeto, idq; fortiter perferre cogito, morsum enim cum ardore initio inferre consueuit: deinde educito. Fermè enim semper, Aëtio attestante, quāuis ab alijs fuerint importati, sua sponte pedibus ingrediētes exibunt. À balneo ad oleum multum, uinum paucum admodum admisceto, & conquassata illinito: ac humore cum aspero pānodeterso, crus ipsum cū leuißimis lanis cooperito. Et sanè consueuit hoc præsidium nullo alio inde auxilio indigere. Quòd si tamen aliquando uestigium mali relinquatur, uicenis diebus interpositis, rursus eodem præsidio utaris. Interiectis tamen diebus, ceratum paulò antè descriptum imponi potest. Porrò inter medicamenta adurētia hoc etiam locum non postremum obtinet, quod habet: Mellis anacardini, fermenti, utriusque drach. unam, cantharidum abiectis alis ℥ 1. aceti quod satis est: Misceantur. Et hoc quod accipit: Euphorbij, nitri, utriusq; ℈ 2. saponis, calcis uiuæ utriusque ℥ 1. mellis anacardini quod satis est ut ad mellis consistentiam omnia commixta redeant. Cæterùm uictus ratio sit eiusmodi, ut cibus mediocriter tenuis existat, & concoctu facilis. Exercitia sint deambulationes, continuæ flexiones,

Causticū.

Victus.

saltationes, & cursus. Aluum semper probè solutam habere expedit. Quòd si uerò uitium longius durauerit, nec prædictis medicamentis propulsari poterit, ustionem in tribus aut quatuor locis adhibere oportet, ad eum quidē modum quē docet Paulus lib. 6. cap. 76. Et Aetius lib. 12. cap. 3.

De podagra & arthritide. Cap. LXVI.

Podagra & arthritis mala eiusdem speciei sunt. Differunt itaq; nō toto genere, sed locis patiētibus. In utroq; enim articulorum est imbecillitas, & humor à natura alienus ad hos ipsos confluens. Quòd si in pedibus hæc cōstiterit fluxio, podagra appellatur. Sin reliquos artus occupauerit, ἀρθρῖτις Græcis, hoc est articularis morbus nominatur. Hoc malū interdum repente irruit æqualiter per omnes articulos dispersum. Vt plurimum uerò clanculum & paulatim fluxus irruere solet. Alteri enim cuipiam magni digiti pedis articulū dolor inuadit: alijs uerò calcanei extremū. Rursusq; alijs cauū pedis, aut ex calciamenti, aut ex cōsimilis rei affrictu. Initium podagra à pedibus sumit, unde etiā nomen sortitum est, paulatim ad genua procedit, ad coxendicū item ac fœmorum iuncturas, deinde ad manus, singulis articulis particulatim malè affectis. Qui uerò extremè ab hoc malo apprehēduntur, ijs & spinæ uertebræ & costarum iuncturæ, & genæ dolent, aliquibus autē & guttur: neq; est aliqua oßium cōnexio, quæ ab hoc uitio sit immunis. Generatur autem à cruditatibus aßiduis & ebrietatibus, immodico rei uenereæ usu, uehementi & concitatiore deābulatione, statione diutius extracta, equitatu crebro, cōsuetarum excretionum suppreßionibus, ac familiariū exercitiorū intermißionibus. Mœrores autē, curæ, uigiliæ, & reliquæ animi perturbationes, nō hoc modo malū suscitant, sed & noxios quoq; succos

(margin: Podagra. — Arthritis. — Podagra unde habeat initiū. — Causæ.)

pro

procreant. Nonnunquam etiam colicus dolor perperam curatus, causa cur arthritis sequatur esse solet. Quod palàm testantur ea quæ lib.6.Epid.par.4.Aph.3.scribit Hippocrates in hunc modum: Cuidam intestinum colum uocatum, simulatq; articulari morbo detinebatur, dolore uacabat. Postquam uerò ab eo sanatus est malo, plus doluit. Cuius quidem sententiæ uberiorem explicationem in nostris commentarijs offendent studiosi. Cæterùm ut plurimum abilitas ad hoc genus mali à parētibus in filios ac posteros propagatur. In uniuersum autē amplius omniū crudorum humorum copia mali huius causa existit. Humores tamē superantes, qui se iuncturis inserūt, uel sanguinei sunt, uel biliosi, uel pituitosi, uel melancholici. Interdū etiā ex humorum cōmistione malū cōtrahitur. Porrò causæ externæ facilè de sermonibus ægri aut aßidentium cognoscuntur. Humorum autē discrimina ijs notis deprehēdere licebit. Sanguineus quidē humor si multus fuerit, plenitudinē efficit & tumorem ingentem, non uenarum modo, sed totius partis malè affectæ circa cutem, eumq; rubentem. Qui hoc modo affliguntur, neq; refrigerantia neq; calefactoria ualde præsidia adhiberi sustinēt, & aßiduè exacerbantur, quandoquidem aßiduè & æqualiter sanguinis defluxus contingit. Vrinæ eorum fuluæ sunt, & mediocri præditæ craßitudine. Venæ etiam in his copioso suscepto sanguine replentur, & in tumorem attolluntur. Aetas uerò apta huic malo iuuentus. Edulia item boni succi, & copiosè nutrientia præceßerunt, neglectusq; excercitiorū. Tempus uerò, in quo affligūtur maximè ægrotantes, est uer ipsum. Porrò biliosum defluxum color cutis subflauus ostendit. Interdū uerò rubor cum flauo permiscetur, colore, ubi uidelicet flaua bilis sanguini commixta est. Item caloris sensus, dolorisq; lancinantis modo acris. Humor quoq; in cutem subitò sine

Hippocrates.

Signa.

Sanguinei defluxus.

Biliosi.

euidenti tumore erumpens. Refrigerantibus medicamẽtis sic afflicti gaudent & iuuantur, à calidis autem offenduntur. Febris in ipso accessionum statu accedit, ualidaq; siti conficit. Vrina eorum subflaua, quandoque etiam acris. Curæ autem ingentes, & iræ, & uigiliæ, & fatigationes, & in summa uictus ratio bilem procreans, præcedere solent. Aetas, temperamentum, & tempus, calida & sicca, ad eum defluxũ apta sunt. Quòd si pituitosa sit fluxio, ad digitorum impreßionẽ cauus fit tumor, sublaxus & moderatus. Color membri malè affecti candidus. Aetas hoc modo magis afficitur senilis, temperamentum humidum & frigidum, in consimili aëris statu, & tempore hyberno. Vrina tenuis est & aquosa, præceditq; otium, & uictus ratio quæ pituitosum humorem progignit. Si autem salsa fuerit pituita, pruritus maximus & mordacitas partes malè affectas infestat. Si ex atra bile fuerit fluxus, quod raró tamen contingit, color tumoris nigrior est. Aetas quæ magis hunc fluxum generat, est uigoris inclinatio. Temperamentum item frigidum & siccum, tempus autumni, regio frigida & sicca, aëris consimilis status, uictusq; atram bilem gignens. Porrò cum sanguinei humoris fuerit influxus, ꝓtinus sanguis mitti debet, nõ solũ semel, sed iterũ atq; iterum, detractione paulatim repetita. Si enim uenæ sectione omissa, repellentibus medicamẽtis fueris usus, magni mali autor eris: ex ignobilibus enim partibus ad principes, et uitæ necessarias repulsus irruet. Quapropter summè necessaria est sanguinis in sanguineis influxiõibus euacuatio, præsertim in his qui sanguine redundant. Secanda est autẽ uena in brachio infernè, è directo cruris influxione infestati. Quòd si uerò manus dextra dolore afficietur, uenam in dextro crure secamus iuxta poplitem, aut talos, aut plantam pedis. Habet enim miram uim uena è directo membri malè affecti, Gale.

Pituitosi defluxus.

Atræ bilis influentis.

Curatio sanguinei humoris. Venæ sectio.

Gal. & Aëtio libro duodecimo, cap. 23. testibus, secta. Quod nos alibi etiam copiosè demonstrauimus. Tum uerò potißimum sanguinis mißio tentanda erit, cum quempiam malum hoc primùm inuadere cœpit. Qui enim sæpius huiuscemodi defluxione sunt conflictati, plus noxæ quàm auxilij ex sanguinis detractione sentiunt, præsertim si corpore sint imbecillo ac frigido. Post mißionem sanguinis patienti particulæ remedia adhibere oportet, quæ neq; ualde refrigerãt: hæc enim humores cogunt ac condensant, neque immodicè calefaciunt, hæc siquidem coloris ratione ad partes patientes plus attrahunt. Quapropter aceto ueteri cum rosaceo locum malè affectum rigare oportet, præsertim si in alto hærere dolorum causa uideatur. Etenim acetum propria sua tenuitate usq; in altum progressum, expeditam rosaceo uiam exhibet, quod natura sua lenire dolores potest. Si uerò in superficie dolor consistat, per uini & olei usum magnopere iuueris: æstate quidem tepidorum, hyeme uerò calidorum. Deinde cataplasmatis quoque utendum, quæ dolores lenire possunt, absque hoc ut fluxiones prouocent, ex farina fœnogræci, hordeacea, fabacea, lupinorum, chamæmelo, & similibus. Oportet autem ut ea semper calida omnino sint: id quod commodè fieri potest, si aßiduè permutentur, & lana forinsecus contegantur. Non parum proderit & hoc medicamentum, quod habet: Lactis caprini ℥s. uitellos ouorum duos, olei rosacei ʒ1. croci ʒß. medullæ panis quod satis est, ut recipiat cataplasmatis formam. Hæc itaque terantur donec uniantur, & unita tandem membro dolenti imponantur. Potest quoque ex oleo rosaceo, aceto, resina, cera, galbano, ammoniaco, thure, croco, & similibus componi emplastrum aut ceratum. Tale enim repulsoriam uim propter crocum & acetum obtinet: concoctoriam uerò, di-

Venæ sectione quãdo potisśimũ vtendũ in hoc casu.

Localia.

Cataplasmata.

scissoriam & moderatè siccantem, rursus propter crocum & aliorum commixtionem. Cæterùm cibos ei exhibere oportet qui extenuant, & parum nutriunt: quales sunt olera. Carne autẽ, nisi uolucrium montanarum, prorsus abstineant. Piscibus utantur saxatilibus. Vinum si fieri per intemperantiã ægrotantium potest, ex toto circuncidendum: nam hæc ferè unica ratio est, qua sanitas cõsequitur. Quam cum ex milibus uix unus sequatur, nihil mirum paucos admodum esse qui ab hoc malo hodie liberẽtur. In uicem uini utendũ aqua in qua cinnamomum, anisum, aut similia decocta sint: aut certè ea potione quæ hodiernis tẽporibus ridicula atq; insulsa, uoce Hippocras nominatur. Eius cõfectionẽ petent studiosi è capite De resolutiõe. Fructus & uenerẽ diligẽter caueãt ægrotantes. Aluum præterea facilè solubilẽ, ac sua sponte deijcientem habere eosdẽ oportet. Quòd si tamen officio suo parum rectè fungatur, simpliciori aliquo clysteri eluatur. Vbi uerò propter bilis influxũ dolores excitentur, tunc ijs communis scopus humoris affligẽtis est euacuatio, quæ tũ per uomitũ, tum per uentrẽ fieri debet. Per medicamẽta itaq; bilẽ ducẽtia cõfidenter purgãdi sunt sic afflicti. Deinde usq; ad uigorem apponẽda medicamẽta, quibus refrigerandi & adstringendi facultas inest: qualia sunt quæ ex semperuiuo, rosis uiridibus, rumice acuto, solano, plantagine, & similibus iam sæpè cõmemoratis apparãtur. In hoc influxus genere nõnũquã propter doloris uehemẽtiã, ijs quæ stuporẽ inducere possunt utẽdum medicamentis. In quẽ quidẽ usum cõuenit adhibere medicamentum quod paulò antè descripsimus, ex lacte caprino, medulla panis, croco, & ouorum uitellis constans, cui seminis papaueris ʒ j. aut opij ʒ ß. aut plus aut minus pro ratione doloris admixtum sit. Prosunt etiam in eundem usum cicutæ folia, & hyoscyami, imposita & adhibita. Sed animaduertẽdum

Victus.

Cur pauci hodie à podagra liberantur.

Biliosi fluxus curatio.

Stupefaciẽtia.

dum erit, ut cùm in feruentibus doloribus ad stupefaciẽtium usum fuerimus coacti, postea refoueamus partes per ea quæ calefaciunt. Nisi enim idipsum fecerimus debiles & intemperatas, atq; adeò perpetuo fluori obnoxias partes reddemus, & ut in actionibus facilè offendantur efficiemus. Calorifica uerò sint origanum, satureia, sinapi, piper, & id genus alia. Porrò adiuuare etiã oportet sudorum exclusionem, corpus calefaciendo & fricãdo: ita tamẽ ne locos malè affectos contingamus. Præbenda deniq; in potu ea quæ urinam cient. Nam talia bilem per urinam euacuant. Soporẽ quoq; inducentia, quod fluores ab ipsis resiccentur & sistantur: atq; id maximè si post corporis purgationem exhibeantur conferre solent. Cibi illis dandi refrigerantes, non tamẽ humectantes: humiditas enim auget fluxionẽ. Famem & ediã ne tolerent: nam bilem acriorem reddunt. Ex fructicus, utantur pomis adstringentibus & mespilis, alijsq; quæ refrigerant, & simul fluxus cohibent. A` uino prorsus, ut priores, abstineãt. Victus.

Qui ob pituitæ influxum ægrotant, horum curationẽ à pituitæ euacuatione auspicari oportet. Euacuatur autẽ humor pituitosus per uomitus, nihilominus tamen & infernè per uentrẽ. Vtilior uerò in hoc malo per inferna purgatio, siue iuxta manus, siue iuxta pedes hæreat morbus & multo magis, si iuxta omnes corporis articulos fluxus constiterit. Familiarior enim pituitæ uia, & minus periculosa per intestina existit. Si enim in superiorẽ uentrẽ uiolenter attracta non uacuetur, periculum inducit. Quapropter tutius est, ut ad infernam excretionẽ ducatur. Antè tamen purgantia medicamenta, ea quibus incidendi & extenuãdi facultas inest exhibenda, ut hac ratione ad purgationẽ crassi humores præparẽtur, & idonei reddantur. Si euacuatio per purgationes fieri haud potest, tum inedia ac fame utendum est ad plures dies. Pituitosi fluxus curatio.

Pituitosi famem facile ferunt. Qui enim natura pituitosi sunt, eam facile & citra noxam tolerare possunt. Hinc rectè ab Hippocrate dictum est: Cor-
7. Aph. 60 poribus carnes humidas habentibus, famē adhibere cōuenit.
" Fames enim corpora siccat. Vtendum etiam frictionibus di-
" scussorijs, ampliusq; efficacioribus clysteribus, & medicamē
" tis urinam cientibus. Cæterùm extrinsecus medicamenta quæ dolores leniunt, & quæ discutere ac moderatè resiccare possunt adhibenda, de quibus paulò suprà diximus. Illis uerò in morbi principio aliqua quibus adstringendi potentia est cō miscenda. A principio autē solis discutientibus utendū. Mansuetißimum uerò hoc, quod habet: altheæ folia cocta trita tum per se, tum cum polline, aut hordeacea farina imposita. Radix præterea eiusdē cocta in aqua mulsa trita, & imposita cōfert. Et hoc unguentum, quod accipit: Oleorum laurini,

Vnguentū

& irini, utriusq; ℥ 1. adipis suilli ueteris, butyri, utriusq; ʒ 3. medullæ ceruinæ ʒ 2. resinæ terebinthinæ ʒ 5. galbani in aceto dissoluti ʒ 1. hyssopi, radicis altheæ, seminis fœnogræci, sing. ℈ 2. ceræ quod satis est, fiat unguētū. Porrò quæ ratione

Victus.

nutrienti præbētur edulia, natura sicciora sint, & minus nutriant: ut est oryzæ succus, auenæ, & eiusmodi. Carnes tamen auium montanarum assæ ijs haud incommodant. Cappares ex aceto mulso mirificè prosunt. Vinū autē præbeatur quàm minimum, interualli tempore, tenue, fuluum & uetus. Qui

Atræ bilis fluxiōis curatio.

atræ bilis fluxionibus molestantur, ij uenæ sectione, aut purgatione sunt euacuandi. Venæ quidē sectione, quando sanguis atra bile infectus est. Purgatione uerò, quādo ad atram uergunt bilem ægrotantes. Si uerò ambo hæc simul redūdarint, non unum aliquod ex prædictis adhibere sufficerit, sed prius secta uena, deinde medicamento purgante utendum. Quod ipsum & in alijs malis duplici euacuatione indigentibus faciendum erit, ut in lib. 2. Paradoxorum nostrorum abunde

mon

monstrauimus. In principio autem morbi, & in ipso uacuationis tempore, reprimentibus, & simul sensum calefacientibus utendum est. Post euacuationē uerò ijs quæ leniter calefacere, attenuare, & discutere possunt de quibus suprà satis superq; dictū est. Cæterùm quoniā tophi & duri tumores subinde in articulis creantur, modo propter humoris qui ad eos decubuit crassitiē, terrestremq; duritiem: modo propter immodicum discutientium & resiccantium medicamentorum usum, sine eorum quæ molliendi facultate pollent mistura: ideo ad eos remouendos ijs quæ in cap. De lienis duritia à nobis producta sunt medicamentis utendum. In primis uerò cōfert uetustissimus acerrimusq; caseus, cū suillæ carnis præpinguis & ueteris decocto contritus & impositus. Ad hoc malum cōducunt etiā ficus triti & impositi. Item althea bis cocta, auena, urtica, bryoniæ radix, bulbi, anethi, abrotoni, buphthalmi, marrubijq; folia, cū pice & sulphure uino permixti. Admiscendi etiā adipes, suillus, caprinus, uitulinus, & anserinus. Medullæ item omnes, & alia quæ emolliēdi ui prædita sunt. Balneum sanè, ne id quidem silentio trāseamus, post inflammationum remissionem omnibus podagricis commodissimū existit. Dum lauant, spongiæ aceto & sale permixtis madefactæ, locis patientibus circumponendæ, ut à fluxione immunes permaneant. Lauare autem eos non semel tantum, sed iterum atque iterum in aëre per omnia moderato oportet. In aqua tamen calida non diutius morandum. Consultissimum itaque, ut aqua calida perfundantur. Vtile quoque ut totum corpus linteis siccis perfricetur. Præterea curati à podagra, hac se ratione à podagra deinceps tuebūtur. Si primùm bis in anno, uere nimirum & autumno, modo nihil sit quod idipsum prohibeat, sanguinē largè detraxerint. Deinde si ijsdem tēporibus, & crebrius etiam medicamentis purganti

Tophorū curatio.

An balneū conducat podagricis

Quomodo quis à podagra se tueatur.

ganti

gantibus usi fuerint. Porrò cibis ut etiam aliquid demant, & à satietate sibi caueant, necesse erit. Vtendũ autem cibis concoctu facilibus, & qui prompte in partes corporis distribuãtur, excrementisq; uacent. Vino aut prorsus abstinendum, aut parcè admodum utendum. Exercitiorum creber sit usus,
6. Epi. par. idq; ante cibum. Labores enim, ut Hippocrates noster præ-
4. Aph. 28. cipit, cibos præcedant. Et ut rem uniuersam in pauca contraham, qui à podagra immunes esse cupiunt, hoc ut breuis-
6. Epi. par.
4. Aph. 20. simum ita & saluberrimum Hippocratis præceptum secum reputent: ἄσκησις ὑγιὴς ἀκορίη τροφῆς, ἀοκνίη πόνων. Quod est: Sanitatis studium est, non satiari cibis, & impigrum esse ad labores. Somnus etiam & uenerea, ut idem docet, sint mediocria. Quod ad præsidiorum partem attinet, sal minutim in oleo tritus, & articulis affrictus, omnes qui se ab hoc malo uindicare uolunt, magnificè iuuat, nisi præter modum sicca intemperie sint præditi: eoq; illitu & mane & uesperi per totum uitæ curriculum utendum est.

LIBRI TERTII FINIS.

LEONHARTI FVCHSII DE MEDENDIS FEBRIBVS, LIBER QVARTVS.

De diaria. Caput I.



IARIA *febris Græcis* ἐφήμερα *dicitur, quòd scilicet eius unica sit accessio, uno plurimum die, ex ipsius saltem natura circumscripta. Desistit enim post primam accessionẽ, si quis eam rectè tractet. Est autem Galeno alijsq; ueteribus duplex diaria: una, quæ simpliciter & citra adiectionẽ sic nominatur. Hæc ultra unius diei naturalis spacium, hoc est xxiiij. horas nõ extrahitur. Altera, quæ cum adiectione diaria plurium dierum appellatur. Alio nomine Galeno Synochus non putrida nuncupatur. Hæc in tertium usq; diem extenditur. Neq; est cur miretur quispiam hanc febrem dici diariam, cùm tamen de substantia eius diariæ uocabulũ non sit: ad triduũ enim, ut dictum est, durat. Nam cùm proprio atq; adeò cõuenienti nomine careat, clarioris simulq; breuiores doctrinæ gratia, nõ obstante quòd nomen aduersetur, cùm natura huic eadem sit quæ alijs diarijs, rectißimè diaria uocatur. Siquidem præter tria prima febrium genera, quorum unum est in quo spiritus plus iusto incalescit: alterum in quo humor putrescit: & tertium, in quo corpus, & solidæ eius partes febrilem calorem*

ἐφήμερα

Diaria duplex.

Simpliciter.

Diaria pluriũ dierum.

Tria prima genera febrium.

rem ut habitum susceperunt: quartũ excogitare atq; statuere genus necesse esset, si nõ sub diaria cõplecteretur, ut fusius lib. 9. The. Meth. cap. 1. Galenus ostẽdit. Diaria febris fit, cũ absq; ulla putredine spiritus præter naturam incalescit & succenditur. Id quod multis modis accidit, nempè ob cutis densitatẽ, uigiliã, cruditatẽ, tristitiã, timorẽ, iram, curas animi uehementes, ustionẽ à sole, refrigerationẽ, laßitudinẽ famem, ebrietatem, & inguinum tumorẽ. Notæ uerò quibus deprehenduntur, duplices sunt. Quædam enim communes omnium diariarum, & hæ quidẽ numero sex sunt. Prima pulsus, oẽs enim diariæ, Gal. lib. 3. de Prædictione ex pulsibus autore, in magnitudinẽ, celeritatẽ, crebritatemq; pulsus quantũ in ipsis est, mutant. Exquisitè autẽ seruant eam quæ secundũ naturam est æqualitatem, molliciem, & ordinem. Altera, urina: prima nanq; statim die ea concocta apparet, & bene colorata. Tertia, caloris qualitas: quæ in omnibus suauis & mitis existit. Quarta, declinatio: quæ in singulis cũ sudore, rore, aut omnino cum aliquo optimo uapore accidit. Quinta, defectus malignorũ symptomatum. Sexta, quod omnes à causa extrinseca, quam nostri primitiuam nominant, oriuntur. Quas singulas notas copiosius explicat lib. 1. ad Glauconem cap. 2. Et lib. 1. De diff. feb. cap. 7. Necnon lib. 2. De crisibus cap. 13. Gale. Quædam etiam sunt notæ quibus particulatim quæuis diaria dignoscitur. qui enim ob uigilias febricitãt, hos color uitiosus, facies subtumida, oculorum motus manifestus (uix enim palpebras attollũt) humiditas palpebrarum, pulsusq; paruitas ostendit. Tristitiæ autẽ & curæ signa sunt, tenuitas corporis, oculorũ cauitas & ariditas, insolitaq; decoloratio. At qui ob iram febricitant, neq; oculorum cauitatẽ, neq; uitiosum colorẽ, sed amplam caliditatẽ, tanquã ex profundo eleuatam, maioresq; pulsus habent. Qui ob solis ustionem

Causæ. Signa. Cõmunia. 1 2 3 4 5 6 Particularia signa. Vigiliarũ. Tristitię & curarum. Iræ. Solis æstus.

nem æstumq; febricitant, ijs cutis sicca est & calida, pulsus febrilis, caputq; deuri uidetur, oculi rubicũdiores, uenæq; ijs in oculis, temporibus, fronte & tota facie interdum extenduntur. Ex frigore, quòd fumosa excrementa intra cutẽ detinet, febricitantes grauedinibus & destillationibus corripiũtur, cutis eorum minus calida, corpus totum maiorem præ se fert humorem, nullusq; in facie squalor. Qui ex laßitudine laborant, ijs cutis siccior est quàm in alijs diarijs, pulsus paruus ijs qui supra modum defatigati sunt: alijs, qui non ita se defatigarunt, magnus. Qui ex inguinum tumore febricitant, pulsus maximè ueloces habent atq; frequentes, caloremq; plurimum, & post statum confestim ex profundo humiditas quædam calida quidem sed suauis attollitur. Et rubida facies magna ex parte ipsis inest, & maior tumor, & urinæ subalbæ. De quibus Galenus in locis antea citatis, & lib. 1. De diff. feb. cap. 11. copiosius scribit. Curandi ratio primũ per uictus rationẽ perficitur, cuius quidẽ in omnibus diarijs simpliciter appellatis cõmunis scopus est, ut cibi boni succi, & cõcoctu faciles, ac distributioni idonei præbeantur. Vstis quidẽ à sole & iratis, qui refrigerent & humectent. Refrigeratis, qui minus nutriunt, & moderatè calefaciunt. Vigilijs aut tristitia, aut nimia cura confectis, qui humectant pariter ac somnum cõciliant. Defatigatis, qui maximè reficiunt. Cæterùm in quibus corporis intẽperies calidior & siccior est, hos in primo statim acceßionis insultu cibare oportet. Nisi enim quis hanc naturam statim cibet, ocyßime in ea diaria febris in acutam mutabitur, ut copiosè Galenus lib. 10. Ther. Meth. cap. 5. ostendit. Vinum omnibus diarijs propriè & simpliciter nominatis aquosum, album, & tenue conuenit. Nam præter id quod concoctionem iuuat, urinas etiam & sudores prouocat. Sed uigilijs, aut curis, aut tristitia maceratis, ube

Frigoris.

Lassitudinis.

Tumoris inguinum.

Victus.

Vinum omnibus diaris conuenit.

uberius concedendum. Defatigatis, quantum conficere possunt. Iratis tamen, nisi omnino à perturbatione quieuerint, uinũ tutò nõ datur. A` uino etiã arcendi sunt, donec inflãmatio fuerit soluta, qui ex inguine febricitant, ut copiosius Gal. lib. 1. ad Glauc. cap. 3. monstrauit. Curare autẽ oportet omnes diarias simpliciter dictas balneis, sic tamen ut eos qui ob laßitudinem, aut inguinum inflammationem febricitant, prius dulci tepidoq; ac multo oleo suauiter perfricatos, ad dulcium aquarum balneum ducas. Si uerò eos qui ex inguinum tumore febricitant, in aëre balnei immorari iusseris, haud quaquã nocebis. Reliquos omnes, quàm citißimè oportet ab aere semouere. Qui ob uigilias, curas, tristitiã, atq; iram febricitãt, eos quidem lauare subinde non oportet: uerùm oleo copiosiore tepido, cui nihil adstrictionis insit, tum paululum fricare, tum ex consuetudine lauare conuenit. A` solis ustione febricitantes, protinus ab initio refrigeratione, & crebrioribus balneis aquæ dulcis, solaq; exigui olei perfusione citra frictionem curare oportet. Sint autem quæ refrigerant admota capiti, rosaceum & omphacinum, quod salis expers sit, & alia quæ suprà lib. 1. cap. 5. dicta sunt. Hæc uerò frigefacta deinceps lana excipienda sunt, ac suspensa in sublime manu expressa sincipiti instillanda: idq; aßiduè, donec febris inclinauerit. Postea in balneum æger ducendus. Si quis ex frigore febriat, is quoq; ad balneum in febris declinatione ducendus est, caputq; ante & post lotionem irino oleo, aut nardino, aut simili fouendum. Qui ob famẽ febricitant, declinante statim acceßione ad balneũ ducẽdi sunt, plurimoq; oleo dulci ac tepido perfusi, molliter perfricandi, diutiusq; in solij calidi aqua continendi. Vbi egreßi fuerint uires reficiendæ, deinde rursus ad balneum ducendi. Vbi denuò exierint, sedata balnei perturbatione, aqua calida propinanda, mox ptisanæ cremor

Curatio. Ob lassitudinẽ & inguinum inflammationem.

Ob uigilias, curas tristitiã, & iram.

Ob solis æstum.

Ob refrigerationem.

Ob famẽ.

mor exhibendus, & interdum lactuca assumenda, & pisces saxatiles molliq; carne præditi ex albo iure. Quod quale sit, docet Galenus lib.4. De tuenda sanitate, & lib.3. De alimēt. facul. cap. De piscibus molli carne præditis. Si propter cruditatem febris diaria accidit, considerandum erit num aluus lubrica sit, an adstricta. Si lubrica erit, & ea tantum quæ corrupta fuerunt euacuata esse uidebuntur: tum lauandum, tum nutriendum in remißione febris, sed non, nisi prius ijs quæ sunt circa uentriculum prospexerimus. Sin ita multa inanitio aut prius facta sit, aut nūc etiam duret, ut uirtus ægrotantis defessa sit, satius est omissa lauatione cibare, sed prospicientes prius ijs quæ circa uentrem sunt. Prospicietur autē laborantibus, modo uacuatio amplius non duret, irrigatione uentriculi ex oleo & absinthio, & alijs quæ suprà lib.3. cap. De uentriculi imbecillitate dicta sunt. Ea autem quæ uentriculo imponuntur, abunde calentia sunto: quippe quòd ea quæ tepida sunt, omnia uentriculi firmitudinem dissoluant. Si uerò omnino uenter adstringitur, contrectatis hypochondrijs, mox toto uentre, considerandum num cibus in gracile intestinum, aut colum descenderit. Quòd si alimenta adhuc in uētriculo persistāt, conetur æger plurima tepida aqua epota, immisso digito aut pēna, totū quod infestat ac grauat euomere. Deinde fouere oportet hypochondria, & quiescere. At ubi iam ad intestina alimentum descenderit, iubendum ut decliui facie ac uentriculo recumbāt, uenterq; fouendus, ac somnus conciliandus: is enim mirificè cruditatem concoquit. Post somnum ad educenda excrementa glans supponēda, aut leui clysteri aluus mouenda. Qui ex inguinum tumore febrē conceperunt, ne medicum quidem, sicut etiam cæteri ferè omnes qui diaria laborant, interrogant quid sit faciendum: sed tumori aut ulceri tantum, quod in inguinibus excitatum est,

Ius album. Ob cruditatem.

Tepida uētriculi robur dissoluunt.

Ob inguinum tumorem.

prospicientes, ij tamen declinante accessione lauãdi sunt. Tenui præterea uictu nutriendi, & arcendi à uino, ut commemoratum paulò suprà est. Hæc quidẽ ad curãdi rationem febrium diariarum simpliciter dictarum sufficiunt.

De diaria plurium dierum. Caput. II.

Diaria pluriũ dierũ. *Febris quædam diaria est plurium dierum, ut capite præcedenti diximus: sic dicta, quòd in tertiũ usq; diem extẽdatur. Diaria autẽ uocata est, quòd eiusdẽ naturæ sit cũ diarijs simpliciter dictis: desistit enim post primã accessionẽ, si quis eam probè tractet. Quare meritò inter diarias cõnumeratur. Nec obstat quod eius accessio ultra unum protẽdatur diem, ut capite præcedenti fusius dictũ est. Vocatur alio nomine synochus citra putredinẽ.* Synochus citra putredinem. *Oritur ex densatione meatuũ cutis.* Causa. *Densatio autẽ ipsa uel obstructis exilibus meatibus uel cõniuentibus uel etiã corpore ipso immoderatius densato, id quod à frigore, aut qualitate uel balnei, uel medicamẽti acerba & adstringẽte, sole feruente, & alijs quæ cutim siccare ualẽt euenit. Quia uerò propter stipationẽ intra corpus fumida fuliginosaq; excremẽta detinentur plurima, foras uerò quod de ijs effluit exiguũ est, fit ut febris accẽdatur.* Signa. *Deprehenditur primum tactu, neq; enim densitas tactum exercitatũ latere potest.*
1
2 *Dein caloris motu, qui primo quidẽ insultu mitis apparet, postea tamen ubi perdurauerit acrior euadit.*
3 *Tertio ex urina, quæ neq; crassitudine, neq; colore à naturali multum est aliena.*
4 *Quarto ex tumore corporis, qui manet, nec collabitur. Oculi quoq; non sunt concaui, sed prominentiores ac humidiores quàm secũdum naturã.*
5 *Quinto ex pulsu, qui æqualis, maximus, celer, frequens, & uehemẽs existit.* Curatio. *Qui ita laborant, si rectè curabuntur, ijs sanguinis missio est adhi*

adhibenda, tantumq; sanguinis est detrahendũ, quantũ uires tolerant. Pro certo quoq; habendum, nisi ijs qui hoc per naturã sunt habitu ut corpus inhabile ad trãspirationẽ habeãt, id adhibeatur præsidium, fore ut uel suffocentur, uel certè syncope omnino periclitentur. Corpore uacuato, nõ multo post cibos & medicamenta ex ijs quæ detergunt, exhibebis. Quæ autẽ hoc præstant alimenta, sunt ptisana & mulsa. Medicamẽta uerò, oxymeli, & quæcunq; incoquere in mulsa licet, ceu calamintha, hyssopum, origanum, serpillum, iris, & apiũ. Verũ hæc omnia calidiora sunt, ideoq; febres accendũt, ita utiq; ut uinũ. Oxymeli autẽ solum nec febres accendit, & strenue deterget, sic ut ea quæ glutinosa craßaq; sunt dissoluat, & meatus obstructos liberet. Tertio die mane si uideris minimũ esse quod de febri relinquitur, ac neq; putredinis humorũ in pulsu nota subsit, neq; cruditatis in urina: suspecta uerò hora, qua primo die febris occupauit, extra meridiẽ sit ac præterierit, audacter hominẽ quàm ocyßimè lauabis, longe antè sextam horã. Abundè tamẽ fit, si intra horã tertiam lauationẽ cõpleueris. Ad eundẽ modũ, si decimã horã suspectam habueris usq; ad septimã laues licet, quũ tres æquinoctiales horas, quatuor'ue inter balneũ acceßionisq; tẽpus interponi abundè satis sit. Vbi in balneo corpus incaluerit, oleo prius dulci tepido unctũ, ac moderatißime frictum, mox detergeri extrinsecus abluiq; debet. Moderatißimè uerò detergent erui farina, tum hordeacea, tũ fabacea. Post balneũ præter aquã quæ parũ apij incoctũ in se habet, nihil est offerẽdum: licet quod inter balneũ & suspectas horas spaciũ erit, triũ ferè horarũ cõijciamus. Si uerò circa uesperã aut duabus horis citius acceßio inuadet, tum lauiße mane licebit, tum cibaße, sed tantum ptisanæ cremore. Deinde si suspectæ horæ nihil afferant, & lauare rursus si uelit licet, ac cibare. Sin ali-

Detergentia citra calefactionẽ.

Moderatè detergentia.

quid eueniat, & conferendum, id est, cum accessione quæ primo die inciderat, & tum urinæ considerandæ sunt, tum etiam pulsus. Quæ omnia profectò mediocria apparebunt, ubi exigua relinquitur obstructio. Quare ipsum & lauabis quarto die, & cibabis, ad iam dictas cõsiderationes spectans, sperabisq; nihil quinto die superuenturum. At si magna obstructio facta sit, ea febris ex diariarum genere non erit.

De synocho cum putredine. Cap. III.

Synochos. Σύνοχος Græcis medicis est, in qua una accessio ab initio ad finem perpetuò manẽs, in multos dies porrigitur. Vel est, quæ omni mutatione magna usq; ad iudicium caret. Latinis rectè continens dicitur. Continens febris. Etsi uerò una est idea eiusmodi febrium, à qua synochos eas nominant, natura tamẽ earundem minimè simplex unaq; est. Synochos duplex. Quædam nanq; earum nullam habent prorsus putredinis notam, quas ex diariarum febrium genere esse capite præcedente diximus, nominariq; synochos non putridas. De ijs hoc in loco nobis sermo non est. Quædam uerò manifestam habent putredinis notam, & ob id Synochi putridæ uocantur. Et de ijs hoc capite agitur. Barbari has Synochos, illas uerò synochas nominant. Galenus autem & Græci alij, ut commemoratum est, utrasq; sub synochi uoce cõplexi sunt. Synochorũ tres differentię. Febrium autem quæ synochi uoce complexi sunt. Febrium autem quæ synochi seu continentes dicuntur, tres sunt differentiæ. Nam quædam illarum à principio ad finem æquali magnitudine ac uehementia perdurãt: ὁμότονοι & ἀκμαστικοί. has Græci ὁμοτόνους καὶ ἀκμαστικοὺς, hoc est in eodẽ uigore permanentes uocant. Quædã uerò semper augentur, & exiguum aliquid adijciunt: ἀναβατικοί. ἐπακμαστικοί. eas Græci ἀναβατικοὺς καὶ ἐπακμαστικοὺς, id est incrementum suscipientes aut inualescentes nominant. Aliæ paulatim diminuuntur & decrescunt: has

παρακμαστικὰς, hoc est decrescentes appellant, quemadmodum fusius docet Galenus lib. 9. The. meth. & lib. 2. De diffe. feb. cap. 2. Et lib. 2. De crisibus cap. 6. Porrò Synochus putrida accidit ubi in omnibus uasis, maximis potißimum quæ circa alas & inguina existũt, æquabiliter omnes putrescunt humores. Quod fit, dũ à uehementi stipatione, qui intra corpus est, febrilis calor cohibetur. Quæcunque enim calida & humida sunt, difficilemq; transpirationẽ habent, ea promptè putrescunt. Quare hoc genus febris nec in gracilibus, nec ijs qui raro sunt corporis habitu, nec in frigido corporis temperamento, nec in frigida ætate excitatur, sed contrarijs planè, nempè calidis: idq; præcipuè, si & carnosus, & denso corpore æger sit, aut etiam calidis excrementis refertus. Qui ita febricitant, ijs & pulsus maximus est, uehemens, celer, creber, & æqualis. Constitutio etiã arteriæ, nec durior nec mollior quàm pro natura est. Celeritatis tamen & frequẽtiæ eò peruenit, quò febris ipsa magnitudinis. Atq; hæc quidem illi indicia cum synocho citra putredinem communia sunt. Priuatim uerò ei putredinis insunt notæ, idq; tũ in urina, tũ pulsu, tum caloris ingrata qualitate. Curandi ratio, haud secus atq; in synocho non putrida, à sanguinis mißione auspicãda. Et ualida existente uirtute, nulloq; alio insigniter repugnante, sanguis usque ad animi deliquium auferendus. Maximum enim hoc, Gal. lib. 9. The. meth. autore, ubi ualẽtes uires sunt, synochi febris remedium est. Primùm nanq; in contrarium statum agitur corpus, celerrimè ex animi defectu refrigeratum. Hoc uerò nemo inuenire potest, neq; quod ipsis ægris, neq; quod naturæ quæ animãtes gubernat, iucũdius utiliusúe sit. Postmodum in eiusmodi corporibus necessariò superuenit alui deiectio: nonnunquam etiam bilis uomitio: quas res statim à toto corpore sudores excipiunt. Quòd si uerò cu-

[Margin notes: παρακμαστικοί. — Causæ. — Signa. — Curatio. — Sanguinis misſio. — Quãdo frigida exhibenda.]

rare aliquando ægrotum cogaris, cui non solum antea secandæ uenæ remedium prætermissum est, sed nunc quoq;, uel per medicorum ignorantiam, uel ipsius laborantis propinquorumq; eius timiditatem, procedente tempore mittere sanguinem prohiberis, ad frigidam exhibendam accedes: sed diligenter ante discernens, quantum ex ea nocumentum cõtingere poßit. Nam si id aut exiguum erit, aut nullum, offerenda potui est quæ prorsus sit gelida, quantum bibere ægro libet. Quinimò magis id audebis, si frigidæ potioni insueuerit. Sin magnum timetur incommodum, ab hac quidem abstinendum, atque alijs auxilijs quibus obstructio eximatur, & abundātia uacuetur, & feruor febris deferbeat, utendum. Quæ singula è suis tibi petenda locis erunt: neque enim necesse est illa quouis in loco repetere. Porrò incommoda quæ frigidam potionem intempestiuè immodiceq; exhibitam sequuntur hæc sunt. Primùm, lentos crassosq; humores, siue obstructiones siue putredinem, siue phlegmonen, siue erysipelas, siue scyrrhum, siue œdema creauerint, attenuari digeriq; prohibet. Quoties igitur ex ijs febris accenditur, ad eorum uacuationem frigida non conducit, ad præsens tamen nõ parum adfert leuamen, propterea quòd iam accẽsam febrem extinguit: uerùm quum causa eius adhuc permaneat, aliam denuo accendi febrem necesse est, atque ea quæ præceßit nõnunquam difficiliorem, propterea quòd densatum ex frigida corpus est. Alterum incommodum est, quòd multas laborantis imbecillas particulas, siue ita se ex naturali intemperie habeant, siue ex uitio adscititio, lædit. Sic compertum est alijs gulam adeò uehementer esse læsam, ut uix deglutirent. Alijs uentriculum, ut uix concoquerent. Alijs ipsum uentriculi os, aut iecur, aut colum, aut pulmo, aut septum transuersum, aut renes, aut uesica, aut tale quippiam aliud à frigi-

Frigidæ incommoda.

do

do percussum, ad propriam actionem infirmum est redditum. Nonnulli autem ex intempestiua immodicaq; eius potione, non multo interposito tempore, nec postmodum, sed ilico difficultate spirandi, & conuulsione, & tremore correpti sunt, ac toto, ut semel dicam, neruoso genere læsi. Vt igitur in pauca rem contrahamus, quibuscunq; in principe particula tumor aliquis phlegmatodes, aut œdematodes, aut scyrrhi naturam obtinens constiterit, ijs frigidam offerre non oportet: sed nec ijs quibus obstructio putridus'ue humor non concoctus incommodat. Quòd si uerò euidentes percipis absq; iam dictis tumoribus concoctionis notas, neq; pars aliqua temperamento adeò frigido fuerit prædita, ut in hanc noxa procumbat, audacter frigidam dabis. Quippe solidarum animalis partiũ natura roborata, prætenuatis iam humoribus opponitur: ita ut qui utiles sint, atque ad nutriendum habiles, hos quidem ad se trahat, inutiles uel per uentrem, uel per cutim eijciat. Quòd si etiam frigidæ assuetus æger fuerit, maiori cum fiducia frigidam exhibebis, ipsa scilicet experientia iam edoctus, omnia uiscera eius occursum familiariter tolerare. Omnino nanque si quod frigidum adeò esset, ut ab hac offenderetur, per sanitatis id tempus euidenter offensam suam ostendisset. Ex ijs itaque perspicuum fit, continentium febrium maxima remedia esse hæc duo, sanguinis detractionem, & aquam frigidam. Verùm illa nullo non tempore, modo uires sustineant: hæc quũ & in pulsu, & urinis coctionis euidentes cernuntur notæ, febris autem est maxima. Victus uerò ratio in ijs febribus hæc potißimum sit. His quibus secta est uena, post duas à sectione horas ptisanæ cremorem exhibebis, quietemq; imperabis. Vbi à somno excitati fuerint, rursus ptisanæ cremor præbendus. In hac uictus ratione usq; ad tertium diem

Quibus frigida nõ dãda.

Quibus frigida dãda.

Continentium febriũ duo maxima remedia.

Victus ratio.

persistendũ. Animaduertendũ autẽ in synochis febribus tum alendos esse ægros, quo tempore sani consueuerant, & ubi maius leuamen sentiunt: ita enim alimentum facilius ferent. Quòd si uires robustæ fuerint, & uigor morbi statim expectetur, tenuißimo uictu, & eo qui iam dictus est utẽdum erit. Sin contrà uires imbecillæ fuerint, haud sine ingenti dispendio uictus tenuis exhibetur. Ergo in cibis offerendis uirium robur diligenter perpendendum. Hæc de curatione febris cõtinentis putridæ dixisse in præsentia satis sit. Qui plura desiderat, is Galenum lib. 9. The. Meth. ubi hanc ex professo & copiosißimè tradit, legat.

De continuis febribus. Cap. IIII.

συνεχὺς πυρετος. Cõtinua febris.

Febris quæ Græcis συνεχὺς Latinis uerò cõtinua nominatur, est, quæ non ante quàm ex toto fuerit soluta desinit ad infebricationẽ, remißionem tamen aliquam sensilem in singulis acceßionibus obtinet. Hinc perspicuũ fit σιώοχου καὶ συνεχὺν hoc est, continentẽ, & continuã febres inter se differre. Siquidẽ in synocho continente ue nulla fit feruoris remißio. Synechys autẽ seu cõtinua in singulis acceßionibus remißionem sensilem obtinet. Item synochus unicam duntaxat acceßionẽ habet, synechys uero plures. Conueniunt autem in eo, quòd neutra earum ad infebricitationẽ peruenit. Porrò Græci medici, ut hanc quã diximus, statuerent differẽtiam, solœcismum committere potius uoluerunt, quàm formam ipsarum febrium sine nomine relinquere, ut alibi copiosius explicauimus. Continua febris fit, ubi unus duntaxat humor intra uasa putrescit. Cuius quidem tres sunt differentiæ, quæ iuxta humoris in uenis putrescentis diuersitatẽ procreãtur. Si enim flaua bilis intra uasa putrescat, tertianam continuam, quæ alio nomine Græcis καῦσος, Latinis autẽ ardens appe

σιώοχος καὶ συνεχὺς differunt.

Causa. Differentię febrium cõtinuarũ tres.

καῦσος. Ardens febris.

appellatur, efficere solet. Sin pituita putrescit in uenis, quotidiana cõtinua generatur. Si atra bilis, quartana cõtinua nascitur. Quare eiusdẽ generis sunt cũ intermittẽtibus: cũ tertiana quidem exquisita intermittente, tertiana cõtinua: quod scilicet perinde atq; illa tertio quoq; die accessionẽ habeat. Quotidiana continua cum quotidiana intermittente, quod scilicet singulis diebus accessionem obtineat. Quartana continua cũ intermittente quartana, quia quouis quarto die inuadit: differunt tamen etiam ab inuicem, non obstante quòd eo qui utrasq; facit humore communicent, duplici ratione. Vna quòd in continuis humor putrefactus intra uenas, ut dictum est, contineatur: in intermittẽtibus autẽ, per singulas corporis partes dispergatur. Altera, quod intermittentes ad infebricitationem desinant: impetu enim delationis ipsæ per se ipsas expurgantur: continuæ uerò ad infebricitationem non perueniunt, nisi ex toto fuerint solutæ. Nullum itaq; certius indicium febrium continuarum est, quàm quod nulla earum ad infebricitationẽ perueniat, donec ex integro desierit. Alia sunt illis cum intermittentibus communia. Exquisita enim febris ardens omnes alias exquisitæ tertianæ notas seruat; hoc solo tamen discrimine uariat, quòd neq; cum rigore inuadit, neq; in quietem desinit. Simili modo quæ singulis diebus accessionem habet, exacerbatur'ue, omnes exquisitæ quotidianæ notas præ se fert, sed quòd nõ intermittit, hac re à quotidiana eiusdem generis differt. Pari ratione & ea quæ quarto quoq; die accessionem habet, quartanæ exquisitæ notas retinet, sed ad infebricitationem non cessat. Porrò quum continuas febres ex putridarum genere ex ijs quæ diximus nasci constet, necesse erit ut qui illas commodè curare uolet, putredinem inhibeat. Ita duæ statim se indicationes exhibent, quarum altera à febri, altera uerò à putredine sumitur. Atq;

Continuæ eiusdẽ generis cum intermittẽtibus.

Continuarum & intermittẽtium differentia.

Signa.

Curatio.

à febre rursus duæ, scilicet ut portio febris, quæ iã accẽsa est percuretur: quæ uerò in generatione est, inhibeatur. Aliæq; duæ à putredine, ut & quod putredinis iã factũ est sanemus: & quod in generatione adhuc est, sistamus. Quod in generatione est, id perspiratio impedita facit. Ita ab hac quoque duæ aliæ indicationes nascentur, tum ut quod retentum est uacuetur, tum quod retinendum est prohibeatur. Sanè prohibebitur ijs præsidijs, quæ obstructioni medẽtur. Huius rursus obstructionis quod iam occupauit, sanandum est: quod futurum, est propulsandum. At curabitur quidẽ obstructionis quod iam factũ est, per ea quæ obstructa liberant. Propulsabitur quod futurum est, si effluxum obstruentium succorum cõpescamus. Vnde satis liquet, quod ultimum in ipsa resolutiua methodo est inuentum, id primum omnium in curatione esse peragendum. Quum itaq; particulatim rem expendentibus quinq; sint in febribus continuis à quibus indicationes colliguntur, febris nimirum, putredo, perspiratio impedita, obstructio, humorum destruentium copia, à postremo curandi ratio auspicanda erit. Copia igitur humorũ requirente euacuationem, principio si ualida fuerit uirtus, tempus & ætas, atq; alia consentiant, sanguinẽ mittere oportet. Vacuata multitudine ad alterius, puta obstructionis, curationem accedendum, medicamentisq; ijs quæ obstructiones tollere possunt, utendum. Verùm quoniam horum pleraque calida sunt, metuendum ne tum putredinẽ, tum febrẽ augeãt. Itaq; ijs quæ citra calorem liberare ab obstructione ualent, utendum. Qualia uerò hæc sint, diximus suprà capite nimirum huius libri secundo. Vbi autem quæ obstruunt, detersa & dissecta sunt, per aluũ, urinas, ac sudores ea uacuare tentandum. Quum uerò materiæ quæ hæc efficiunt calidæ sint, necesse est tum putredinẽ, tum febrem augeri. Quare quoad licet

Quinq; indicationes curãdarum feb. cõtin.

Copię humorum curatio.

Obstructionis & impeditæ perspirationis.

licet id agendum, ut quæ minus calefaciat materia deligatur: aut si qua inueniri potest quæ nō calefaciat, quēadmodum in hoc casu balneum, utiq; ea petenda est. Balneū uerò idipsum posse Galenus lib. 1. De tuend. sanitate ijs uerbis disertè docet. Dulcium calefactarum aquarum, si tepidiores sint, uis „ humida & frigida est. Et paulò pòst: Balneum si probè adhi- „ beas, duras tensasq́; partes emollit, excrementum, liquamen- „ tumq́; si quod intus ad cutem hæret, euocat. His itaq; peractis, & detersis ijs quæ cuti impacta fuerunt, atq; adeò obstructione ac impedita perspiratione amota, ad putredinis curationē ueniendum est. Proinde hoc tempore imprimis uires roborare, quo & putredinē superent, & succos concoquant, studebimus. Putredinem etiam sanabimus, si id quod corruptum est, omni ratione uacuabimus: quod reliquū est, moderatis motibus, & refrigerante perspiratu, ad exactam mediocritatem reducemus, ac uacuationē eorum per urinā, deiectiones alui, uomitum, ac sudores moliemur. Vltimo ad febris curationem progrediendum, quæ quidem per refrigerantia fieri solet. Omnis enim febris, qua febris est, humectatio refrigeratioq; remedia sunt. Quemadmodum autem horum quodq; rectò fieri debeat, partim antea dictum est, partim etiam in sequentibus commemorabitur.

Putredinis

Febris.

De ardente febre. Cap. V.

ARdēs febris, quæ Græcis, ut suprà ostensum est, καῦσος dicitur, è continuarū est genere. Fit, cū flaua bilis in uenis putrescit. Eiusdem itaq; generis est cum tertiana exquisita intermittēte, eo quod ab eodem quo ipsa humore procreetur. Differt tamen etiam ab ea, quòd in hac flaua bilis per totū corpus feratur: in ardente autē febre is ipse humor in uasis unà cum sanguine continetur. Hinc est quod in

Causa. Quo cōueniat febris ardēs cum exquisita tertiana intermittēte, & quo ab ea differat.

ardente febre singulæ acceßiones ad infebricitationẽ nõ perueniant. Quãdo uerò in ijs bilis etiam uehementius agitatur, & à natura inualescente compellitur, tũc rigor superuenit, & febris ipsa soluitur. Quod Hipocrates in Aphorismis ijs testatur uerbis. A febre ardente habito, rigore superueniẽte, fit solutio.

4. Aph. 58.

Signa.

Dignoscitur ijs notis. Lingua eorum qui hac febre laborãt, arida fit, crassa, aspera & nigra, uẽtriculi erosio, sitis intolerabilis, uigiliæ, nonnunquã etiã delirium. Alui deiectiones liquidæ & pallidæ. Quas singulas notas Hippocrates etiã lib. 4. uict. aph. 4. complexus est.

Ratio uict⁹ & curatio.

Quod ad curandi rationem attinet, hac febre laborantium prima remedia sunt, ut decũbat in loco frigido ad suauẽ aurã exposito, à qua purus diffletur aër. culcitra etiam molli, quæ frequenter sternenda est. Stragula tenuißima sint, & minimè sordida, quæ aßiduè mutentur, habeatq; lectus insignem latitudinem, ut ad diuersas subinde partes membra calefacta transferri cõmodè queãt. Tum aër ignauior flabello excitetur. Cibi offerendi sunt, quibus refrigerandi & humectandi uis inest: ut est lactuca, cucurbita, cremor ptisanæ, oxalis, & eiusmodi. Potus sit cinnamomi decocti aqua, aut omphaciũ. Si æger assueuerit, post cibum frigidam deglutiendã dato, quãtum est cochleare unũ aut duo. Vel cum decocto hordei misceantur Zulapium uiolaceum, rosaceum, & ijs similia. Succo præterea solarũ rosarum stomachum recreabis, atque alias refrigerationes machinaberis, uirentibus uitis, rosarum, nymphea, uiolarũ folijs & floribus solum sternẽdo, & aquam frigidã sæpius irrigando, riuulos aquarum moliendo, quæ ex propinquo suauiter instrepant, ut suprà sæpe à nobis expositum est.

Venæ sectio.

Initio etiã statim uenã incidere oportet, modo ætas, tẽpus, uirtus, & alia permiserint. De quibus copiose Gal. lib. 1. ad Glauc. cap. 13. disserit. Et ut idem lib. 1. Aph. com. 23. ait: in ardẽtissimis

simis febribus si usq; ad animi defectionem sanguis mittatur, statim totius corporis habitus refrigeratur, & febris extinguitur, & plurimis etiã aluus citatur, & sudores emanant. Thorax subinde ac stomachus palmulis cũ rosaceo, aut oleo cotoneorum, aut nympheæ tritis fouendus. Conueniunt & alia medicamenta refrigerantia, ut sunt palmites, intubum, polygonum, lactuca, oxalis, folia uitis, & similia. Sudariolũ quoq; tenue complicatum, oleoq; & aqua calentibus madefactum, stomacho & thoraci applicetur: id enim febriũ ardorem mirum in modum sedat. Lana quoque quantum manu capitur, aqua & oleo rosaceo calefactis imbibita, è sublimi in thoracẽ expressa, feruoris uehemẽtiã facilè obtundit. Hæc autẽ calida esse oportet, nam tepida mẽbrorum uigorẽ exoluunt. Nec temerè etiam in febribus ardentißimis acetum admiscebis. Epithemata uerò & reliqua refrigerantia medicamenta, in principijs & incremẽtis acceßionum nõ sunt admouenda: hoc enim tempore corporis affectus adhuc ambigit, & calor uiscera obsidet: quapropter adhibita calorẽ in profundũ repellendo, maioris nocumẽti occasionẽ præstãt: igneus enim calor intus repressus, uehemẽtiori rursus ardore excitatur: sed in uigore exacerbationũ calore iam per uniuersum corpus explicato, tũ enim residuũ caloris præter naturã circa uiscera derelictũ promptè extinguetur. Hinc ægri melius spirare incipiunt, & leuiori siti infestantur: quidã etiã rorido efflante uapore deliniti, somnum capessunt. Epithemata autem, quibus in ijs febribus utendum est, sint eiusmodi, quæ habent: Liquorum stillaticiorum rosarum, lactucæ, utrorũq; ℥ 3. ß. liquoris stillaticij, intubi satiui, utriusq; ℥ 1. ß. aceti optimi ℥ 1. santalorum omnium, singulorũ ʒ 1. caphuræ grana 4. commixtis omnibus fiat epithema. Porrò instante uigore, & nullo eorũ quæ dicta sunt suprà ca. 3. prohibente, syncera

Medicamẽta refrigerantia.

Tepida mẽbrorũ uigorẽ exoluunt.

Refrigerãtia medicamenta quãdo admouenda.

Epithema.

syncera frigida iam tuto exhibenda est. Quòd si timor, quãuis minimus, obstiterit, primam potionẽ refractam propinabimus. Refrangitur autẽ in hunc modum. Sumito temperatæ aquæ cyathum unum, cui quinq; sinceræ frigidæ admisceto, & sic suspectis corporibus præbeto. Quid multa? in curatione febrium ardẽtium horum alterum fieri necessariũ est, si perfectè morbus solui debet: aut biliosos humores excerni, aut eosdẽ extingui. Excernuntur itaq; per sudores, uomitiones, & aluum. Extinguuntur autem frigidæ potu, quo sæpißimè ardentißimæ febres ex toto curantur. Cæterùm balneum ijs solum usui est, qui citra tumorẽ ad inflammationis aut erysipelatis naturam tendentem ardenti febre laborant. Quòd si uerò cõcoctionis notæ in urinis apparuerint, multò magis conducet. Aeger qui quidẽ in ardentißima febre frigido uti uult solio, sit iuuenis, moderato corporis habitu præditus, idq; faciat æstatis tempore, ac anni constitutione calida & sicca, inq; febris uigore, sit quoq; frigidæ lotioni assuetus. Moderatiori uerò existente febre, robustaq; uirtute, simul cum coctionis notis, solium aquæ dulcis & temperatæ confert. Ex unctionibus etiã oleum chamæmelinum, præsertim si continens aër frigidus sit. Materiæ copiam, ex qua remedia ardentibus febribus competentia componuntur, sequentia capita abundè suppeditabunt.

Frigida quomodo refrangat.

In ardentibus febrib⁹ biliosi humores aut excernendi, aut extinguendi.

Balneum.

Si moderatior sit febris.

De exquisita tertiana intermittente. Caput VI.

TErtiana febris intermittens exquisita ex flaua bile per sensiles corporis partes delata, & suipsius naturam puram synceramq; seruante, oritur. Quare cùm ex bile syncera, nulliq; alteri humori permixta procreetur, exquisita medicis dicta est. In biliosioribus natura corporibus cõsistit, & uigen

Causa.

Tertiana exquisita cur dicta.

Signa.

& uigenti ætate, tempore æstiuo, calidis & siccis regionibus, similiq; aëris constitutione, uita etiam laboribus uigilijs, curis, intensis cogitationibus ac solis feruoribus dedita & exposita. Ad hæc in eo quoq; facilè tertiana accenditur, qui cibis & potionibus calidis & siccis antea usus est. Hæc etiam statim ab initio inq; singulis accessionibus rigorē uehementem affert: qua una quidē ratione ab ardēte febre, ut suprà est ostēsum, differt. À quartanæ uerò rigore in hoc distat, quòd corpus pungere, ac ueluti ulcerare uideatur: cùm quartana refrigerationē habeat similimā ei quæ hyberno tempore sentitur. Tertianā itaq; febrem nō cōtingit fieri sine rigore uehementi, pungente ac uulnerante carnē. Quartana uerò neq; primo statim die cum rigore inuadit uehementi. Nam progrediente ipsa atq; aucta, unà quoq; rigor augetur, sensusq; ægrotantium non est quasi eorum qui punguntur, sed potius qui refrigerantur, & ueluti ad ossa usq; molestantur. Est & in tertiana pulsuum exactus ordo & æqualitas, qui tamen ad uehementiam ac magnitudinem atq; frequentiā in accessionum incremento excitantur. Præterea in uigore etiam sitim inuehit, ac hominem exurit, ut abiectis uestibus æger denudetur, ampleq; & frequenter spiret, exuffletq; ueluti flammam, frigidamq; potandā flagitet. Calor æqualiter subinde per totum corpus diffunditur, nihiloq; magis thorax quàm extrema calent. Et si manum inieceris, primo quidē contactu calor plurimus ac mordax occurrit, ueluti cum uapore quodam erumpens: non multo tamen postea, à manu remanente uincitur. Ac tum potus ægrotanti exhibendus est. Qui ubi biberit, statim copia uaporis per cutem emergit, sudoris nuncia. Bilis denique uomitio superuenit, aluusq; soluitur, & biliosum mingunt, subruffum, subflauumq;, & moderatè crassum. Vrina quoque statim nubeculam albam, aut subla

Tertianę rigor quo distet à rigore quartanæ.

Tertianæ pulsus.

In vigore quæ cōtingant.

Potus quādo exhibēdus, quidq; eū sequatur.

Quibus dignoscitur hæc feb. ad 7. circuitus duratura. sublationem laudabilem habet. Ruffioribus autem existentibus urinis, neq; suspensione, neq; nubecula in primo circuitu apparentibus, febris ad septem circuitus extēdetur. Præterea ad infebricitationem desinit, ubi accessionis spacium horarum æquinoctialium ad summum duodecim expedierit. Nā hoc tempus longißimum est in ueris tertianis. Breuior uerò aliquando prædicto spacio temporis accessio, in eo quòd magis ac minus plurimam habens differentiam, ob quantitatem uidelicet aut qualitatem ipsius bilis, aut propter laborantis uires, aut propter præsentē eo tempore corporis patientis affectum.

Accessionis longitudo.

Tertiana exacta. Febrē igitur quæ intra duodecim horas terminatur, exactam tertianam nominamus: quæ uerò diuturniorem accessionem habuerit, ea non tertiana exquisita, sed extensa uocatur.

Extensa.

Duplicis, & eius notæ. Quòd si quotidie febris cum uehemēti rigore inuadit, & cum alijs tum urinarum, tum pulsuum, tum cæterorum notis, quas diximus, duplex tertiana nuncupatur. Quæ singula copiosius prosequitur Galenus lib. 1 ad Glauco. cap. 5. Et lib. 2. De diff. feb. cap. 3. & lib. 2. De crisib. ca. 3.

Curatio. Tertianam uerò exquisitam, ut quæ ex flaua bile commota inualescat, quàm maximè fieri potest, refrigerare & humectare oportet, is enim humor inter omnes qui in corpore sunt, calidior sicciorq; existit. Aeger itaq; decumbat in loco frigido ad aurā suauem, ut ca. 5. etiam diximus, exposito. Solum spargatur frequenter aqua frigida, liquoribus stillaticijs rosarū, uiolarum, & similium. Humi sternantur folia salicum, uitis, flores rosarum, uiolarum, nympheæ, & id genus aliorum.

Victus. Cibis utantur ægri quibus humectandi & refrigerandi facultas inest. Ex oleribus quidem, atriplice, blito, malua, lactuca, cucurbita, lapatho, intubis, & eiusmodi. Ex alijs autē illis conueniunt ptisanæ succus, & ex alica sorbitiones, & ex piscibus saxatiles. Ex uolatilibus, quæ mollibus constant carnibus

bus. Quæ uerò talia non sunt, eorũ alæ, testiculi quoq; gallorum, & suum pedes & cerebra. Porcellorum etiã si dederis carnẽ liquefactam, nihil nocebit. Sed & oua ad sorbendum sunt offerenda, præsertim uitelli eorum: nam ij facilius quàm pars alba cõcoquũtur. Ex fructibus permittẽdũ ut illos degustent, qui nõ omnino ad cõcoquendũ difficiles sunt. Abstinẽdum autem à melle, sinapi, salitis, omnibusq; acribus. A` uino autẽ, antequã morbus cõcoquatur, omnino arcendus æger. Interim bibat aquam decocti cinnamomi, aut hordei. Vel hoc planè utatur potu, qui habet: Zulapij uiolacei ℥ 4. aquæ in qua parum cinnamomi decoctũ sit lib. 1. misce. Cæterùm ubi cõcoqui cœperit morbus, dãdum erit initio uinum tenue, aquosum, & paucũ. Vbi uerò iam propè est ut soluatur morbus, amplius est offerendum. Hæc quidẽ sit uictus ratio in pluribus ueluti ad coniecturã exposita. Quod ad somni rationẽ attinet, in accessione nõ est dormiendum, sed uigilandum potius, ut sanguinis & spiritus, atq; adeò caloris naturalis ad interiora motio impediatur, inq; contrariũ, & ad exteriora trahatur: aliàs enim febres uix dissoluũtur, & ad consistendi tẽpus tardissimè perueniũt, fluxionesq; multiplicãtur. Finita accessione somnus nõ improbatur. Exercitia & omnes uehementes motus cauẽdi, ne cum Herodico, cuius Hippocrates in Epid. lib. 6. meminit, ægrotantes interficiamus. Animi perturbationes, ira potissimum, timor, mœstitia, & similes, fugiendæ. Porrò nõ solum iam dicta uictus ratione, sed & medicamẽtis quæ refrigerare & humectare possũt, uti cõuenit. Quare ad bilis feruorẽ calorẽq; mitigandum, ac restinguẽdum hoc decocto utendum quod accipit: Florum uiolarum, buglossi, rosarũ purpurearum, singul. m̃. 1. florum nympheæ m̃. ß. intubi satiui utriusque, lactucæ, singul. m̃. 1. ß. passularũ purgatarum ℥ 1. prunorum damascenorum numero 11. seminum

[Margin notes: Potus. — In accessionibus non dormiẽdũ. — Par. 3. Aph. 24. — Medicamẽta. — Decoctũ alterans.]

num intuborum satiuorũ, lactucæ, portulacæ, cucurbitæ, singulorum ℨ ı. radicis cichorij ℨ 6. decoquãtur singula in duabus libris aquæ fontanæ, donec tertia pars absumpta fuerit. Dein colo transfusis sacchari adiectione ius decocti dulce reddatur, albisq; oui purificetur, additis serapij de intubo satiuo latifolio, & zulapij uiolacei, utriusq; ℨ ı. ß. commixtisq; omnibus fiat potio, de qua singulis diebus in aurora detur

Mixtura. pondus ℥ 4. ß. Quòd si æger à potione abhorreat, detur pro ea hoc medicamentũ, quod habet: Sacchari uiolacei, buglossi, rosacei, nymphee, cichorij, singulorum ℥ ß. compositionis è prunis damascenis citra diacrydion ℨ 7. diarrhodon abbatis ℥ ı. specierũ diatrionsantalon ℨ 2. zulapij uiolacei quod satis

Euacuatio. Vomitus. est ad excipiendũ, fiat mixtura. Nonnegligēda præterea erit biliosi humoris, si res ipsa exigat, uacuatio. Quare eum qui ad stomachum confluit, per uomitũ educere oportet: qui qua ratione ciendus sit, in superioribus libris est expositũ. Eum autẽ qui ad inferiora repit, per inferiorẽ excretionẽ elicere oportet: quod quidẽ etiam sponte interdũ in tertiana exquisita fieri solet. Quapropter aluus emollientibus clysteribus

Clyster. exinaniẽda est, qualis est qui accipit: Maluæ, foliorum uiolæ herbæ, mercurialis, intubi satiui utriusq;, singul. m̃ ı. seminis portulacæ, melonũ, utriusq; ℨ 2. ß. decoquantur in aqua iustæ quantitatis, quoad tertia pars absumpta fuerit. Colo diffundantur, & iuri decocti ipsius adijciantur casiæ fistularis recẽs extractæ medullæ ℥ ı. olei uiolacei ℥ ı. salis uulgaris ℨ ı. ß.

Vrinã prouocantia. Misceãtur singula, & fiat clyster. Per urinam quoq; & sudores diuertere oportet. Vrina igitur potionibus, in quibus

Absinthiũ quando exhibendum. apium aut anethum maduerunt, prouocanda. Et si cõcoctionis notæ apparebunt, iam tuto absinthium poteris exhibere, quod alioqui summum est uentriculi remediũ, ubi hunc bilis infestauerit, si præsertim ex ipsius coma, quantum sufficiat,

acci-

accipiẽs, in melicrato maceraueris. Sudorem uerò hoc uel simili medicamento euocabis, quod habet: Radicum apij, asparagi, cichorij, singul. ℥ ß. seminũ petroselini, fœniculi, rusci, smyrnij, singul. ʒ 2. cicerum nigrorum ʒ 3. anenthi m̃ ß. decoquantur singula in aqua fontana iustæ quãtitatis ad tertias, dein colo transfundantur, & sacchari adiectione ius decocti dulce reddatur, additis oxymelitis cõpositi ℥ 2. fiatq; potio. Aut singula iam dicta redacta in puluerẽ exhibeantur, qualibet uice ʒ 1. aut ʒ 1. ß. cum ℥ 3. oxymelitis simplicis. Hæc autẽ medicamenta in declinatione accessionis, aut die qua æger à febre liber est exhibeantur. In hunc etiã usum proderit inunctio ex oleo chamæmelino, anethino, & similibus. Balnea quoq; calida ex aqua potabili prosunt, tum quia aliquid bilis educunt, tum etiam quia sua qualitate plurimũ iuuant. Nam huiuscemodi balnea humectant, & potentia refrigerant. Marinæ uerò aquæ, & salsæ nitrosæ, atque sulphureæ, plus quidẽ bilis educunt, sed multò minus quàm potabiles prosunt. Præstat autem neq; ipsas utiles dicere, quãdoquidẽ plus qualitate nocẽt, quàm euacuationibus iuuent. Semper autem oportet contrarias qualitates, illis quæ præter naturam inualuerunt opponere: quum hoc multò plus iuuet, quàm quomodolibet euacuare. Hæc igitur in balneis intẽtio sit, ut corpus madeat & humectetur: atque idcirco neque nitrum, neque salem, neque sinapi inspergere oportet: at plurimum oleo calido perfusos ægros ad aquam perducere, ac madefacere. Et si in ea natare uoluerint, quandiu potuerint, permittendum. Et qui balneis admodum delectantur, si etiam bis in die lauari permiseris, non aberrabis, ut Galenus perspicuè libro primo ad Glauc. cap. 9. docet. Verùm illud semper in memoria habeto, ut id in tempore fiat. Si uerò iam signa concoctionis ostendantur, tunc etiam si sæpius laueris, nihil offendes.

Sudorẽ eliciens.

Puluis.

Balneum.

Quæ in balneis intẽtio esse debeat

De tertiana notha. Cap. VII.

Causa. Tertiana notha seu spuria fit quando bilis maxima ex parte pituitæ miscetur. Hinc est quòd nõ singulas notas, ut in exquisita, puræ ac syncerioris bilis naturam præ se ferãt. In ea etiã accessiõis tẽpus duodecim horas excedit: neq; etiam ut exquisita, septenis circuitibus iudicatur. Tardius deniq; in hac ipsa spuria tertiana coctionis notæ apparent, neque tantus etiã in uigore calor. His accedit, quòd nõ finitur, ut exquisita, sudoris copia. Quare uictus ratio in hac febre non sit in uniuersum quæ refrigeret & humectet, sed aliquid quoque assumat quod calefaciat & incidat: præiacet enim craßior, neq; adeò calida bilis. Plurimum igitur ea laborantes iuuat ptisanæ cremor, adiecto piperis modico, uel hyssopi, uel origani. Sorbitiones etiã concoctu faciles dandæ sunt. Porrò cùm accessionis tempus longius sit, atq; adeò integrũ diem duret, non sanè quotidie, sed alternis tantum diebus cibum exhibere oportet: hac enim ratione cauebimus ne morbus augeatur. Prouidendum uerò summo studio ne morbus augeatur, ne'ue ægrotantis uires, quæ longiori tempore laborare debẽt, prosternãtur. Difficilè uerò est seruare utrunq;, quoniam inediæ quantum prosunt ad morbi concoctionem, tantum uel amplius officiunt uiribus. Cibi uerò, quantum ægroti robur adaugent, tantum concoctiones impediunt. Quare inedia quidem utendum, ubi ualentiores fuerint uires, & morbus concoctu difficilis. Largiori autem cibo, ubi uires sint imbecilliores, neque morbus concoctu contumax. Potus sit aqua, in qua parum cinnamomi decoctum sit, aut hordei: & tum quidem aliquid etiã hyssopi aut origani adijciatur. Quies conducit, exercitia uerò nocent. Quod ad curandi rationem attinet, si sanguinem mittere oporteat, neq; hoc quoq; omittendum, sed ab initio statim, adhibita ætatis, tempo

Signa.

Victus.

Curatio.

temporis,regionis,habitus corporis,& similium distinctione,tantumq; sanguinis detrahendum, quantum præsens exigit status.Clysteres quoq; non admodum molles iuuant,qualis est qui habet : Maluæ, mercurialis,foliorum uiolæ nigræ, origani,hyssopi,singul m̃. 1. seminis cartami ʒ 3. coquantur singula in aqua iustæ quantitatis.Colato iuri adijciantur benedictæ laxatiuæ uocatæ,hieræ picræ,utriusq; ʒ 3. mellis rosacei ʒ 6.olei uiolacei,chamæmelini,utriusq; ℥ 1.ß. salis uulgaris ʒ 2.fiat clyster.Cæterùm exhibenda etiam decocta,quibus ea insunt quæ citra plurimam calefactionem & exiccationem incidere & urinã ciere possunt. Cuiusmodi est quod accipit: Radicum apij, fœniculi, cichorij, singul.℥. 1. intubi satiui utriusq;,origani,hyssopi,singul.m̃.1.lactucæ m̃.1.ß.seminum quatuor frigidorum cõmunium, singul.ʒ 1. seminis fœniculi & apij,utriusq; ʒ 1.ß.decoquantur in aquæ lib. duabus donec tertia pars absumatur. Ius colo transfusum sacchari adiectione dulce reddatur,ouiq; albuminibus purificetur.Deinde addantur serapij acidi simplicis, mellis rosacei colati,oxymelitis simplicis,singul.℥ 1.ß.& fiat potio,de qua quotidie in aurora detur pondus ℥ 4. posthæc ea quæ uentrẽ placidè subducũt sunt exhibẽda, ut dilutum rhabarbari scenitici,cõpositio de psyllio,indi maior,diaphœnicon, & alia eiusmodi quæ per se aut alijs admixta bilem unà cum pituita educere possunt,qualia multa in superioribus libris,& lib.2. De compositione medic.annotauimus.Post septimum diem iugiter decoctum comæ absinthij dandum est. Multos quoque iuuit oxymeli per se potum. Vomitus autem à cibo adeò ijs quibus hæc febris perdurauerit utilis est, ut multi, Galeno lib.1.ad Glauc.teste,hoc uno præsidio curati sint. Hypochondria quoque calidis fouenda sunt medicamentis, ut scilicet flatus,qui ea distendunt,per illa discutiantur. Inter cætera

Clysteres. Decoctũ. Purgatio. Vomitus. Fomentũ.

tera uerò hoc potißimum conuenit, quòd habet: Florũ chamæmeli, meliloti, anethi, singul. m̃. 1. absinthij m̃. ß. rosarum purpurearũ m̃. 1. seminum lini, fœnogræci, utriusq; ℥ 3. ebulliant singula in aqua sufficiẽti ad tertias. Dein spõgia in hac irrigata hypochondria foueantur. Licebit & uentriculũ hoc aut simili unguẽto inungere, quod accipit: Oleorũ mastichini, rosacei, chamæmelini, singul. ℥. 3. garyophylorum ℥. 1. ß. ceræ quod satis sit, fiat unguentum. Cæterùm in tertianis nõ exquisitis, neq; statim circa initia balneare expedit: sed quum primùm notæ coctiones apparuerint.

Vnguentũ.

Balneum.

De quartana. Cap. VIII.

Causa.

Signa.

ALterum genus febrium intermittentium est exquisita quartana, quæ ex solo atræ bilis humore putresente generatur. Hæc quidẽ non statim primo die cum rigore inuadit uehementi: sed talis est, qualis ijs qui uehemẽti gelu frigescunt. Progrediente autẽ ipsa atq; aucta, unà etiã rigor augetur, inualescitq; quotidie usq; ad totius morbi incrementũ, sensusq; eius non pungentis stimulantis'ue cutẽ, sicut in tertiana exquisita, sed uehementem algorẽ inducentis, & tanquam ossa frangentis existit. Pulsus in ea satis tardi sunt ac rari in principio accessionum. Quum uerò consistit, atq; febris etiã augetur, necesse quidẽ est, ut ueloces fiãt & frequẽtes. Seruatur tamẽ et tũc propria ipsius tarditas & raritas, si accedentẽ uelocitatẽ atq; frequentiã in accessionibus ratione perpendas. Verùm caloris motus, incrementum & uigor tertianis febribus contraria sunt. In ea enim paulatim humor ueluti lapis aliquis, aut testa, aut os, aut tale aliquod huiuscemodi corpus frigidum & siccum succenditur. Vbi uerò aliqua ex eo flamma fuerit accensa, nihil fumidum, aut à se incombustum in accessione relinquit. Atq; idcirco in hoc hu-

more

more longiores sunt cessationes, quàm in pituita, atq; intermissio exquisitè, pura uidetur: quoniā hic quicquid atræ bilis fuerit accensum, exhauritur atq; dispergitur. Bilis præterea flauæ uomitus quartanam non comitatur. Vrinæ tanquā per crassiorem materiam excolatæ, sunt tenues, albæ & aquosæ. Adhæc in autumno potissimum incipit, erraticis superueniēs febribus. Cæterùm incipienda & laborantis natura seu temperamentum, uictus ratio quæ antecessit, regio, ætas, & alia eiusmodi: si enim frigida & sicca fuerit, tunc certius quartanam futurā sperabimus, potissimum ubi eo tempore quartanæ febres populariter uagabuntur. Quod ad curationem ipsam attinet, quartana laborātes, initio moderatè & leniter tractandi sunt, neq; ullo forti, uehementi'ue medicamēto, aut euacuatione irritandi: nisi forte sanguis uehemēter exuperare uideatur, tum enim sanguis auferēdus. Et simulatq; uena incisa, effluēs sanguis niger ac crassior fuerit, audacius mittendus est: quòd si uerò flauus aut tenuis apparuerit, statim supprimēdus. Venam uerò incidere oportet lienarem uocatam, aut quæ est in sinistro cubito, mediam. Victum instituere cōuenit optimū, cum nimirū qui minimè flatuosus sit. A' suillis itaq; carnibus arcendi sunt ægri, atq; ab omnibus edulijs quæ uiscida ac tenacia sunt, & tardum habent exitum, atque ab omnibus quæ refrigerant & exiccant corpus. Vtendum uerò est uolatilibus montanis, quæ boni succi sunt, & non in paludibus degunt. Piscibus etiam qui molli carne, tenacitate carente, præditi sunt. Salsa etiam, & sinapi in cibo, ut incidantur & extenuentur humores, adhibenda sunt. Vino utendum est albo ac tenui, & mediocriter calido. A' frictionibus autem & deambulationibus, & alijs hominum cōsuetis studijs, non sunt penitus prohibendi. A' balneis tamen, si possunt, omnino abstineant, frictionibus duntaxat adhibitis.

Curatio.

Venæ sectio.

Victus ratio.

tis. Et si breuis, nec admodum uiolenta quartanæ accessio fuerit, nihil nocebit si diebus inter accessionē medijs ad consueta exercitia se transferāt. Cæterùm clysteribus quoq; utendum, à principio quidē mollibus, postmodū uerò acrioribus. Molles ex præcedente capite petes. Paulò uerò acrior hic est, qui habet: Maluæ, chamæmeli, mercurialis, foliorū uiolæ nigræ, singul. m̄. 1. folliculorum senæ, radicis polypodij, utriusq; ʒ 5. hemionitidis m̄. 1. ß. decoquantur omnia in aqua sufficienti ad tertias. Iuri per colum transfuso admisceatur medullæ casiæ fistularis ℥ 1. compositionis diasenæ solutiuæ ℥ ß. olei uulgaris ℥ 3. mellis rosacei, salis fossilis ʒ 1. & fiat clyster. Certis etiam diebus dandum medicamentum quod diatrionpipereon uocatur. Imò rectè fecerint ægrotātes, si quotidie piper cum aqua biberint, Gale. lib. 1. ad Glauconem autore. Hæc quidem in principio & augmento potissimum sunt facienda. Si uerò in uigore morbi ægrotus esse uideatur, tunc tenuiorem uictus rationem adhibere cōuenit quàm antea uel postea. Statim uerò præcipiendum, ut in longum tempus quiescat, ac uisceribus prouidendum unguendo, illinendoq; his quæ mollire ac laxare possunt: qualia sunt quæ ex farina hordeacea, semine apij, iride, cumino, ruta, & ijs similibus componuntur. Inter cætera uerò hypochondrium sinistrum hoc unguēto erit inungendum, quod habet: Olei de caparibus ʒ 3. oleorum irini, amygdalarum dulcium, utriusq; ʒ 2. seminis apij, cumini, radicis iridis, singulorum ℈ 1. ceræ quod satis, fingatur unguentum. Posthæc utendū medicamentis quæ ciendi urinam uim obtinent. In quem sanè usum mulsa propinanda, in qua anethum, aut ruta, aut apium decoctū sit. Mox si cōcoctionis notæ apparuerint, purgandū medicamētis, quæ atrā bilē euacuant: idq; non semel tantum, sed sæpius, si fuerit necessarium. Qualibus autem medicamentis purgantibus

Clysteres.

Quæ in uigore faciēda.

Vnguētū.

Vrinam cientia.

utendum sit, libro primo: in capite De melancholia à nobis expositum est. Præter cætera tamē Aëtius laudat uinū dulce infusum in colocynthidis cauitatem: sic tamen ut illi admisceatur quidpiam apij, aut dauci, iucunditatis gratia. Vtendum quoq; uomitu à cibo. Et si nihil prohibuerit, elleborus albus est exhibendus, primū quidem permixtus raphanis, ut in superioribus est ostensum. Quòd si nihil fecerit, elleborus ipse dandus. Quòd si quispiam ab elleboro abhorruerit, hoc aut simili uti poterit, qd' accipit: Succi raphani, aut eius liquoris stillaticij ℥ 4. oximelitis simplicis ℥ 2. Misce, ac tepidū bibendum exhibe. Qui uerò nequeūt euomere, hi p inferiora purgandi. A purgatione dandū medicamentū è uiperis, quod theriacā uocāt, aut quod illi facultate simile sit. Quicunq; inter initia morbi, aut omnino ante uigorem, aliquod ex ijs medicamentis exhibēt, quartanā quæ simplex erat, sæpius duplicē faciunt, aut omnino maiorē difficilioremq;: ex duplici autem triplicem: uel prorsus ambas maiores difficilioresq; reddunt. Vomitus.

De quotidiana. Cap. IX.

QVotidiana febris intermittens ex pituitæ putredine, p sentiētes corporis partes à natura detrusa, ortum habet. Dicitur ἀμφημέρινος Græcis, quòd scilicet singulis diebus accessiones facit. Quòd si uerò priuatim uitrea pituita, quæ aliarum omniū frigidißima est, ex dimidio putrefiat, hoc est, si non tota ipsius substantia æqualiter, sed aliquæ ipsius partes putruerint, aliquæ uerò non putruerint, Epialon febrem appellatā excitat: in qua ægri simul febricitant & rigent, atq; in eodem tempore in omnibus corporis partibus utrunq;, calorē nimirum & frigus immodicū sentiunt. Siquidem partes humoris putredinē nondum expertæ, per omnes uenas, aut etiā reliquum corpus, sparsæ, rigorem creant: Causa. Amphimerina. Epialos febris.

creant: putrefactæ uerò, febrem accendũt. Quotidiana haud quaquã cum rigore primo statim die inuadit, sed progressu temporis refrigeratio potius quàm rigor occupat. Pulsus cũ primũ accessio fit, inordinatus est & inæqualis, tardus, paruus ac debilis. Neq; etiam in augmẽto uelocitas motus, magnitudo, atque uehementia quotidianæ adsunt. Calor illi non tam acris ac uehemens, ut in tertiana: neq; enim adurit, neque denudari corpora & uestitum iactari cogit, neq; multũ & crebrò spirare cõpellit, ac ueluti flammam ex ore efflare, uel frigidam expetere: sed humidus ac fumosus, cum multo uapore commixtus. Aegrè quoq; accenditur, ac longum consumit tempus, dum inualescendo peruenit ad summum. Minimè deniq;, qui sic febricitant, sitiunt: quod nõ duntaxat lingua, imò totum corpus in hac febre humidissimũ sit. Vrinæ in quotidianis uel albæ, tenues, & aquosæ: uel crassæ, aut turbulentæ. Nullus omnino sudor in primis diebus erumpit, neq; unquã exacta febriendi quies attingitur. Occupant ferè decem & octo horarum spacium. Vomitus etiam pituitosi ijs accidũt, & quæ per aluum excernuntur frigidiora & humidiora, crudiora, aquosiora, & pituitosiora sunt. Vniuersum quoq; corpus in hisce febribus plenum crudis humoribus inuenitur. Cæterùm quotidiana febris humidas pituitosas'ue naturas maximè infestat. Hyemis quoq; tempore, humida & frigida cõstitutione, senili ætate & puerili, his deniq; qui ocio plurimo dediti sunt, crapulis, ebrietatibus, balneisq; assiduis, pòst cibum præsertim, utuntur, quotidiana febris facilè accidit. Quas singulas notas fusius lib. 1 ad Glauc. cap. 7. Et lib. 2. De diffe. feb. cap. 4. Et lib. 2. de Crisibus cap. 5. Galenus prosequitur. Victus ratio in hac febre in uniuersum sit incisoria & extenuãs: ideoq; ad ea capita recurrendum, erit, in quibus qualis sit hæc uictus species, à nobis est monstratum. Primis

Signa.

Accessionis longitudo.

Victus.

qui

quidem diebus aluus clysteribus mollientibus est eluenda. Dein oxymelite utendum, & alijs quæ urinã elicere poßunt. Conuenient igitur decocta ex radice apij, petroselini, iridis, fœniculi, & similibus antea sæpißimè cõmemoratis, cum sea rapijs acido cõposito, melle rosaceo, è duabus radicibus, & alijs quibus incidendi & extenuandi facultas inest. Circa statum uerò de uentriculo est habenda solicitudo, præsertim de eius ore. Quare ante cibum hoc unguento utendum, quod accipit: Oleorum mastichini, absinthitis, nardini, singul. ℥ 2. ʃ. masticbes, garyophyllorum, ligni, aloës, singul. ℈. ʃ. cinnamomi ℈. 1. cum cera quod satis est fiat unguentum, quo uentriculi regio inungatur. Deinceps iubendum est, ut ægri à raphano & cibis assumptis uomant. His etiam utendum medicamentis, quæ pituitã subducunt: qualia multa in præcedentibus libris à nobis dicta sunt. Hæc pro curatione febris quotidianæ, quæ rarò admodum accidit, dixiße satis sit. Vnguẽtũ.

De hectica febre. Cap. X.

Hectica qd.

HEctica febris appellatur, quando calor præter naturam non solum in spiritibus & humoribus, sed iam in partibus etiã solidis cõsistit. Hectica uerò dicitur, uel quòd firma ac fixa sit, ac difficulter soluatur, quẽadmodũ habitus: uel quoniã habitum corporis cõprehendat. Sic enim uocare cõsueuerũt, solidas partes humidis distinguẽtes. Hæc dolorẽ nescit, & qui ea detinentur, nequaquam febricitare se existimant: neque enim calorem percipiunt, cùm uniuersæ ipsis particulæ æqualiter sint excalfactæ. Hecticæ autem febres duplici modo generantur. Primùm quidem magna ex parte ex ardentibus febribus, quæ adeò protrahũtur, ut longitudine temporis humorem in corpore cordis contentum absumant, uel etiam si copiosus adhuc subsistat. Illæ uerò non tan-

Hectica vnde dicta.

Causa.

tantum hecticæ sunt, sed etiam μαρασμώδεις, hoc est tabidæ. Quæ autē manente adhuc humiditate generātur, ubi corpus cordis occupauerint, hinc maximè accendūtur, haud secus quàm lucernæ flamma ex ellychnio. Atq; hæc una quidē febrium hecticarum generatio. Reliqua est, quum statim inuaserint, similem primum sui ortum diarijs facientes, aut ex mœrore, aut ira, aut laßitudine nimia, unà cum solis feruore natæ. Hasce igitur febres non est admodum difficile curare.

μαρασμός. Atq; ex ipsis in tabē marcorem'ue, qui Græcis μαρασμὸς dicitur, ex inscitia medicorum peruenerūt, ubi iam exquisitè cōsistunt, & non adhuc incipiunt, has non modo curare difficilè, imò etiā imposibilè. Earum enim natura calida & sicca est, ut tale aliquid patiatur cor, quale lucernæ funiculus, quum plurimū perustus fuerit. Nam qui ita torrefactus est, frangitur & dissoluitur, atq; ex ariditate continuitatē, amittit, adeò ut etiam si copiosum oleum superinfundas, flamma abundantior non poßit accendi. Semper enim parua & imbecilla in ipsa palpitat, ac continuè fit minor, donec ex toto extinguatur. Talis quidem est febris quæ omnino μαρασμώδης, hoc est tabida existit.

Signa. Hectica uerò, quæ in marasmū incidit, cognitu promptißima atque facillima existit. Nam priusquam pulsum atque calorem tactu perpendas, uidebis oculos immodicè cōcauos, ueluti quibusdam quasi scrobibus reconditos, exhausta iam uniuersa in ipsis humida substantia, ita ut oßium quibus palpebræ cohærent eminentiæ conspiciātur. Sordes quidem in ipsis aridæ apparent, & quidam squalidus affectus, qualis maximè inest his qui toto die sub solis ardore iter longum per puluerem fecerunt. Flos etiam ille uitalis perijt, cutisq; in fronte arida distensaq; est. Palpebræ frequenter ueluti somnolentæ conniuent. Verùm passio eorum somnus non est, sed potius uigilandi impotentia.

Cont-

Contabuere quoque carnes quæ in temporibus sunt, ut col lapsa uideantur, & concaua loca. Quid enim aliud præter ossa & cutẽ solã habẽt? nam si denudatũ uentrẽ inspexeris, neq; intestinum, neque uiscus ullum superesse tibi uidebitur. Hypochondria sursum ad thoracem conuelluntur. Quòd si eos tangere libeat, cutis quidem apprime arida est: quam si digitis apprehendens extenderis, instar corij cuiusdam consi stit. Pulsus tenuis, durus, debilis, & frequens. Caliditas quum primũ manus admouetur debilis est, paulò pòst acris & rodens erumpit, & magis cùm amplius tangendo immorabe ris. Maxima quoq; erit hæc & minimè anceps nota: adhibito cibo calor incenditur, pulsusq; magnitudine & uelocitate intenditur. Tandiu autẽ hectica febris dicetur, quãdiu natiua humiditas reseruatur. Vbi uerò ambigitur, ne nihil amplius humoris supersit, absoluta iam tabes est, quæ Græcis μαρασμὸς uocatur. Hecticas uerò febres priusquã ad tabẽ deueniant, omni conatu refrigeremus. Summa itaq; curationis in refrigerãdo ac humectãdo collocatur, tam ijs quæ extrà admouentur, quàm ijs quæ intra sumũtur. Aër igitur inspiratus frigidus sit & humidus. Et si natura talis nõ sit, arte paretur, ut dictũ est suprà cap. 6. De curatione tertianæ. Cibis utendũ ijsdẽ uiribus præditis: ptisanæ nimirum cremore, pane modico in aqua frigida macerato. Carnibus hœdi, phasianorũ, uolucriũ montanarũ, testiculis gallorum, carnibus caporũ, ouis sorbilibus, caseo recenti salis experte. Pisciscibus saxatilibus, lactuca, intubis, cucurbita, spanachia, malua, & similibus. Cerasis, prunis, malis punicis, melonibus, ficubus, & eiusmodi. Lac etiã mirificè ijs prodest, modò alia febris ab humorum putredine orta non cõplicetur. Quæ uerò ad huius exquisitã exhibitionẽ sunt necessaria, ut alia multa huic instituto cõueniẽtia tradit Gal. lib. 7. The. meth. copiosissi

Febris hectica quandiu dicatur.

μαρασμός.

Curatio.

Victus.

sißimè. Potus sit aqua frigida moderatè sumpta, aut aqua in qua parum sit decoctũ cinnamomi, aut uinum aquosum, tenueq́;. Cõuenit deniq; hecticis sæpius die cibum accipere, ut nimirum hac ratione caueant, ne una uice magnam ciborum copiam ingerant. Motum immodicum, & quicquid uires resoluere potest, deuitent. Cæterùm medicamẽta purgantia illis qui hectica febre laborant, non sunt propinanda. Sed si aluus plus æquo adstricta fuerit, leuibus & alterantibus clysteribus, adiecta medulla casiæ fistularis, hanc eluere oportet. Intra corpus exhibenda medicamenta refrigerantia ac humectantia: qualia inter composita hodie usitata sunt, serapia uiolaceum, de nymphæa, de intubo satiuo, acidus, & similia. Item antidota diarrhodon abbatis, diatragacanthæ, diapapaueris, & id genus alia. Ex simplicibus succi & liquores stillaticij lactucæ, portulacæ, intubi satiui, & papaueris. Interea uerò quæ extrinsecus admouẽtur, balnea huic morbo obnoxijs quouis tempore idonea sunt. Balnea quidẽ aquarum dulcium, ad quæ sanè ægrotus in lectulo, aut syndone deportetur, quatuorq́; sint in singulis angulis qui syndonem ferant. Aquã uerò temperatißimam esse oportet, in ea etiam moderatè commorandum, ne scilicet quippiã è propria humiditate hauriatur, tantũ abest ut in ea sudare debeat. Sunt qui in aqua decoquẽdas herbas aliquot esse putẽt: nempè uiolas, maluas, lactucas, flores nymphea, & ijs similes. Nonnulli pedes uitulinos, & capita agnina, quoad ossa carnibus separentur, in aqua decoquunt. Cauendum etiam ne perfundatur caput. Vbi itaque satis in balneo fuerit commoratus, & mox hinc eductus in frigidam semel totus tingatur, ne uel breuißimo quidem spacio illic moratus. Hectica siquidem febricitantes, qui ad balneum accedunt, Galeno libro decimo The. meth. teste, nisi in frigidam sint immißi, nihil iuuantur. Protinus autem

Clysteres. Balnea. Solij frigidi vsus.

ubi

ubi extractus fuerit, alter paratam habens syndonẽ ipsi iniji-ciat, ac deinde aliam, tum in lectulo collocatus primum spongijs detergeatur, deinde mollibus linteis. Nec committent qui eum detergebunt, ut uiolentius eum cõtrectent, sed quoad fieri potest blandißimè. Quid multa? eam sanè curam, si fieri potest, omnino in balnei usu adhibeat, quã Gal. loco iam citato requirit. Posthæc quidẽ oleis frigidis, & alijs humectandi facultate præditis inungendus erit. Inter cætera uerò hoc conuenit, quod accipit: Oleorũ uiolacei ℥ ß. de cucurbita ʒ 3. butyri recentis salis experti, pinguedinis porcinæ ʒ 1. ß. misce, & fac linimẽtum, quo totum inungatur corpus. Vel adijciantur lenti cremoris tragacanthæ ʒ 2. medullæ cruris uitulini ʒ 3. ceræ quod satis est, fiatq; unguentum. Valet etiã oleum nymphea, de papauere, & rosaceũ, quod Galeno lib. 3. De simplici. medic. facul. cap. 16. arentia corpora mirificè humectare potest. Vbi unctus fuerit, tum uestibus amictus rursus super lectulo, aut syndone in locum ubi cibatur reducendus & nutriendus. Proderit etiam cor atq; iecur epithematis refrigerare & humectare, qualia sunt quæ habẽt: Stillaticij humoris uiolarum, nympheæ, & lactucæ, singulorum ℥ 3. aceti optimi ℥ ß. rosarum purpurearum, santalorum omnium, singul. ʒ 1. specierũ diamargariton ʒ ß. caphuræ grana 3. croci ℈. ß. misce, fiat epithema, quod cordis regioni adhibeatur frigidũ. Aliud quod accipit liquoris stillaticij intubi satiui, rosarum, utriusq; ℥. 4. liquoris stillaticij lactucæ ℥ 2. aceti ℥ 1. specierũ diarrhodõ abbatis ʒ 1. ß. rasuræ eboris ʒ ß. caphuræ ℈ ß. misce, fiat epithema, quod iecori admoueatur. Conferũt hecticis etiã medicamenta quæ odore suo refrigerant & humectant, ut sunt flores nympheæ, caphura, uiolæ, rosæ, & eiusmodi. Plura etiã ad institutũ ac propositũ faciẽtia reperiet studiosus in capite De phthisi seu tabe. Et certè

Linimẽtũ.

Epithema.

Aliud.

in he

in hectices curatione unicè studendum, ut corpus non solum per ea quæ intra corpus sumuntur refrigeremus & humectemus: uerumetiā per ea quæ extrinsecus admouentur, olei potißimum inunctionem. Quantum enim hoc ipsum foris adhibitum ad corporis ac uirium conseruationē ac reparationē conducat, celebri Pollionis Romuli exemplo docemur. Hunc enim centesimum iam annum excedentem, ut autor est Plinius lib. 22. cap. 24. quum diuus Augustus hospes interrogaret, quá nam ratione maximè uigorem illum animi corporisq; custodisset, respondit: Intus mulso, foris oleo. Hæc quidem ad rectè curandas febres sufficiunt.

Pollio Romulus.

De hemitritæo. Cap. XI.

QVamquā uaria sint genera compositarum febrium, ut liquet ex lib. 2. Galeni de differē. febrium, cap. 7. & lib. 2. de crisib. cap. 9. & 10. & nos etiā summatim cap. 25. nostri Compendij medicinæ indicauimus, de ea tamē hoc in loco duntaxat agemus, quæ ex tertiana intermittente, & quotidiana cōtinua cōponitur, & Græcis ἡμιτριταῖος dicitur, qđ scilicet tota eius natura dimidia parte, alterutrā prædictarum febriū habeat. Vt nimirū sit hoc genus febris exemplum, instar cuius aliæ omnes febres compositæ curari queāt. Fit, ubi putrescens pituita putrefactæ bili admiscetur. Tertiana cum rigore inuadit, quotidiana cum extremitatum refrigeratione. Quare quæ ambarum mixtura constat, horrorem inducit, qui rigore quidē minor est, maior autem ac uehementior refrigeratione, atq; adeò ijs simul confusis neutrum uerè eminet. Generatur autē duplici modo: uel enim duæ acceßiones statim ab initio inuicem iunguntur, simulq; congrediuntur: uel seorsim singulæ accedunt. Vbi igitur tertiana præpollet, magis horrifica febris efficitur, & rigoris etiam

Hemitritæus quid.

Causa.

Signa.

Hemitritæi generatio duplex.

etiam nonnihil in progressu accessionis assumit, adestq́; omnino calor maior & ardẽtior, & bilis uel uomitu, uel deiectione pellitur, aut humidus uapor exhalat. Quando altera pituitosa superat, perfrictiones quidem summa exercent, pauci uerò horrores: neq; tamẽ sitis, neq; ardor in his affligit. Quũ pares magnitudine sunt tertiana intermittens, & quotidiana continua, insultus quidẽ accessionis cum horrore accidit. At quum ex pituita proueniens febris præcelluerit, submissiones pulsuum fiũt, & horrores. Si uerò calidior præualeat, subitò incalescũt. Talis sanè est exactus hemitritæus ex æquiualente duarum febrium, puta tertianæ intermittentis, & quotidianæ continuæ temperatura proficiscens. Non exquisitus uerò uel ob bilem largiorem, uel pituitam causatur, ut copiosius tradit Galenus lib. secũdo De diffe. feb. capite octauo. Ex ijs quiuis intelligere potest, quæ in hac febre sit curãdi ratio. Nam quum hemitritæus exquisitus ex æquiualente cõmixtione duarum febrium, tertianæ scilicet & quotidianæ constet, curatio quoque adhibenda est tum tertianæ tum quotidianæ, ex æquo conueniens. In non exquisito uerò, quũ uel bilem largiorem uel pituitam habeat, pro humoris excessu uariatur etiã curatio ipsa. Si enim flaua bilis sit superior, præsidijs maximè utemur quæ in tertiana exposuimus. Sin pituita, ijs quæ in quotidiana comprehensa sunt. In summa, ei quod urget incumbendũ maximè est, sed ita, ne alterum prorsus negligamus. Quare nihil attinet hic nominatim percensere, quibus hæc febris demolitur, remedia, quum quiuis ea pro humorum diuersitate & natura promptius ex capitibus De tertianæ & quotidianæ curatione colliget. Nam si quis primùm simplicium febrium curationes exactè teneat, nullo labore compositas curabit. Proinde non est cur de compositarum febrium curationibus plura scribamus.

Exactus hemitritæus.

Non exquisitus.

Curatio.

De Pestilentia. Cap. XII.

QVum multa paßim extent recentiorum De pestilentia scripta, non est cur nos prolixè admodũ de ea nunc disseramus, sed satis sit, si breuiter, ut in alijs fecimus, causas, indicia, & curãdi rationẽ indicauerimus. Quod igitur ad causas ipsas attinet, quæ sanè multæ sunt, nos eas tãtum quæ medico sunt considerandæ, recensebimus. Fit itaque omnis pestilẽtia, Ga. lib. 1. De diffe. feb. ca. 5 teste, à putredine aëris. In pestilenti igitur aëris constitutione inspiratio potissimũ est causa, cur animantia, homines præsertim pestilẽtia corripiãtur. Fit etiã aliquãdo ob humores, qui sunt in corpore, ad putrescendũ paratos, quũ leuem aliquam occasionẽ ad febris originem ab aëre ambiente acceperit animal. Magna uerò ex parte ab inspiratione incipit aëris circunstantis, à putrescibili euaporatione uitiati. Puterdinis autẽ principium uel cadauerũ multitudo non humatorũ, ut in prælijs accidit: uel ex aliquibus lacubus & paludibus æstatis tẽpore uaporatio existit. Cõtingit autẽ quãdoq; præcedere ambientis aëris immensam caliditatem. Ita etiã non rarò prauitas uictus humores, qui sunt in corpore putredini obnoxios reddit, atq; adeò causa est, cur eiusmodi corpora pestilentia corripiãtur. Hinc accidit ut interdũ, rarò tamen, unus aliquis, aëre nondum infecto, pestilẽtia laboret. Quid multa? cùm aëris tẽperatura à naturali habitu ad immodicã caliditatẽ atq; humiditatem conuersa fuerit, pestilentiã oriri necesse est. Hinc est quod Gale. lib. 1. De tempe. cap. 4. omnium aëris tẽperamẽtorum peßimum id esse, quod humidũ & calidũ est, scribat. Et sanè tunc ij potißimum laborant pestilentia, qui praua uictus ratione utuntur, atq; adeò omni genere superfluitatum pleni sunt. Quicunq; uerò probè uictitant, & redundantijs uacant, ij quidem nequaquã, aut minimũ mali sentiunt, ac facilè ad

Causa. Putris aer. Humores putredini apti. Putredinis principiũ. Temperamentum aeris calidum & humidũ pessimũ est.

cilè ad naturalem reuertũtur habitũ. Ex ijs quæ diximus abũdè etiam constat, tempora quibus pestilentia maximè grassatur, esse finem æstatis & autumni initium: tum enim aër atq; hominum corpora ad putrefactionem multis de causis sunt magis abilia. Cæterùm indicia futuræ pestilentiæ nulla sunt certiora, quàm quæ calidam & humidam anni constitutionem portendunt: quæ quum ab alijs copiose sint exposita, non est cur hoc loco cõmemoremus. Notæ autẽ quæ hominẽ iam pestilentia correptum demonstrant, plurimæ etiam esse solent. Inter eas autẽ certißima est, si post aures, aut sub alis, aut circa inguina potißimum bubones sine manifesta aliqua causa, aut in alijs etiam partibus carbunculi subito oriantur. Verùm quum exoriuntur, naturæ robur præ se ferũt, ut quæ adeò sit potens, ut uenenum è corpore pellere conetur. Significãt etiam partes corporis, à quibus maximè protruditur uenenum. Si enim in collo apparuerint, cerebrũ potißimùm malè affici ostendunt. Si sub alis, cor: si uerò in inguinibus, iecur. Quod Hippocrates etiam libro 6. Epide. par. secundo Aph. 4. ijs uerbis significauit: Abscessus, ueluti bubones, signa sunt earũ partium unde exturberant. Verùm quum non semper appareant bubones: quod tamen si contingit, perniciosißimum est, quòd scilicet natura tum imbecilla existens, uenenum nõ poßit expellere: ad alias etiam notas respiciendũ erit, quæ sunt eiusmodi. Aeger crebras sentit in corpore punctiones, exteriora frigent, interiora ardent, capitis adest grauitas, oris siccitas, uehemens sitis, propensio magna ex parte ad somnum, interdum uerò uigiliæ & deliria, difficultas spiritus, uomitus creber, urina fœtida, oculorumq; aspectus toruus ac uarius. Si itaq; iam comprehensa indicia apparuerint, si nihil obstiterit, confestim uena incidenda est in eo latere in quo bubo existit. Si igitur post aures, aut

Tempora quibus potissimũ pestilẽtia grassatur

Signa.

Bubones exorti qd portẽdant.

Hippocrates.

Signa alia præter bubones.

Curatio.

Venæ sectio.

circa mentum, aut alijs faciei aut colli partibus bubo emerserit, ex humerali uena, quam hodie cephalicã nominãt, eiusdem lateris, sanguis mittẽdus est. Si sub alis, interior uena, quã iecorariã & basilicam alio nomine uocant, in eodẽ latere incidenda erit. Aut ubi illa nõ apparuerit, media. Si in inguine oriatur bubo, ex malleolo eiusdem lateris sanguis educendus. Quòd si uerò nullus appareat bubo, ex eo latere detrahẽdus sanguis, ubi maior dolor & grauitas. Quæ autem uena sit incidenda, partium malè affectarum dolor aut grauitas monstrabit. Superioribus enim partibus malè habentibus, humeralis: ijs quæ infra collum sunt, interior aut media: inferioribus uerò, poplitis aut malleoli uena incidenda. Porrò si propter ætatẽ aut alijs de causis uenæ sectione uti nõ licebit, cucurbitulæ affigendæ erunt dorso, aut humeris, aut cruribus. Corpore euacuato, mox medicamentũ aliquod alexiterium, & quod uenenis aduersatur exhibendũ, ut nimirum uenenũ attrahant, atq; à corde reuocent. hæc enim, Galeno lib. 5. De simpl. med. facul. ca. 17. autore, eorundẽ est actio. Inter cõplura uerò alia laudatur unicè, id quod hodie Electuariũ de ouo dicitur, quo olim Maximilianus Imperator optimus & prudentißimus usus est. Hoc cur omnibus ferè alijs præferã, facit mirabilis eius affectus, quẽ sæpè in multis ægrotantibus ostendit. Datur autem ijs qui prouectioris sunt ætatis, pondere drachmæ unius. Iunioribus interdum scrupuli duo sufficiũt. Diluitur autẽ in stillaticio liquore rosarum, aut intubi, aut scabiosæ. Eius etiã usus est in præseruando, si quotidie ex eo sumatur pondus grani unius aut duorũ hordeaceorum, aut pisi magnitudine. Cõfert etiã multum hæc potio, quæ habet: Theriaces Andromachi ℈. 1. antidoti Mitridatij ℈ 1. boli armeniæ præparatæ ℈ 6. liquorum stillaticiorum rosarum, scabiosæ, buglosi, singul. ℥ 1. Quanta enim sit boli armeniæ in pe

Cucurbitę

Medicamẽta alexiteria.

Electuariũ de ouo.

Potio.

in peste abigenda uis, Galenus abundè docet lib. 9. De simp. med. facul. qui in magna peste quæ Romæ grassabatur, quotquot hoc medicamen biberunt, celeriter sanatos esse scribit. Quare hoc medicamẽtum, etsi uidetur uulgare & facilè parabile, tamen ob id non est cõtemnendũ. Habent enim eiusmodi medicamẽta, magna ex parte, plus efficaciæ, quàm ea quæ à longinquis petũtur terris. Et hic puluis, qui accipit, foliorũ dictamni, radicis heptaphylli (tormẽtillã uocant) radicis pimpinellæ. Zedoariæ, gẽtianæ, radicis betonicæ altilis (tunicã hodie corrupta uoce appellãt) sing. ℥ ß. boli armeniæ præparatæ ℥ 1. terræ lẽniæ ʒ 3. aloës iecorariæ, myrrhæ, utriusq; ℥ ß. croci ʒ 1. mastiches ʒ 2. terantur omnia subtilißimè, & fiat puluis. De quo ægrotanti detur pondus drachmæ unius in stillaticio liquore rosarũ aut oxalidis. Plura alia infrà, ubi De præseruatione agemus, remedia commemorabimus, & sunt certè iis omnes recẽtiorum libri De pestilentia editi, referti. Sumpto igitur aliquo prædictorum medicamentorum, æger in lectum calidum stragulis probè munitum, ut ibi quatuor aut quinq; aut pluribus horis, pro uirium ratione, sudet, reclinetur. Quòd si uerò ægrè admodum sudet, pedibus eius lateres calidi, quo illorum calore sudorem elicias, subiiciendi. Toto uerò hoc tempore quo ægro sudandum erit, unicè cauebimus ne dormiat, edat, aut bibat. A sudore linteis purißimis sudor abstergendus. Dein è lecto, si lubet, aut potest, æger surgat, aëremq; extraneum uitet. Aër autẽ cubiculi in quo æger decumbit, cum rebus odoriferis, & suffimentis fragrantibus quotidie quater aut quinquies emẽdetur, ac purificetur. Quæ qualia esse debeant, paulò post dicemus. A sudore duabus aut tribus elapsis horis, pro uirtutis ratione, iusculum gallinaceum edat æger: idq; fiat sæpius, nam confert quidem sæpè comedere, at parum admodum: & qui hac ratione

Puluis optimus.

Cibus.

tione cibantur, cæteris citius conualescunt. Carnibus etiam subinde pullorum gallinaceorum cum oxalide, aut limonum succo, aut omphacio coctis uti licebit. Aeger quoq; omnino primo die à somno arcendus erit. In uehementiori siti utatur hac potione, quæ accipit, Zulapij uiolacei ℥ 3. serapij ex acido citrij succo ℥ 1. ß. serapij de intubo satiuo ℥ 2. decocti oxalidis, scabiosæ, & florum buglossi ℥ 10. uel tantundē liquoris stillaticij eorundem. Misce, & fiat potio. Poteris etiā aquæ, in qua hordei parum decoctum sit, succum rosarum, aut oxalidis, aut limonum, uel omphacium admiscere, atq; pro potu uti. Exhibenda quoq; medicamenta, potißimum ubi uires inualidæ fuerint, quæ cor aliasq; partes in corpore principatū habētes roborāt & cōfortant, quale est quod habet: Sacchari uiolacei, rosacei, buglossacei, sing. ℥ 1. ß. boli armeniæ præparatæ ʒ 1. coralliorum rubeorum ℈ 1. corticum mali citrij ʒ 1. ß. caphuræ ℈ ß. cum serapio de acido citrij succo quod satis est, fiat antidotus liquida. Cordis etiam regioni, maximè ubi circa thoracem adhuc subesse æstum senserit æger, epithema hoc imponendum, quod habet: Liquoris stillaticij rosarum, buglossi, oxalidis, singul. ℥ 4. specierum antidoti è gemmis ʒ 1. ligni aloës, santalorum purpureorum, corticum mali citrij in puluerem redactorum, oßis cordis ceruini, sing. ℈ ß. croci gra. 6. cōmixtis omnibus fiat epithema. Cæterùm unicè quoq; studendū, ut humores uenenati ad locum ubi bubones emerserunt, trahantur appositis cucurbitulis magnis, aut medicamentis alijs trahendi uim obtinentibus, quale est quod habet: Ficuum pinguium numero 6. passularum ℥ ß. salis foßilis ʒ 2. mellis ʒ 1. cum oleo chamæmelino ad emplastri formam reducantur, quod calefactum buboni imponatur. Aut eiusmodi, quod ita conficitur. Accipe è cepis quæ maxima est, ac capite eius amputato, perforato

Potus.

Medicamētum cōfortans.

Epithema.

Localia.

strato totam, & theriaca Andromachi imple, additis succis rutæ uel saluiæ. Quo peracto, foramē quod in capite est cepæ luto obturetur, & cepa igni admota torreatur. Vbi satis tosta uidebitur, cortices eius auferātur, & subinde in mortario contundatur, donec emplastri consistentiā habere uideatur, & buboni imponatur. Nec est quod te Gentilis, Valesci, & nonnullorum aliorum moueat autoritas, cur minus theriacā bubonibus imponas: neq; enim ut illi, toto cœlo errantes, putarunt, propellendo à se agit theriaca, aut aliud huic simile medicamentum alexiterium: sed potius ad se trahendo, ut libro 1. capite De conuulsione, satis ex Galeni monumentis monstrauimus. Valet etiam hoc quod accipit: Farinæ fœnograeci, seminis lini, florum chamæmeli, singulorum ℥ ß. radicis altheæ, liliorum alborum, utriusq; ʒ 5. ficus nume. 6. foliorum dictamni ʒ 3. radicis phu ʒ 2. seminis sinapi ʒ 1. ß. fimi columbini ℥ ß. oleorum liliacei & chamæmelini, singul. ℥ 1. ß. reducātur ad emplastri aut pultis cōsistentiā. Hoc ipsum etiam ad suppurationē cōducit. Laudatur & hoc, quod habet: Emplastri diachylon simplicis ℥ 2. ammoniaci, galbani, singulorum ℥ 1. contusis omnibus, ad emplastri consistentiam reducantur. Porrò si bubo sua sponte nō rumpatur, imponēdus subinde fimus anserinus, dissolutus in oleo uulgari, aut chamæmelino. Hæc de curatione eorum qui pestilentia correpti sunt, dixisse satis sit. Nunc quo pacto aliquis à pestilentia, quæ locum aliquem infestat, præseruari poßit, breuiter exponemus. Quum ex superioribus satis constet, pestilentiā fieri ex inspiratione aëris pestilentis ac putridi, nullum certè præsentius remedium fuga ipsa excogitari potest. Neque enim ulla alia aëris pestilentis euitandi ratio est, & inuitis etiam nobis hauriendus erit, nisi in locum cōcesserimus ubi minimè uitiosus sit, sed planè optimus. Quod eo magis, ac-

Error recentiorū.

Aliud.

Aliud.

Præseruatio à pestilentia.

Aer.

Fuga optimū remedium.

citius etiam faciendum erit, quod malum ipsum contagioni obnoxium sit, quemadmodum experientia ipsa docet. Quare quibus commodè per officia licet, ij nulla ratione se induci patiantur, ut in aëre pestilente morētur. Quod nisi fecerint, se præsenti mortis periculo exponēt. Si uerò certas ac iustas ob causas ut fugias minimè licuerit, tum prima cura sit ut domus in qua tibi commorandum erit, ab omni fœtore pura atq; aliena sit. Fenestræ eiusdem clausæ sint, ne aër pestilens ingrediatur. Rarò & non nisi cœlo sereno in publicum prodeundum, neq; id etiā nisi prius sumpto medicamento, quod à cōtagione conseruare queat. In ædibus etiā quotidie succēdendus ignis è lignis quercinis aut iuniperinis, quo aer illarum purgetur. Vel carbonibus uiuis is puluis inspergatur, qui habet: Rosmarini m̃. ß. saluiæ, betonicæ, absinthij, maioranæ, origani, singu. m̃. 1. terantur omnia subtilissimè, & fiat puluis. Aut ille qui accipit: Granorum iuniperi ℥. 1. myrrhæ ʒ 1. thuris, mastiches, utriusq; ʒ. 3. ß. radicis gariophyllatæ ʒ ß. rutæ ℥ ß. corticū cupressi ʒ 1. tritis omnibus fiat puluis. Pauperes ligna iuniperina fissa, aut grana ipsa carbonibus imponant: ditiores ligno aloës, aut puluere galliæ maschatæ, garyophyllorū, & similiū utantur. Plura suffimentorū genera inuenient studiosi in libris superioribus, & lib. 2. De comp. med. cap. 18. Aestatis tempore aër frigidis rebus depuretur, floribus rosarum, uiolarū, nymphææ, pampinis, folijs salicis. Pauimentum etiā stillaticio liquore rosarū, oxalidis, & similibus irroretur, aut aqua frigida & aceto. Iuuat etiā odorare rosas, acetum, caphurā, santala, & ijs similia. Cæterùm cùm Galenus lib. 1. De diffe. feb. cap. 4 unā & primā esse curā eorum debere tradat qui à pestilentia tuti esse cupiunt, ut corpus quàm maximè superfluitatibus uacet, & optimè spiret, nihil æquè fugiendum erit ac nimia cibi & potus impletio.

Si fugere nō liceat.

Suffimēta.

Pauperū.

Ditiorum.

Cibis

Cibis quoque utendum facilis cōcoctionis, & putrefactioni minimè obnoxijs. Semper etiam ijs aliquid aceti admiscendū, aut acidus alius quispiam succus, omphacium nimirum, aut citrij mali, aut limonū succus. Aestatis tēpore oleribus utendum, buglosso, intubis, lactuca, & oxalide. Hyeme saluia, petroselino, oreoselino, maiorana, & hyssopo. Fructibus omnibus abstinēdum, nisi acidi fuerint: ut sunt mala punica, citria, limones, & ijs similia. Potus sit uinum tenue & aquosum. Caueat quisq; sibi à meratioris potu, & musto. Quid multa? tota uictus ratio sit refrigerans & desiccans, neq; enim opus est, ut hoc loco singulatim omnium alimentorum facultates enarremus, cùm idipsum à Galeno potius sit requirendum, qui hoc in tribus libris abundè præstitit. Exercitio utendum non nisi mediocri, & in loco temperato, atq; aëre prius per medicamenta ac suffitus purificato, & emendato. Cauendæ igitur choreæ, item cursus, saltationes, & quicquid est eius generis quod crebras inspirationes requirit. Quare pestilēti tempore choreas magistratus publico edicto proposito uetare deberet: præsertim cùm etiam experientia ipsa doceat multos hac ratione infectos perijsse. Somnus & uigilia, ut omnia alia, sint moderata. Dormiendū autē in cubiculo bene obturato & clauso, cuius etiam aër suffitu aliquo sit purificatus. Linteis utendum mundis, & aliquādiu cum rebus odoriferis repositis. A' somno ubi experrectus fueris prima cura sit ut corpus à superuacuis exoneres. Vnicè autem cauebis, ne aluus adstricta sit. Quare si sua sponte quotidie non deiecerit, catapotijs Ruffi uocatis, aut clysteri molli, aut glādibus hanc irritabis. Corpore à redundantijs purgato, medicamentum aliquod sumendum, quod à pestilentiæ contagione munire potest, qualia multa paulò pòst cōmemorabimus. Et si in publicum prodeundum erit, zedoariam, aut angelicam

Cibus & potus.

Exercitiū.

Somnus & vigilia.

Excretio.

cam, aut pimpinellam commanducabis, aut rutam odorabis:
Venus. Balnea. *mirificè enim huius odor pestilenti auræ refragatur. Coïtus*
immoderatus præsertim unicè fugiendus. Balnea, publica po-
tissimum, in uniuersum detestanda, quòd tum apertis corpo-
Venæ sectio. *ris meatibus facilè aër pestilens ingrediatur.* Porrò pestilen-
te tempore iuuenes, & qui sanguine abundant, uenæ sectione
utantur. Neque semel tantum, modò nihil aliud impediat, sed
iterum atq; iterum sanguinem educere interdum maximum
Purgatio. *ad tuendam sanitatem momentum affert.* Purgandum etiam
corpus medicamentis purgatorijs, idq; maximè uere & au-
tumno. Qualia autem esse debeant, è superioribus libris qui-
uis scire poterit. Nos enim hic capita tantum rerum attingi-
Animi perturbationes. *mus.* Quod ad animi perturbationes attinet, fugienda tristi-
tia, ira, timor, & id genus alia pathemata animi. Gaudio ue-
Præseruantia medicamenta. *rò utendum modiocri.* Nunc reliquum est ut ad præseruantia
medicamenta progrediamur, inter quæ primùm locum apud
Catapotia Rufi vocata. *omnes obtinent catapotia* Rufi *nominata, quæ habent:* Aloës
iecorariæ partes duas, croci oriëtalis, myrrhæ, utriusq; par-
tem unam. Cum uino albo fingantur catapotia, aut cum stil-
laticio liquore scabiosæ. De ijs quotidie sumi potest ℈ 1. plus
Cõpositio Rufi. *aut minus pro ætatis ratione.* Verùm alia est hæc composi-
tio ab ea quam Rufus *tradit.* Ea enim crocum non habet, sed
pro eo potius guttam ammoniacam recipit. Præterea com-
positio Rufi *potio est, ut satis liquet ex lib. 2. cap. 35.* Pauli
Aegmetæ. *Constat autem catapotia ipsa, propter aloën &*
myrrham, miram habere efficaciam aduersus pestiferæ luis
Pilulæ. *contagia.* Potest etiam usus esse harum pilularum, quæ ha-
bent: Aloës iecorariæ ʒ. 2. *myrrhæ* ʒ 1. ß. *agarici præparati* ʒ
1. croci orientalis ʒ. ß. *boli armeniæ præparatæ* ℈ 1. *seminis*
mali citrij scru. 2. mastiches scru. ß. radicis pimpinellæ ʒ ß.
cum stillaticio rosarum liquore fiant ex ʒ 1. *pilulæ 13.* De

qui

quibus unam uel duas sumere licebit. Potest etiam usus esse illius medicamẽti, quod Electuarium de nucibus appellatur, quod accipit: Iuglandium numero 20. ficuum pinguium numero 15. rutæ m̃. 2. absinthij, parthenij, scabiosæ, singul. m̃. 1. radicis aristolochiæ lõgæ ℥ ß. radicis pistolochiæ ℥ 1. ß. radicum tormentillæ, petasites, pimpinellæ, singul. ℥ 2. ß. foliorũ dictamni m̃. 1. baccarũ lauri ʒ 3. cornu cerui usti ʒ 2. ß. maceris, myrrhæ, boli armæniæ, terræ lemniæ, singul. ʒ 3. salis marini ʒ 1. ß. nucis uomicæ ʒ 2. florum buglossi m̃. 1. contusis ac tritis omnibus excipiantur ℥ 2. mellis despumati, & fiat medicamentum liquidum in modum ecligmatis. Valet plurimũ & is puluis, qui habet: Foliorũ dictamni ℥ ß. radicũ zedoariæ, betonicæ altilis, pimpinellæ tormentillæ, singul. ʒ ß. corticum citrij mali ʒ 3. terræ lemniæ ʒ 6. boli armeniæ ℥ 1. myrrhæ selectæ, aloës iecorariæ, utriusq; ℥ ß. croci ʒ ß. mastiches ʒ 1. ß. radicis glycyrrhizæ ʒ 1. scabiosæ, oxalidis, utriusq; ʒ 3. santalorum purpureorum ʒ 1. ramentorum eboris, antheræ, utriusq; ʒ ß. oßis cordis ceruini, coralliorũ rubeorum, utriusq; ℈ 2. caphuræ grana 5. Terantur omnia, & fiat puluis. Si lubet, ex ijs conficies orbiculos aut morsulos cum sacchro, & liquoribus stillaticijs rosarum & scabiosæ, & de ijs quotidie drachmæ unius pondus exhibebis, aut plus. Commendatur unicè quoq; bolus armenia cùm aceto sumpta, ut suprà dictum est. Item theriaca, mithridatium, & id genus alia, quæ passim ab omnibus sunt copiosè annotata. Quare hic finem facimus.

Electuariũ de nucib9.

Puluis.

LIBRI QVARTI FINIS.

LEONHARTI FVCHSII DE MEDENDIS TVMORIBVS PRAETER NATVRAM LIBER QVINTVS.

De inflammatione. Cap. I.

Inflammatio.

φλεγμονὴ bifariã sumitur.

Generatim.



VAM Latini inflammationem uocant, hæc Græcis φλεγμονὴ dicitur. Vox autem φλεγμονὴ, illis bifariã sumitur. Generatim pro omni calido & dolorifico cum feruore tumore, ut planè tum idem quod φλόγωσις significet. Sic sanè herpetes, erysipelata & carbunculi phlegmones dicuntur. Qua in significatione ab Hippocrate & alijs ueteribus uox est usurpata.

Propriè.

Propriè autẽ phlegmone est, tumor suprà feruorẽ efferuescentiam'ue rubens, dolẽs, durus, & tactu renitens. Quod copiosius tradit Galenus lib. 13. The. Meth. ab initio statim. Nos hoc loco de phlegmone quæ propriè sic appellatur, & in externis partibus oboritur (nam de internarũ inflãmationibus superioribus libris actum est) differemus.

Causa.

Fit hæc ipsa à sanguine bono, & craßitie mediocri, qui in particulã aliquã uniuersim influit, atq; propter copiã impactus inhæret: id quod propter uulnera, fracturas, cõtusiones, luxationes, ulcera, & id genus alia quæ fluxionẽ concitare possunt, euenit.

Signa.

Inflammatione in particula aliqua orta, uehemens dolor urget, nisi eiusmodi sit quæ sensum omnino difficilẽ habuerit:

pulsus

pulsus in profundo molestus accidit, tendiq; prorsus ac fran gi particula apparet, & uehemētē calorē persentit, ut quasi comburi uideatur, unde & refrigerari desiderat. Talisq; rubor per summa uiget, qualis ex balneis aduenit, aut ex igne, aut quouis alio modo calefactis. Quæ singula fusius loco iam citato, & lib. 2. ad Glauc. cap. 1. Galenus prosequitur. Quum itaq; inflāmatio particulā quampiā, sine manifesta potissimum causa præcedente, obsederit, totum corpus euacuare oportet, præsertim ubi hoc sanguine plenum fuerit, & ualida uis laborantis, tempusq; anni, regio, ætas, & id genus alia nō impedierint. Quòd si itaq; in inferiore, aliqua parte, uerbi gratia genu, inflammatio cōstiterit, tum sanguinis euacuatio ex superioribus partibus facienda. Incidere itaq; oportet in cubito uenam aut interiorē, aut mediam. Si uerò aliqua pars superior patitur inflammationem, per inferiora sanguis est educēdus. Semper enim fluxionis motum ad contrarium trahere expedit. Debet tamē reuulsio fieri in latere quod in rectum est, Galeno in libro De curandi ratione per sanguinis missionem teste. Post uenæ sectionē partē inflammatione laborantē perfundere ac illinere oportet medicamētis, quæ id quod influit repellere sint idonea, & quod iam in malè affectam partē se recepit euacuare queant, quæq; robur ijs quæ iam patiuntur partibus addant. Qualia uerò sint medicamēta quæ idipsum præstent, in superioribus libris sæpè à nobis expositum est. Galenus quidē mirificè commendat cataplasma ex semperuiuo & mali punici cortice in uino decoctis, & rhu & polenta compositum, si non uehemens urgeat dolor. Repellit enim id quod influit, atq; id quod cōtinetur exiccat, & partes adiacentes corroborat. Si uehemens dolor fuerit, cataplasmata ex plantagine, lente, solano, pane, & oleo rosaceo imponenda. Paulò uerò antè, suprà particulā malè affectam,

Curatio.

Venæ sectio.

Localia.

Cataplasma.

Si uehemēs dolor fuerit.

ctam, spongiam uino austero, aut aqua frigida madefactam apponere oportet. Melius uerò fuerit, si aliquid aceti admisceatur. Quòd si pus se in particula ostenderit, cataplasmata imponenda erũt, quæ suppurationẽ iuuant: ut sunt farina triticea, seminis lini, & fœnogræci, butyrũ, pinguedo porcina, radix altheæ, & similia in superioribus libris sæpè admodum cõmemorata. Suppuratione facta, quod ex doloris, febris, & caloris remißione cõiectamus, secare atq; pus euacuare conuenit. Eo uacuato uulnus abluere & abstergere oportet melicrato uel oxycrato, uel uino & mulso. Imponendũ uerò, si adhuc inflammatio aliqua affuerit, cataplasma ex lente, aut oleũ rosaceum cum luteis ouorũ, aut aliud quod inflãmationem arcere potest. Si uerò sine inflammatione fuerit, aliquod ex ijs medicamẽtis quæ emplastica uocãtur, et glutinãtia, imponẽdũ, ut est amylũ, cerussa, põpholyx, malicoriũ, æs ustũ, & eiusmodi. De quib. copiose differit Gale. lib. 3. The. meth.

Suppurantia. Sectio. Absterſio.

De herpete. Cap. II.

Qvum flaua bilis sola, & nullo infecta humore excreta in aliquam particulã decumbit, malũ herpes uocatur. Quæ si substãtia craßior acriorq; fuerit, totã cutẽ ad subiectã usq; carnẽ exulcerat, appellaturq; herpes exedẽs. Si uerò tenuis et minus acris calidaq; fuerit, exiguas pustulas milio similes p summã cutẽ excitat, ob eamq; similitudinem miliaris herpes nũcupatur. Fit herpes, ut dictum est, ex flaua bile. Miliarẽ tamen, Gale. lib. 14. The. meth. ex bili quæ pituitæ aliquid admixtum habet, procreari tradit. Signa ex paulò antè dictis patent. Quod ad curandi rationẽ attinet, initio utendũ uictus ratione frigida & humida, perinde atq; in febre tertiana. Vino in totum abstineat, & pro eo bibat aquã, in qua cinnamomum decoctum est. Corpus etiã medicamen

Herpes. Exedens herpes. Miliaris herpes. Causa. Signa. Curatio. Victus ratio.

camento aliquo quod bilẽ ducit euacuandum, de quibus sæpè in præcedentibus libris est dictum. In miliari autem utendum medicamẽto, Galeno loco iam citato teste, quod mixtæ est facultatis: quod scilicet bilẽ simul & pituitam educat. Corpore itaq; prius purgato, mox ea quæ influentẽ humorem reprimunt, repelluntq; medicamẽta particulæ malè affectæ imponenda. Sed hic diligenter cõsiderandum erit, quod nõ omnino similis cura particulæ patienti adhibeatur. Nam qui exedentes sunt herpetes, refrigerari quidẽ desiderant similiter alijs herpetibus, non tamẽ ea ferunt medicamenta, quæ præter id quod refrigerant, etiã humectant: sed sola admittunt refrigerantia, quæ etiã maximè exiccãt. Non igitur uel lactucã, uel polygonum, neq; ex stagnis lentem, uel psyllium, uel portulacam, uel serin, uel semperuiuum, uel tale aliquid quod refrigerare possit atq; humectare, apponere oportet. Neq; unquam etiã fidas spongiæ frigida aqua perfusæ, neq; solano: quamuis refrigerandi atq; unà exiccãdi uim habet, sed mediocrem: illi uerò maiorẽ quàm solano adsit expetũt siccitatẽ. Igitur initio cataplasmata ex capreolis uitis, folijs rubi, plantaginisq; applicanda erunt. Postea uerò lens his miscetur, interim & mel & polenta. Plurimùm quoq; commendatur liquor qui è uitis caudice sua sponte, aut ignis ui expressus exudat. Ipsas autẽ partes exulceratas, hoc uel simili medicamento illinere cõuenit, quod habet: Citinorum, gallæ, utriusq; ℥ 1. myrrhæ, thuris, aloës, sing. ʒ 2. ß. aluminis fissi ʒ 2. radicis pistolochiæ ʒ 2. ß. calaminthæ ʒ 1. ß. Trita uino subaustero excipiãtur, & fingantur pastilli, qui dissoluti cum aqua mellis illinantur. Valet etiã medicamentum, quod ex bolo armenia & terra lemnia stillaticio rosarum liquore & aceto exceptis cõponitur. Mirificè uerò cõfert hoc quod fit ex lana ueteri succida & illota, in olla cõbusta donec nigrescat & ardeat, quæ subinde

Localia. Cataplasmata. Pastilus. Medicamẽtum aliud. Aliud.

inde in puluerē redacta, cum stillaticio rosarū liquore dissoluitur, ut quasi atramēti scriptorij formā habeat, & pluma illinitur bis in die. Herpetas uerò qui exedētes nō sunt, ij expurgato prius corpore, medicamētis quæ reprimunt, ut cōprehensum est, curantur. Vberiorē curandi rationem tradit Galenus lib. 14. The. meth. & libro. 2. ad Glauconem.

Si herpetes exedentes non sint.

De erysipelate. Cap. III.

Erysipelas quid.

ERysipelas, Galeno lib. 2. ad Glau. teste, est tumor ex feruente tenuiq; sanguine cōflatus. Vel est ex sanguine & flaua bile calidioribus quàm oporteat, mixta fluxio. Latinis ignis sacer nominatur. Causæ ex ijs quæ diximus abundè patent. Erysipelas inflāmatione calidius, magisq; colorē flauum pallidum'ue refert. Et si tetigeris, facilè sanguis subterfugit, rursusq; illabitur exquisitè tenuis & aspectu rubidus, nō tamen dolet ueluti inflammatio: neq; ut aliqua inflammationis species pulsum, aut cōpreßionē, aut tensionē similē inuehit. Sed accidit ut interdum ualde parum infestet, ac tum præsertim, quando per solam cutē diffusum fuerit, nihil inferiorem carnē molestans. Et hoc quidē sæpius euenit, atq; hoc est exquisitum erysipelas. Proinde quod attingit subiectam carnē, neq; ex uerè tenui bile cōsistit, neq; tantum est erysipelas, uerùm iam affectus permixtus ex erysipelate atq; inflammatione. Exuperant autē in ipso quādoq; propria erysipelatis symptomata, atq; hoc malum à iunioribus medicis Erysipelas inflammatum nominatur. Nonnunquā uerò inflāmationis, & tunc ipsum nominant inflammationē erysipelaceam. Quòd si neutrius symptomata manifestè exuperauerint, sed æqualia apparuerint, tunc erysipelas & inflammatio mixta esse dicuntur. Curatio partim uictus ratione, partim medicamentis perficitur. Victus ratio sit talis, qualē in febribus & simi

Ignis sacer. Causæ. Signa. Exquisitū erysipelas. Erysipelas inflammatum. Inflāmatio erysipelacea. Curatio. Victus ratio.

& similibus calidis suprà descripsimus. Inter initia uerò si uehemens feruor affuerit, uena secanda erit. Si in facie fuerit erysipelas, uena in cubito, humeraria dicta incidenda. Si autē inferiores collo partes erysipelas patiuntur, interior, quam iecorariā uocāt, uena secāda: aut media, si neutra harū apparuerit. Si in cruribus fuerit malum, itidē in cubito uena interior, sed eiusdē lateris incidēda. At si quid sanguinis mißionē impediat, purgatione utendum ex medicamēto quod bili ducendæ idoneum est. Plurimùm etiā prosunt clysteres in hunc uel similē modum parati, qui accipiūt: Maluæ, foliorum uiolæ nigræ, lactucæ, intubi utriusq; sing. m̄. 1. ß. mercurialis m̄. 1. seminum cucurbitæ, melonum, portulacæ, singul. ℥ 2. florum nymphεæ m̄. 1. hordei ℥ 1. coquātur oīa in aqua sufficienti ad tertias, iuris colati libræ uni admisce medullæ casiæ fistularis ℥ 1. hieræ picræ ℥ ß. olei uiolacei ℥ 2. olei nymphεæ ℥ 1. salis uulgaris ʒ 1. ß. & fiat clyster. Post totius corporis uacuationē reprimētibus auxilijs utendum. Refrigerabimus itaq; particulā afflictā, liquoribus stillaticijs, solani, semperuiui, portulacæ, psyllij, hyoscyami, lactucæ, & intuborum, aut succis eorundē. Valet etiā lenticula palustris, & ceratum liquidum ex aqua frigida, cuius confectionem tradit Gale. lib. 1. De simpl. med. fac. cap. 6. Et copiosius lib. 10. The. meth. cap. 9. Item polenta cū aliqua prædictarum herbarū parti afflictæ imposita cōfert. Quæ autē illinuntur medicamēta refrigerātia, frequenter admodum immutanda sunt, ut quousq; refrigerandū sit cognoscere liceat. Refrigerationis enim terminus, Gal. lib. 14. The. Meth. teste, ipsa coloris mutatio est. Etenim quod exquisitum & purū erysipelas est, statim cum hoc quiescit. Quod enim non purum est, sed iam quodammodo phlegmonodes, si plusculum, refrigeres, liuidam cutem præfert. Sin ne sic quidem quis desistat, nigricat, potißimum in senili corpore, sic

Venæ sectio.

Purgatio.

Clysteres.

Reprimētia.

Refrigerationis terminus.

re, sic ut quædam ita refrigeratorum, ne discutientibus quidẽ medicamẽtis ad perfectionẽ sanentur, sed scirrhosus quidam tumor in particula relinquatur. Ergo satius est, ubi laborantis particulæ alteratum colorẽ uideris, à refrigerãtibus ad cõtraria trãsire, priusquã uel liuida, uel nigra prorsus fiat. Vbi itaq; feruor ægrotantis particulæ iam desijt, refrigerantibus admiscẽda sunt discutientia medicamẽta, idq; priusquã liueat. Quare tum cõfert stillaticius liquor solani, cõmixtus stillaticio liquori chamæmeli. Imponendũ etiã cataplasma ex farina hordei & fœnogræci, & id genus alia. Quòd si iam liuor occupauerit, incisa cute cataplasma superponẽdũ est, perfundendusq; locus plurimũ quidẽ ex aqua calida, sed & marina aqua & muria interim conducet. Quinetiã ipsi cataplasmati eiusmodi aqua, uel acetum, uel oxalme misceatur. Erysipelati autẽ inflãmato, & inflammationi erysipelati, mixta quantum fieri potest curatio adhibenda, semperq; illi quod exuperat, magis resistẽdum, nõ tamẽ prætermissa ea quæ à mixto præstatur indicatione. Sicuti autẽ subinde erysipelati admiscetur phlegmone, ita etiam aliquando œdema, ac uocatur quod ex ambobus tum est conflatum, erysipelas œdematosum, nõ secus quàm ubi ex refrigerando durũ ægreq; resolubile redditur, uocabitur erysipelas scirrhosum. In quibus curatio ipsa, ueluti in omnibus compositis, mixta administratur.

Discutientia mixta refrigerantibus. *Erysipelas œdematosum.* *Erysipelas scirrhosũ.*

De carbunculo. Cap. IIII.

CArbunculus, qui Græcis ἄνθραξ dicitur, fit cum sanguis craßus & feruescens in aliquã particulã decumbẽs, cutim exußerit. Errãt itaq; recẽtiores, qui anthracẽ & carbũculum diuersa esse mala putant, ut copiose lib. 2. Paradox. cap. 18. demõstrauimus. Arabum placita sectantes, prunam & ignẽ persicũ nominant hoc uitium. Incipit hoc plerunq; à pustula, aliquando uerò & sine hac. Cæterùm inter

Carbunculus. *Anthrax.* *Causa.* *Signa.*

initia

initia quibus hoc instat malum, scabunt particulam omnino. Mox oritur pustula quædã, qua rupta ulcus cum crusta gignitur. Sæpè uerò nõ una oritur scabẽtibus pustula, sed multæ exiles ueluti milij semina, crebræ in particula residentes Quibus perruptis similiter crustosum ulcus prouenit, quale ferramenta candẽtia excitant. Crusta uerò ipsa modo cineris colorẽ præfert modo nigriorẽ. Omnibus præterea his circũposita caro in summã peruenit inflammationẽ, non tamẽ colore aspicitur erysipelatis, imò qui adhuc phlegmones colore sit nigrior, ueluti si plusculo rubro minus misceas nigri. Quòd autẽ necessario febricitent, qui ita sunt affecti, idq; nõ minus, imò magis quàm illi qbus erysipelatosa est phlegmone, id utiq; latere neminẽ potest. Curatio incipienda ab incisa uena, & adhibẽda sanguinis uacuatio, si nihil obstet, usq; ad animi defectum. Inciditur autẽ uena partẽ afflictam è directo respiciẽs, atq; pro eius situ nunc humeraria, nũc interior, interim etiam media, & ea quæ in malleolis est secatur. Quin etiam scarificare eiusmodi tumores post sanguinis mißionẽ alienum non sit. Sunt autem incisiones mediocribus altiores, propter infestantis humoris craßitudinem. Imponi uerò sibi laborãs particula, quod ad inflãmationẽ feruorẽ'ue spectat, refrigerantia desiderat. Cæterùm propter humoris craßitudinem atque malitiam, nec fluxionem auertere poteris: & si quando id feceris, aliud quippiam quod in alto sit corpore, offendes. Atqui nec affluere is permittendus est, quin potius inquirẽda remedia sunt, quæ cũ modicè reprimẽdo etiã discutere poßint. Tale profectò est cataplasma quod ex plantagine conficitur, tum quod ex discocta lente, scilicet miscentibus his nobis micam panis qui clibano sit coctus. Esto autem panis nec omnino à furfure purus, nec nimium eius habens. Si quidem qui omnino purus est, eius substantia in cutis

Curatio.

Venæ sectio.

Scarificatio.

Localia.

Cataplasma.

meatibus hærere est apta. Furfuraceus autẽ craßiorũ est partium. Super ipsum uerò ulcus, ualẽs aliquod medicamentum, cuiusmodi est pastillus Andronis, uel Polyidæ, q describitur à Gale. lib. 5. De cõp. med. κατὰ γένη. Vel is pastillus quẽ suprà in capite de herpete produximus, adiecto chalcanthi ℈ 1. Liquari autẽ debẽt cũ uino aliquo dulci, ad sordiũ strigmẽticiã'ue craßitudinẽ. Itẽ radix dracũculi, uel aristolochiæ, uel silphij liquor, singula ex aceto illinenda. Quæ autẽ reliquis adhiberi ulceribus solent, nempè quæ cõcoquãt & pus moueant, ea nũc adhibenda nõ sunt, quãdo ita particulæ putredinẽ fõueris. Porrò partes adiacentes quæ cõsortij lege afficiuntur, succidis lanis ex liquore stillaticio rosarũ, aceto, & bolo armenia irrigãdæ. At ut radicitus carbunculos euellas, dirimasq; ab adiacẽtium commercio, malum punicum acidũ minutatim concisum in aceto coques: ubi intabuerit, in leuorem deteres, linteoq; illitum impones. Cum uerò siccescit, aceto humectabis. Cessante uerò iam inflammatione, ulcus ad cicatricem similiter reliquis ulceribus perduces. Id quod fiet, si primùm adhibitis ijs quæ expurgãt medicamẽtis glutinantia imposueris, quale est hoc unguentum, quod habet: Olei rosacei ℥ 2. cerussæ, plumbi usti, lithargyri, singul. ℈ 1. rosarum purpurearum ℈ 2. radicis symphyti maioris, balaustiorum, boli armeniæ, singul. ℈ ß. caphuræ grana 2. ceræ candidæ quod satis est, fiat unguentum.

Pus mouẽtia nõ adhibenda. Adiacẽtes partes munĩetia medicamẽta. Vnguentũ glutinans.

De impetigine. Cap. V.

IMpetigo, Græcis λειχὴν dicitur, uitiũ cutis est quod celeriter in scabiẽ & lepram, quã Græci sic nominant, trãsit. Sunt qui cutis asperitatẽ interpretãtur. Fit ex tenui acriq; sanie, craßioribus alijs cõmixta. Malũ est insuauißimũ, & pruritum inferens, & circuntensionẽ, & periculum non minus. Proserpit enim aliquãdo per totam faciem, & oculos ipsos contin

Impetigo λειχὴν. Causa. Signa.

contingit. In curãdi ratione, diligẽter ea quæ mitior est à fera impetigine, quæ mẽtagra etiã dicitur, & recẽs ab ea quæ longiore tẽpore durauit, discernẽda. Siquidẽ quæ recẽs ac mitis est, curatu facilior est, quàm ea quæ diuturna & fera existit. Principio autẽ curationis, si plenitudine laboret corpus, sanguinis mißio adhibenda. Sin minus purgatio quæ tenues & crassas sanies expurget, exhibẽda. Supra modum uerò cõfert hæc potio, quæ habet: Florũ uiolarũ buglossi, melissophylli, sing. m̃. 1. glycyrrhizæ rasæ ℥ 1. prunorũ damascenorũ nume. 12. oxyphœnicon ℥ 1. seminũ melonũ, cucurbitæ, cucumeris, citruli decorticatorũ, sing. ʒ 2. fumariæ m̃. 1. ß. radicis polypodij, foliorũ senæ, utriusq; ʒ 6. corticũ myrobalanorũ flauorum, cæruleorũ, utrorũq; ℥ ß. agarici optimi ʒ 2. rhabarbari scenitici selecti ʒ 1. ß. spicæ nardi grana 6. zingiberis ʒ ß. decoquãtur in aqua iustæ quantitatis, donec dimidiũ absumatur, & ea quæ decocta sunt per integrã noctẽ simul perstẽt, postea colo transfundantur, adiectáq; sacchari conuenienti quãtitate ius decocti dulce reddatur, & subinde in eo diluantus cõpositionis hamech & diaphœnicon, utriusq; ʒ 3. fiatq; potio, de qua quotidie in aurora exhibeãtur ℥ 4. Corpore uacuato ad localia progrediendũ erit: quapropter si recẽtes fuerint impetigines, parietariæ folia cũ aceto trita illimẽda: aut ammoniacũ cũ parietariæ succo in aceto tritũ illinendũ. Idẽ facit braßicæ succus, aut quod ex eius caule dũ aduritur destillat illitũ. Confert etiã plurimũ cortex radicis oxylapathi cõmanducatus, & illitus. Puerorũ impetigines, hominis saliua cõtinuè defricta curãtur. His etiã opitulatur gummi pruni illitũ. Et linimentũ hoc, quod accipit: Resinæ terebinthinæ in stillaticio liquore rosarũ lotæ ℥ 1. olei rosacei ℥ ß. ouorũ lutea duo, succi duorũ malorũ arantiorũ dulciũ. Commixtis omnibus fiat linimentũ. Vbi uerò iandiu durauerint impeti

Curatio. Mentagra
Purgatio.
Potio purgans.
Localia.
Linimẽtũ

petigines, tum ualide siccãtia, & abstergẽtia, Gal. lib. 5. De cõp. med. κατὰ τόπους teste, requirũt. Quare illis uiticis folia cũ aceto trita et illita ꝓsunt, aut asphodeli maris radix in aceto decocta & trita, si affricetur. Probatur etiã ad impetigines hoc unguentũ, quod habet. Resinæ terebinthinæ instillaticio rosarũ liquore lotæ ℥ 1. olei rosacei ℥ ß. butyri recẽtis, axungiæ porcinæ, utriusq; ʒ 3. sulphuris uiui ʒ 2. ß. nitri ʒ 1. ß. aluminis facticij, zucharinũ uocãt, ʒ 1. salis fossilis ʒ. 1. seminis staphydis agriæ, lithargyri, utriusq; ℈ 2. uitellos oui duos. Ceræ quod satis est, fingatur unguentũ. Aëtius lib. 8. cap. 16. inter multa alia hoc unicè cõmẽdat, quod habet: Picis, siccæ, resinæ colophoniæ, radicis ellebori albi triti, olei rosacei, ceræ, sing. partes æquales, fiat unguẽtũ, uel ut Aëtius uocãt, emplastrũ liquidũ. Verũ ubi malũ iã stabile factũ fuerit, & medicamentorũ molimini resistit, utendũ erit excoriatorijs, quale est quod accipit: Lithargyri, nitri, æris usti, foliorũ uiticis, sing. ʒ 2. chalcãthi ℈ 1. sulphuris uiui, ellebori albi, utriusq; ʒ ß. æruginis ℈ 2. unũquodq; per se cõtere, deinde simul cõtusa oleo rosaceo & cera excipe, ac in unguẽti formã redige. Post excoriatoria, medicamẽta quæ ulcera repurgãt admouenda. Vlceribus autẽ repurgatis, utendũ ijs quæ glutinãt medicamentis, quorum aliqua suprà commemorauimus.

Marginal notes: Vnguentũ. — Vnguẽtũ. — Aliud. — Excoriatorium.

De scabie. Cap. VI.

Scabies, quæ Græcis ψώρα dicitur, summæ cutis asperitudo est, pruriens, in qua corpus paulatim absumitur. Originẽ ex atra bile ducit, aut pituita salsa, crassa ac lenta, ut testatur Gal. lib. 2. De symp. caus. ca. 10. Scabies summã corporis cutẽ excedit, ouariasq; figuras habet, ac furfurea magis ex se corpuscula ædit. Principio uerò opus est ut cõueniẽti uictus ratione utantur ægrotantes, quapropter à cibis atrã bilem generantibus, aut salsam pituitam, abstineant: qui quales

Marginal notes: Scabies. — Causa. — Signa. — Victus ratio.

les sint, in cap. De cancro dicemus. Vtantur uerò potius ijs quæ facilè concoquuntur, & bonũ procreãt sanguinẽ. Vinũ bibant tenue & antiquum aquosum tamen. Curandi ratio, si corpus plenum fuerit, à uenæ sectione auspicabitur. Incidenda autẽ erit uena media, & tantũ sanguinis educendũ, quantum ægrotanti ex re esse uidebitur, aut quantũ uires ferẽt. Sin minus, purgatio ex ijs quæ atram bilẽ ducunt, est exhibenda. Præter decoctum autẽ in cap. præcedẽti positum, & ea quæ in cap. De melãcholia cõmemorauimus, mirificè prosunt catapotia de fumaria, & hæc quæ accipiũt: Aloës iecorariæ ʒ 2. corticũ myrobalanorũ flauorũ ʒ 2. ß. foliculorũ senæ, agarici optimi, epithymi, singu. ℈ 1. fumariæ ℈ 2. diacrydij ℈ ß. tragacãthæ, rosarũ purpurearũ, utriusq; ʒ ß. cũ stillaticio liquore fumariæ fiãt catapotia, de quibus detur põdus drachmæ unius, plus aut minus, pro ætatis ac uiriũ ratione. In salsæ pituitæ abundãtia catharticum imperiale, & cõpositio hamech summopere ualebunt. Corpore uniuerso euacuato, usus esse poterit balnei aërei, aut aquæ dulcis, in qua tamẽ radix oxylapathi, fumaria, scabiosa, beta, oxalis, & id genus alia, quæ in capite de pruritu cõmemorabimus, decocta sint. Reponi quoq; in sacculos debẽt farinæ lentiũ, fabarũ, hordei, & furfures, & cum ijs abstergi totũ corpus. A` balneo æger in lecto stragulis opertus sudet. Extrinsecus ad solem, uel in balneo quæ illinuntur ferè eadẽ sunt, quæ suprà de impetigine diximus. Inter simplicia uerò potissimũ ad eũ usum adhibentur staphis agria, lupini, sulphur uiuũ, cicer, lilij radix, & lutea ouorũ. Inter cõposita hoc unicè conducit, quod habet: Resinæ terebinthinæ in stillaticio liquore rosarũ lotæ ℥ 2. oleorum rosacei, costini, utriusq; ℥ ß. sulphuris uiui ʒ 3. seminis staphidis agriæ ʒ 1. salis fossilis ʒ 1. ß. lutea ouorum tria, butyri recentis ℥ 1. cõmixtis omnibus fiat linimentum.

Curatio. Purgatio. Catapotia. Balneum. Localia. Vnguẽtũ.

Smegmata quoq; ex ſolis lapatis, oxylapatho præſertim, mirificè conferunt ad ſcabiei amolitionem.

De pruritu. Cap. VII.

Pruritus. Cauſa. PRuritus eſt ſcalpēdi aſsidua cupiditas. Hic uerò ſenibus maximè accidit. Cōtrahitur ex prauo humore, qui nimirū bilioſus atq; adeò acris, aut pituitoſus putris ſalſus'ue eſt. Signa. Malū de ægri ſermonibus prōptè dignoſcitur. Humorū uerò pruritū efficientiū diuerſitas ab ætate, temperamento, uictus ratione, anni tēpore, regione, & reliquis ijs ſimilibus agnoſcitur. Curatio. Si plenitudine corpus ſimul laboret, à ſanguinis miſſione curatio ipſa auſpicabitur. Sin cacochymia tantū affuerit, medicamenta exhibenda quæ redundantē uitioſum ſuccū educunt. Corpore ipſo euacuato, ad externam curationem diuertemur. Balneum. Lauandum itaque prorſus ieiuno eſt, nonnunquā & modico cibo ſumpto iterum lauandum: quippe uitium uix hoc inhumeſcit. Smegmata. Detergitur autē fœnogræci, aut betarum, aut furfurū, aut maluæ, aut altheæ, aut hordei decocto. Præter hæc ualent farinæ etiā fabaceæ, uel lupinorum. Si malū inueterauerit. Si inueterauerit malum, lauatio ſimiliter quidem cōuenit. Fomentum autem ex ſaluiæ, myricæ, herbæ mercurialis, origani, pulegij, baccarum lauri, cucumeris ſylueſtris radicis decocto, & oxhalme fiat. Poteſt & linimentorum ſuprà cōmemoratorum uſus eſſe. Remediū generoſū. Ad pruritus etiā mirificè cōfert, ſi nucum iuglandium corticis ℥ 1. ſulphuris uiui tantundē, cū apij ſucco terātur: & cum ijs in balneo corpus affatim defricetur. Hoc enim ſolum, Paulo teſte, multis tum ſcabioſis, tum pruritu detentis, abundè fuit. Apium etiā per ſe uiride tuſum, infricatumq; in balneo uehementer auxiliatur. Smegmata quoq; ex lapathi radicibus in aceto coctis confici poſſunt.

De exanthematis. Cap. VIII.

Exanthemata. EΞανθήματα Græcis ſunt tumores ſponte in cute florentes, Sic dicti, quod turgētium ad florem gemmarum

in plantis modo tumeant. Hippocrates tertio Epid. libro ἐκθύματα, παρὰ τὸ ἐκθύειν, hoc est, ab erumpendo, quòd sci, licet sponte è cute erumpant, in eaq; floreāt, uocauit. Plinius papulas, & interdū etiā pituitæ eruptiones nominat. Interpretes aliquot Latini pustulas appellāt. Sunt autem duplicia exanthemata, quædā enim sublimia, quædā uerò lata. Sublimia ab ijs qui barbarā sectantur medicinā, Morbilli nuncupantur. Germanis autē, Kinds blattern. Lata & humilia Barbaris uariolæ, Germanis dia Kinds flechen appellātur. Procreātur ex craßis & cuti impactis humoribus. Sublimia tamen à calidiore & tenuiore humore fiunt, lata uerò à frigidiore & craßiore. Totū autē hoc genus exanthematū nasci-tur, natura corporis ꝓfundū expurgante. Quare paucißimi admodū sunt, modo ad legitimā ætatē perueniāt, q hoc malū effugiāt. Exanthematū eruptionē grauia quædā symptomata sequuntur, uehemens nimirū dorsi capitisq; dolor, difficultas spiritus, pruritus narium & auriū, febris, punctiones uniuersi corporis, pandiculationes & oscitationes crebræ. Vbi iam egrediuntur, initio facies maculas quasdā ostendit, quæ uel in sublime tolluntur, uel in latum extenduntur. Sublimia itaque exanthemata cutē in tumorē manifestum attollūt, atq; exulcerant, pruritumq; excitāt. Lata exiguum admodū tumorem efficiunt, neq; tamē exulcerant, neq; etiā pruritum excitant, quòd scilicet in latitudinē extentæ difflentur, humorq; ea faciens acris nō sit. Quod etiā Hippocrates in Aphorismis testatur dicēs: » Lata exanthemata nō admodum pruriūt. » Postquam uerò iam eruperint, raucedo uocis, dolorq; in faucibus ac gingiuis accidit. Porrò difficilis exanthematum fit eruptio & progressus ijs, quorum cutis craßa & densa existit. Difficilior autē semꝑ latorū est exitus, utpote quæ ex craßioribus ut dictum est, ac tenacioribus humoribus oriuntur,

ἐκθύματα.
Papulæ.
Pituitæ eruptiones.
Duplicia exanthemata.
Sublimia.
Morbilli.
Lata.
Variolæ.
Causæ.
Signa.
6. Aph.
Latorū exanthemat eruption multi mo riuntur.

atq; adeò hoc nomine nō facilè cutē penetrare possunt. Quare si accedit cutis etiā densitas, plerunq; intus detentis exanthematis moriuntur. Cōtrà pauci admodum, modo in uictus ac curādi rationibus error absit, in sublimiū exanthematum eruptione pereūt, quū ex tenuioribus humoribus, ac prōptè erūpentib. generētur. Exāthemata etiā magna ex parte infantibus eueniūt & iuuenibus, rarißimè senibus. Meliora ex ijs sunt rubei coloris: deteriora, imò peßima quæ atrū, aut uiridē præ se ferunt colorē. In curādi ratione diligenter ad ætatē est respiciendū. Si enim infantib. erūpere per cutē cœperint exanthemata, cauendum unicè ne naturæ motus impediatur. Quare initio aërē deuitare frigidū oportet, is enim cutē dēsat, atq; adeò exanthematū eruptionē ꝓhibet. Versentur autē potius in eo qui mediocriter calidus est. Corpus etiā uestibus aut stragulis ab iniuria aëris frigidi ꝓbè muniatur. Cauendū tamē ne, quod uulgus facere solet, suprà modū calidis hypocaustis, aut nimijs tegumētis ac stragulis syncope accersatur, atq; adeò æger suffocetur. Infantes ipsi neq; pleniore, neq; nimis tenui cibo alantur. Et si uēter illorū nō respōdeat, tūc melle quod cibo additur, aut resina terebinthina ciceris magnitudine mouēdus. Vehemētiora enim medicamēta ne adultis qdē dāda, tantū abest ut pueris cōuenire queāt: prōptè enim dysenteriā cōcitāt, potißimū in sublimiorib. exāthematis, quorū generatio ex acribus est humorib. Quòd si natura probè excreuerit exanthemata, nullū sanè facescere negotiū oportet, iuxta hoc Hippocratis: Quæ iudicātur, & iudicata sunt integrè, neq; mouere, neq; nouare aliquid, siue medicamētis, siue aliter irritādo, sed sinere oportet. Sunt tamē qui infantes inuoluant pannis rubris aut puniceis, ut ad crebrum illius aspectū et intuitū ad exteriora atq; adeò summā cutē ferātur humores. Qui ubi euocati fuerint, facilè discutiuntur. Quòd si ta

[Margin notes: Curatio infantium. — A quibus cauendum. — Vehementiora medicamenta nō dāda in hoc affectu. — 1. Aph. 20. — Panni rubri aut punicei.]

si tamen natura in expellēdis humoribus tardior aut imbecillior esse apparet, hoc, aut simile decoctū quod obstructiones tollit, exhibēdū erit, qd' habet: Radicū apij, fœniculi, petroselini, sing. ℥ ß. seminū anisi, asparagi, rusci, sing. ʒ 2. caricarū nume. 6. calaminthæ m̄ 1. Coquātur in aqua sufficiēti, donec medietas absumatur. Iuri per colū trāsfusi, & sacchari adiectione dulci, admisceātur serapij acidi simplicis ℥ 3. & fiat potio, de qua detur quotidie mane & uesperi pondus ℥ 3. plus aut minus pro ætatis ratione. Si adulti corripiuntur exāthematis, initio curationis, si corpus plenū fuerit, sanguis mittēdus, idq; faciendū antequā appareāt exanthemata. Si uerò humorum copia in alto cōstiterit, purgatio primū tentāda est. Nam si hac neglecta prius discutere aggrediaris, obstrues ipsos potius q̃ per cutē euacuabis. Sin autē nulla in alto delitēat humorū superuacua, per cutē uacuare oportet, & nō ꝓcul attrahere, per aluum aut uomitū euacuationē molitus: sed humorum qui cuti impacti sunt curationē medicamētis quæ excalfaciunt & discutiunt experiaris: idq; maximè quū lata sunt exanthemata, à frigido enim admodū & crasso humore hæc ipsa orta sunt. Quam quidē curādi rationē Hippocrates etiā ipse lib. 6. Epid. par. 2. Aph. 18. probat, ubi ita scriptū reliquit: Latæ pustulæ, quales hyeme Simon habuit nō admodū pruriūt. Hic sanè cū ad ignē inūgeretur, uel calida lauaretur, iuuabatur. Vomitiones nō expediebāt. Puto utiq; eum qui calidis abundè fouisset, huic prodesse potuisse. Quibus sanè uerbis manifestè innuit Hippocrates, humores crassos ad cutem repentes non esse per medicamenta ad profundum corporis trahendos, sed per cutem potius, calidis tum fomentis, tum medicamentis, uacuandos. Quæ autem sint eiusmodi, in superioribus libris sæpè est dictum. Porrò si post eruptionem exanthematum oculi malè afficiantur, liquor stillaticius

Decoctū.

Curatio adultorum.

Venæ sectio.

Purgatio.

Hippocrates.

Si oculi malè afficiantur.

rosa

rosarum, in quo parum caphuræ, aut licij sit dissolutum, instillandus erit. Faucium uerò & oris noxæ medendum cõpositione diamoron, & id genus alijs medicamẽtis suo loco expositis. Reliqua curandi ratio, quæ post plenam exanthematum apparitionem requiritur, in desiccando sita est. Quare humectatio omnis externa absit.

Noxę oris & faucium remedia.

De ambustis. Cap. IX.

Corporibus quæ ab ignæ, aut feruente aqua exuruntur tria accidunt symptomata, dolor, bullæ seu pustulæ, & exulceratio. Igitur ambusta igni, πυρίκαυτα uocãt Græci, indigẽt medicamẽtis quæ moderatè abstergũt, absq; eo quod euidenter calefaciãt aut refrigerẽt. Protinus ergo ad inhibẽdas pustulas terra quæuis leuis, cimolia præsertim, in teneris quidẽ corporibus cum aqua, in durioribus autẽ cũ aceto nõ admodum acri, aut posca madefacta illinẽda. Sunt qui præferant eam terrã quæ sub uasis aquarijs reperitur, si cum albo oui excipiatur. Cimolia stillaticio etiã rosarũ liquore excepta mirificè cõfert. Item ouum integrũ crudũ statim impositum, lana molli exceptũ præclare facit, pustulasq; excitari prohibet. Etenim refrigerat leuiter, & citra rosionẽ desiccat. Idẽ efficit atramentũ scriptoriũ illitũ, aut thus aqua dilutum, uel lens cocta tritaq;, uel eruum illitum. Betæ etiã folia cruda cõtusa, postea elixata, & cum uino illita cõducũt. Alumẽ item omne cum aqua & oui albo. Santala etiã trita & cum stillaticio rosarum liquore excepta, adiecta caphura, prodesse plurimum possunt. Itidẽ ualet bolus armenia illita. Locus autem qui ustionẽ patitur, manu cõtingendus nõ est: quare medicamenta ipsa penna illinenda sunt. At ex aqua feruente ustionibus priusquã pustulæ oriantur, alumẽ scissile (plumosum uocant officinæ) tritũ cum aceto illinitur, aut fel taurinũ cum aqua copiosiore liquatũ inungitur, aut bulbi liliorũ, aut hyacinthorũ cum rosaceo triti, & in sordiũ spissitudinẽ coacti

Curatio ambustorũ igni.

Quibus prohibeantur bullæ.

Ouũ integrũ crudũ.

Atramẽtũ scriptoriũ.

Betę folia.

Alumen omne.

Santala.

Bolus armenia.

Curatio ustionũ ex aqua feruente.

delinũtur. Porrò pustulæ si fuerint excitatæ, principio ne frãgito. Si uerò persistant, frangito cum acu, ut aqueus humor effluat, aliàs enim partes subiacẽtes corrũpit, & exedit. Partibus exulceratis adiantũ aridũ, leuigatumq́;, aut myrti folia combusta pertritaq́; insperguntur. Laudatum est remedium unguentum candidum uocatum cum caphura, & id quod in capite De carbunculo descripsimus. Pustularũ curatio. Exulcerationis. Vnguentũ candidum.

De formica, verruca & clauo. Cap. X.

Formica, quã Græci μυρμηκίαν uocant, tumens & callosa, magnaq́; ex parte rotunda est excrescentia, colore nigricans, latiore basi, & in cute seßilis, quæ inscalpendo & atritu mordentis formicæ sensum efficit, unde etiã nomen accepit. Verruca uerò, quæ Græcis ἀκροχορδὼν dicitur, itidẽ exigua est cutis excrescentia, angustiore tamẽ basi, ac pensilis, ut chordæ nexu suspensa esse uideatur. Hæc autẽ dum abscinditur, longè maiorẽ sanguinis quantitatẽ, quàm suæ paruitati cõgruat, reddit. Clauus rotundum est tuberculũ, clauorum capiti simile, quod plerunq́; in calcaneis & pedum plãtis nascitur, in gradiendo afferens dolorẽ & impedimẽtum. Formica. μυρμη-κία. Verruca. ἀκροχορ-δὼν. Clauus.

Generantur ex humoribus frigidis & craßis, pituitosis atq́; melancholicis. Signis nõ est opus ad dignoscendũ, sed promptè ex ijs quæ diximus discernũtur. In curãdis ijs tumoribus cauendũ initio erit ægrotanti ab omnibus ijs quæ frigidos & crassos humores procreare possunt. Deĩn corpus purgandum medicamento quod pituitam, aut melancholicum educit humorem, aut utrosq́;. Corpore purgato ad localia ueniendũ erit, inter quæ sanè medicamẽta maximè laudatur liquor titymali, aut fici illitus. Elateriũ quoq; cum sale infricatum eos tumores tollit. Thus item cum aceto, hircinum fel, nitrũ cum urina pueri uenerem non experti, stercus ouillum aut hircinum cum aceto illitum. Valet etiã ærugo cum sulphure Causæ. Signa. Curatio. Locus.

ignem

Euulsio uerrucarum. ignem nõ experto cõbusta. Verũ antequã prædicta medicamẽta apponãtur, euelli debẽt uerrucæ, maximæ potißimum, id quod bifariã fit. Vel enim pilo equino iuxta basim, excipiũtur, qui quotidie magis atq; magis cõstringitur, donec è corpore decidant. Vel circũscarificatæ scalpro radicitus eximũtur. Nonnulli ne rursus succrescant, candenti ferro utuntur,

Verrucę & formicę quomodo ore sanentur. Gal. lib. 14. The. meth. cap. 17. Romæ fuisse quendã tradit, qui uerrucas & formicas ore sanauit. Formicas enim certa primùm labiorũ applicatione, ceu suctu ad se traxit, atq; à radice euulsit, deinde primoribus apprehensam dentibus, totã simul exemit.

Scolopomacheriõ. Sed, ut idem scribit, scalpro ad myrtacei folij speciẽ formato, & ferramẽto eo quod scolopomacheriõ, Græci uocãt, quispiã manibus exercitatus, facilè eas excidet, quum proprijs lineamentis à circũposita cute circũscripta discernãtur.

Formica ut penna educenda. Aequè uerò & ualente aliqua penna, quales sunt ueterũ gallorũ, anserũ, & aquilarũ, circulo formicæ imposita, ipsam educimus. Debebit porrò pennæ cõcaua fistula esse formicæ craßitudini par, ut eã undiq; prorsus cõstringat. Quæ postea circumacta, ac simul deorsum impulsa, celerrimè ita formicã etiã cũ ipsa radice totã educet. Cõstet uerò & quod finis ipse pennæ quæ eã circulo secabit, nõ tenuis modo, sed etiã acutus & firmus esse debebit. Abscindere ab ijs tantũ radicẽ uersus oportet quatenus reliquæ partis fistula cõplecti formicã poßit. Sanè ex ipsa statim abscißione, si modo scitè fiat,

Medicamẽta ad tollẽdas formicas. etiã acumẽ ipsi cõparabis. Cæterũ sunt & alia medicamenta ad tollẽdos prædictos tumores idonea, quale est quod habet: Fecis uini ustæ, calcis uiuæ, æruginis, sing. partes æquas, cum urina pueri impuberis exceptas. Hoc medicamẽto statim decidere formicas, Oribasius memoriæ ꝓdidit. Et hoc qđ accipit, æruginis, auripigmenti, sandarachæ (arsenicũ rubeũ uocãt) salis ammoniaci, sing. ℥ i. redacta in puluerẽ cũ liquore

tithy

tithymali excipiātur, et in calycib. glandiū, aut nucū auellanarū putaminibus, uerrucis et formicis clauisq; imponātur, ne scilicet circūiacentes partes erodāt. Vbi deciderint, cōmunis curatio ulcerū adhibeatur. Mirificè autē prodest puluis millefolij. & geranij species, quā herbā Roperti hodie uocant. Vbi deciderint præ dictæ tumores quid agendum.

De vitiligine. Cap. XI.

Vitiliginis, quæ cutis est uitiū, duæ sunt species. Vna enim λεύκη dicitur, quæ nihil aliud est nisi coloris ad albidius mutatio. Latin. uitiligo alba nominari potest. Arabibus autē Alboras uocatur. Altera uitiliginis species ἀλφὸς Græcis appellatur, cuius generatio eiusdē cū leuce modi est, non tamē omnino in profundo caro in ea patitur, sed summa tantū cutis, & ueluti squamulæ quædā uitiligines ipsæ infixæ adhærēt. Et hæc quidē duplices sunt, albæ, & nigræ: faciūtq; duplicē alphū, albū & nigrū. Auicenna & Arabes alij hoc malū Morphæā nūcupāt: & eam quoq; duplicē esse statuūt, albam & nigrā. Leuce à uiscoso glutinosoq; sanguine cōtrahitur. Gale. siquidē lib. 3. De sympt. causis cap. 5. teste, cū pituitoso uiscosoq; sanguine diutius caro alitur, caro quidē manet adhuc, sed mutatur eius differētia, & in aliā speciē conuertitur, & media caro fit inter eā quæ sanguine prædita est, & eam quæ sanguine caret. Atq; quū talis existat, accidit ut ne tentet quidē postea affluens sibi alimentū in rubētis carnis speciē transmutare, haud aliter quàm polypis locustisq; accidit. Hac occasione ipsa tota quàm celerrimè & alba & pituitosa euadit, quando & ipsa alimentum in saborē posthac transmutare non potest: & id quod influit, pituitosum est. Qualis enim protinus ab initio & locustarū & ostreorum ferè omniū caro est, talem ex transmutatione acquirunt ij, qui leuce infestantur. Iam alphi haud diuersum (ut dictum est) à leuce habēt generationis modū. Verū per hos non tota caro afficitur, sed cutis duntaxat superficies, ueluti squamis

Vitiligo. Leuce. Alboras. Alphos. Alphos duplex. Causæ.

quibuſdam inſpergitur. Atq; albi quidẽ ex pituita, nigri uerò ex melancholico humore prodeũt. Leuce tam altè in corpus penetrando radices agit, ut & pili in ea cani, & lanugini ſimiles enaſcãtur. In alpho, ut cõprehẽſum eſt, ſquamulæ quædã affixæ cuti inhærẽt. Porrò in curatione leuces, initio omnia fugiẽda erunt, quæ ſanguinẽ glutinoſum ac pituitoſum procreare poßũt. Deinde cum nõ quælibet leuce curationẽ recipiat, notas ipſius tales habeto. Acu per ſumma leuce pũcta, ſed cute nõ penitus, ſi ſanguis emanauerit, ſanabilis eſt: ſin lactea humiditas, deſperata eſt. Vel panniculo laneo aſperiore infricata cutis, ſi quidẽ rubicundior euaſerit, medicinæ locus eſt: ſin idem color remanet, non cõſaneſcit. Et quæ plura loca corporis obſidet leuce, difficilius tollitur, quàm quæ pauca deturbarit. Itẽ uetuſtior, quàm recẽs, minus in medicina ſpei habere cenſenda eſt. In curabili itaq; leuce ſtatim exhibenda medicamẽta quæ glutinoſos humores extenuare poßũt, ut eſt hyſſopus, calamintha, aniſum, oxymeli, & id genus alia quæ in præcedentibus libris, primo potißimũ cap. De dolore capitis ex pituita, dicta ſunt. Deinceps quæ eoſdẽ purgare ualẽt medicamenta exhibẽda. Corpore purgato, ad localia ueniẽdum medicamenta: quare leuce hoc uel ſimili medicamento affricandæ. Fici folia uiridia macerato in aceto: ſit autẽ aceti tantum, ut ea ſuperet & penitus contegat: deinde cõtuſa & trita cũ ſufficiente calce uiua miſceto, & locis prius exterſis in ſole illinito, uſquequo lẽtigini ſimilem imaginẽ ipſa leuce induat, atq; deinde fici ſuccum recentẽ ſuprà iſtam illitionẽ inducito, ipſamq; leucem ſolam aliquandiu confricato, & ne uicinas partes exulceres obſeruato. Egregiè enim auxiliatur. Laudatur & hoc quod in eum paratur modum. Iuglandium nucum immaturarum & adhuc acerbarum exteriorẽ corticem uiridem detrahito, & fici nigræ ſyluestris ramulos amputa

Signa. Curatio leuce. Localia.

amputato, ad hæc lithargyrũ cõijcito, ac cum aceto coquito, terito, & ad unguẽti formã reducito, idq; ipsum in sole illini to. In decoquẽdo etiã hordei grana 7 addito. Hinc enim suffi cientis decoctionis signũ habebis, ubi uidelicet hordei grana cocta uideris. Fortiora iã dictis sunt, sulphur uiuũ, ueratrũ, sandaracha, calcãthũ, alumẽ rotũdũ & scissũ, uentres cãtharidũ, sal ammoniacus, nitrũ, & id genus alia, è quibus unguẽta cõfici possunt, quale est hoc quod habet: Sulphuris uiui, nitri, utriusq; ℥ 2. aluminis scissi, rotundi, ellebori albi ℥ 1. salis ammoniaci ℥ ß. farinæ lupinorũ ℥ 2. ß. redacta in puluerẽ cũ unguẽto flauo (citrinũ uocãt qđ satis est excipiãtur. Porrò cutis prius quàm medicamenta adhibeãtur, nitro defricãda erit. Sunt etiã qui prius acu trãsfixa pungãt, quoad cruor emanet, antequã medicamenta illinant. In alphis curandis uictus ratio sit quæ neq; pituitam, neq; atram bilẽ in corpore aceruet. In albo igitur, principio quæ pituitam educunt medicamenta, in nigro quæ melancholicũ humorẽ uacuãt, exhibenda sunt. Corpore uacuato utriusq; cõmune prodest auxilium, elota calx aqua soluta, aut dracunculi aut ari radix, cũ aceto illita. Simili modo utrinq; ueratrũ eisdẽ efficax est. Itẽ lupinorũ amarorũ decoctũ superfusum, eorumq; farina ex aceto uel oxymelite illita. Capparis quoq; radicis cortex cum aceto, lilijq; radix cum melle, cepa ex aceto in sole peruncta. Alia quoq; medicamẽta quæ paulò suprà commemorauimus admota, plurimum adiumenti afferre solent.

Vnguentũ

Curatio alphi.

De œdemate. Cap. XII.

Οἴδημα Galeno, & alijs post eum medicis Græcis est tumor mollis laxus'ue & doloris expers. Barbaris corrupta & inepta uoce undimia dicitur. Nonnullis ineptius multo zimia. Fit ex substantia pituitosa, aut spiritu uaporo

Oedema quid.

Causa.

Signa. poroso. Signa iam ferè dicta suunt: tumor enim adest mollis, qui si summis prematur digitis, cedit, fossulaq; reddit, colore albus, qualis in pedibus ac cruribus eorũ quos aqua intercus uexat, & in tabidis, et alijs qui malo corporis habitu (καχεξίαν Græci uocãt) laborãt, prouenire solet. Verũ in illis periculosis affectib. œdema quidẽ symptoma est, nulla propria præcipuaq; curatione indigẽs. Sola enim frictio ex oxyrhodino, aut nõnũquã ex sale & oleo, uel etiã ex sale iniecto oxyrhodino ipsum sistit.

Curatio. Quũ uerò ꝑpter pituitã particulæ influxam œdema cõstitit, initio corpus purgetur medicamẽto quod pituitã ducit. Eo uacuato, spõgia aqua quæ parũ aceti habuerit imbuta, cũ ligamẽto leuiter stringẽte imposita, quæ ab inferiori parte incipiẽs suprà finiat, malũ abigit.

Spongia recens. Esto aũt spongia, modo cõductura sit, recens: hæc enim plus exiccat, atq; discutit, Gal. lib. 11. de simp. med. facul. teste. seruat enim etiamnũ eam quã à mari accepit facultatẽ. Aceti etiã in posca sit tam moderata tẽperatura, ut poßit ipsam quispiã bibere. Quæ autẽ ex ea plus aquæ cõtinet, in principio adhibẽda est, maximè in mollibus corporibus. Quæ uerò hac fortior fuerit, in robustis & durã habẽtibus cutẽ, & quæ ad primam spongiæ appositionẽ nõ iuuantur. Quòd si spõgiæ nouæ occasio non est, hãc detergebis abluesq; nitro & aphronitro, & lixiuio. Quòd si sub his œdema nõ subsidat, ubi rursus deligabis, pusillum aliquid aluminis adijcies, ac nouam spongiã admouebis, atq; tum (ut præscriptum est) deligetur ab inferiore sursum. Sit autem arctatio mediocris, ac primæ quidẽ fasciæ iniectiones, quæ scilicet infernè incipiunt, magis arctandæ, quæ deinceps sunt, remittendæ: cæterũ nõ adeò ut laxa sit aliqua deligationis pars. Curationis siquidẽ intẽtio in œdemate mixta est, una quidẽ ut eius substantia dissoluatur, alia ad constringendum & congregandum. Quòd si

diuturnum œdema fuerit, œdema prius oleo inunges, deinde spongiam ex lixiuio impones, atq; stringes uehementius. Discutit etiã ac cõprimit œdemata quælibet terra illita, tũ isatis satiua. In discutiẽdis etiã œdematis mirificè cõducit emplastrum diachylõn, & oxycroceum nominatum. Sic etiã emplastrum ex radice altheæ, liliorum alborum, malua, acantho, oxylapato, senecione, & ijs similibus compositum, miram in discutiendis œdematis uim obtinet.

De scirrhis. Cap. XIII.

SCirrhus exquisitus est tumor præter naturã, sensus expers, & durus. Non exquisitus uerò non omnino insensibilis est, difficulter tamen sentitur. Scirrhus igitur qui sensu prorsus uacat, sanari non potest: qui ægrè sentitur, facilem curationẽ non admittit, nec tamen prorsus incurabilis. Fit ex humore glutinoso, & crasso, qui particulis induratis impactus, solui contumaciter repugnat. Interdum statim ab initio consistit augeturq;. Magna uerò ex parte medicorum imperitia euenit, qui erysipelata & inflãmationes uehemẽter refrigerant & adstringunt. Signa iam dicta sunt in scirrhi descriptione. Inchoãte itaq; scirrho, & quẽpiã adhuc imbecillum sensum seruante, curationẽ adhibere cõuenit. Curãdi uerò eius cõmunis indicatio est, ut quod præter naturã in particula est, totum uacuetur. Modus tamẽ uacuationis eius proprius est. Nã detergere id ubi cõtumaciter inhæret oportebit. Quòd si quis ijs quæ uehemẽter trahunt discutiuntq; medicamẽtis uacuare tentet, nec ijs quæ humectant & excalfaciũt molliat ac liquet, huic paucis primis dieb. egregiè processisse curatio uidebitur: cæterũ quod de affectu restabit, id insanabile erit. Siquidẽ toto quod in eo tenuiũ partiũ erat discusso, quod reliquũ est, ueluti lapidosa concretio linquetur. Quippe etiam qui in articulari morbo uisuntur calli, ex hu-

Scirrhus quid. Causæ. Signa. Curatio.

more crasso glutinosoq; proueniũt, quando is non paulatim est discussus, sed uiolentis medicamentis totus simul siccatus. Hac igitur de causa ad scirrhosos affectus nullũ uehementer excalfaciẽs siccãs'ue medicamentũ est aptũ: sed ea tantũ quæ cũ emolliendo discutere cõmodè possunt. Huius generis sunt oẽs medullæ atq; adipes. È medullis autẽ primas tenet ceruina, & uitulina, ex adipibus cõmendantur anserinus in uolucrũ genere: leoninus uerò in quadrupedũ genere præstat. At gallinaceus post anserinũ sequitur, & pardinus leoninũ, ac deinde ursinũ & taurinũ. At caprinus crasior et siccior prædictis est, magisq; hircinus. Inter resinas terebinthina & laricina eligẽdæ. Emollit etiã ammoniacũ thymiama, et bdelliũ utrunq; magisq; Scythicũ, quãtò uidelicet est humẽtius. Pari modo & styrax qui humẽtior est, sicco utilior est. Eiusdẽ generis etiã sunt butyrũ, althea radix, & alia quæ suprà in cap. De lienis duritia cõmemorauimus. È quibus unguẽta & cerata cõponi possunt, ibidẽ monstrauimus. Cæterùm inter curandũ malè affectã particulã calido oleo fouere oportet, & glutinosa medicamẽta postquã apposita fuerint, nunquã remouere, priusquam sponte decidant. Imò si etiã lauandus sit æger, omnino permittenda sunt. À balneis tamẽ medicamẽtosis ac spõte natis prorsus abstinendũ. Hæc enim huic malo aduersantur. Quid multa? quo pacto scirrhus relictus in aliqua parte corporis sit curãdus, elegãti historia Gal. lib. 2. ad Glau. ca. 9. docet, quã illic studiosi legere poßũt. Præterea cũ mẽbrorum alia rariora sint naturaliter, alia dẽsiora, etiã uacuationẽ eorũ diuersa specie remedia postulare est neceßum. Hac igitur de causa tũ in tendonibus, tum in ligamẽtis quum scirrhosa fuerint, satius est ei curationi quã p molliẽtia molimur, aliquid incidentiũ admiscere. Ex quorũ numero uel in primis acetũ est. Interim uerò & in alijs partibus quas scirrhus

Emollientia.

Scirrhorũ in tendonibus & ligamẽtis curatio.

rbus afficit, eo utimur. Verùm in tendonibus & ligamentis in hūc modū. In aceto acerrimo candentē igni lapidē extinguere oportet, ac si quidē haberi potest, pyriten: sin eius copia nō datur, molarē. Deinde ascendente post infusum lapidi acetū uapore calido, in hoc dimoueri scirrhosum ligamentū uel tēdo debet, atq; exinde rursus medicamētū quod molliat imponi. Multi enim hoc modo curatiōis perfectè sanati sunt, ut ferè magicū opus, ut Galeni utar uerbis, uideretur. Initio tamē oleo, nō aqua, quotidie omnino laborātē particulā perfundere oportet. Est autē id oleū haudquaquā adstringēs, sed planè tenuiū partiū, cuiusmodi Sabinū est. Incoquimus autē oleo interdū fœnograecū, anethi comā aut altheae, ac syluestris cucumeris radicē. Caeterū curatio quae per acetū administratur, utilis est uitio iam adulto, & quū praeparata iā sub molliētibus pars fuerit. Si quidē aceti uis modo quis ea modicè & debito tēpore utatur, salutaris eiusmodi affectibus est, ceu crassos humores dissecans ac resoluēs: sin uel immoderatius, uel in tēpore nō idoneo, tenuiores partes uiolēter absumens, id quod reliquū est lapidescere sinit. Sed & si quis eo diutius utatur, substantiā ipsam neruorū attinget. Ob id igitur nec saepè, nec inter initia, nec longo tēpore, medicamētis quae ex aceto cōponuntur, ad ligamēta & tēdones utendū. At in liene, & carnosis musculi partibus scirrho affectis, tutus eius est usus. Quippe rarae sunt naturaliter hae partes, nec est quod metuas ne qs neruus eius ui laedatur. Acammoniaco qdē thymiamate cū aceto etiā non pauci lieni imponētes utūtur, ad luti scilicet crassitudinē qd' ex utrisq; est mixtū redacto. Vtendū autē eo tū maximè erit, cū per emollientia medicamenta antea scirrhosus tumor mollitus est: hoc nanq; tempore aceto liquatū ammoniacū maximū usum praestat. Sufficit autē eo uno altero'ue die usos, rursus ad molliētia reuerti. Ac Aceti

rursus his pluribus diebus usos, denuo ad medicamẽ quod ex aceto fit redire, siue id ammoniacũ, siue quid aliud habeat eorum quæ molliunt. In medio tẽpore etiã radice altheæ in adipe anserino, aut gallinaceo, aut suillo liquata, & cataplasmatis more imposita uti licebit. Syluestris etiã maluæ folia cum aliquo supradictorum tusa proficiunt. Quæ singula copiosius prosequitur Gal. lib. 14. The. Meth. & 2. ad Glauc.

De strumis. Cap. XIIII.

Strumæ. Strumæ, quas Græci χοιράδας uocãt, sunt glandulæ induratæ. Vel (ut Gal. lib. 13. The. meth. definit) sunt scirrhosiores glandularũ phlegmones. Barbari scrofulas uocãt. Fiũt magna ex parte in collo, alis, & inguinibus quod ijs locis glãdulæ uasis substratæ collocentur. Differẽtiæ strumarũ. Differunt strumæ inter se, magnitudine, natura, loco, ortu, multitudine, & uasorũ cõplicatione. Magnitudo. Magnitudine, quoniã quædã paruæ, quædam magnæ, quædã maximæ, quædã mediæ. Natura. Mites. Natura, quod aliæ mites, aliæ malignæ sint. Mites sine inflammatione, & dolore, cum mediocri duricie apparẽt. Neq; enim molles sunt, sicut steatoma: neq; duræ, sicut scirrhus: sed mediã quandã inter hæc tactus proprietatẽ obtinẽt, tumoremq; omnino circunscriptum rotundũ, æqualẽq; afficiunt. Malignæ. Malignæ uerò inflammationes, pulsantesq; dolores inuehunt, tumoremq; inæqualem præ se ferunt, in quo uasa prominent, contrectatuq; manuũ efferuntur. Locus. Loco præterea differunt, quoniã quædam in posterioribus colli partib. quædã in obliquis, quædã circa guttur oriuntur. Item quædã superficiẽ statim sub cute, quædam prope magna nobiliaq; uasa penitiores partes occupãt. Ortus. Ortu, quod quædã quasi suspensæ, quædam insertæ oriantur. Ac suspensæ quidẽ huc illuc facilè mouentur. Insertæ uerò subnituntur, ualidiorũ corporum impetum tolerantes. Multitudo. Multitudine, quod modo una, modo plures generentur. Vasorum complica

plicatione, quædam enim uenas arteriasq; implicatas habēt, Vasorū
quædā prorsus nō habent. Omnes autē suis mēbranis inclu- plicatio.
dūtur, perinde atq; steatomata, atheromata, & melicerides.
Generantur perinde atq; scirrhi ex craßis & glutinosis hu- Causa.
morib. Notis ad mali huius cognitionem nihil opus: sensibus Signa.
enim, uisu nimirū, & tactu, statim deprehēditur. Paruæ stru Curatio.
mæ maiorib. facilius curātur, sicut mites & blandæ inflāma-
tis. Malignæ uerò sanari nō poßūt. Quū enim oēs huiusmodi
strumæ cācerosæ ac uasis refertæ sint, dū curātur per manū,
curationi non cedunt: & dum curantur, erumpēdi sanguinis
periculū afferunt præterquā quod quum plerunq; penitiores
inueniantur, minimè abscindi possunt: uasa enim nobilia tan-
quā radices obtinent. Sed pro loci ratione superficiariæ pro-
fundis curatu faciliores sunt. In curatione etiam strumarum Glādularū
diligenter glandularum scirrho affectarum natura conside- natura cō
randa. Sunt enim quædam, quæ in medio uasorum spacio cō- deranda.
sistunt, & quod ibidem scissum & diductum est implēt, atq;
adeò eius diductionis pro firmamento sunt. In ijs cùm earum
haud magnus animantibus, usus sit, curandi ratio est, ut totū
quod uitiatum est scalpello excindatur, uel medicamentis pu-
trescere cogentibus. Quæ autē sit ratio excidendi, nō est no-
stri instituti docere. Eam tamē luculēter admodū tradit Aë-
tius lib. 15, cap. 5. Et Paulus lib. 6, cap. 35. Præterea sunt quædā
glandulæ, quæ uel saliuam, uel lac, uel genitale semen, ad hæc
quæ pituitosum quendam humorem in mescenterio, uel fau-
cibus uel larynge generant. Harum certè maior est usus.
ideo quum in scyrroso affectu sunt, non aliter quàm reliquæ
partes quæ scyrrho laborant, sunt sanandæ. Corpore itaque Vacuatio.
primùm per ea medicamenta, modò ætas & alia permittant,
quæ crassos & glutinosos humores educūt uacuato, ad emol
lientia primùm, deinde uerò ad discutientia progrediendum.

De emollientibus satis copiosè capite præcedēti est dictum. Inter discutientia laudatur priuatim farina lupinorū ex oxymelite cocta & illita. Bouillum itē stercus aceto incoctū & illitum. Probè etiam discutit strumas calx uiua melle, uel oleo irino, uel adipe suillo excepta. Valet etiā hoc ceratū quod habet: Sulphuris, seminis nasturtij et urticæ, sing. ʒ 2. nitri ʒ 1. ß. myrrhæ, galbani, ammoniaci, singu. ʒ 1. olei ueteris ℥ 3. ß. Cum cera & resina terebinthina quod satis est, informetur ceratum. In pus cōuersas strumas rumpit loliacea farina cū fimo columbæ, & semine lini uino incocta. Cæterùm struma laborantibus aluus reddi facilis debet, tenuisq; uictus adhiberi. Quare ab omnibus crassos generātibus succos abstineāt. Bibant uinum tenue & album. Fugiāt potionē aquæ frigidæ ac turbidæ. Deniq; ijs aßiduè uomitus prouocari debet, & per os illis pituitam educere oportet, atq; caput exiccare.

Discutientia. Ceratum. Victus.

De cancro. Cap. XV.

CAncer est inæqualis, liuescens, aspectu teter, & cū dolore tumor. Nomen accepit à fluuiatili cancro: quēadmodum enim in isto pedes ex utraq; parte sunt corporis, ita in hoc malo uenæ oppletæ, & in ambitu tensæ, cancri animalis pedib. omnino sunt similes. Fit in omnibus humani corporis partibus, sed sæpius in fœminarū mām is, quæ à natura purgationē nō habēt, quòd raræ & laxæ sint, ac craßißimā melāncholici humori materiā prōptè excipiāt. Generatur ex melāncholico humore feruescente, qui si acrior existat, ulcerationem etiā efficit. Sunt enim duæ supremæ cancrorū differētiæ. Nam quidā eorū ulcere carent, & ij ab omnibus ferè antiquis occulti appellantur. Quidam etiam exulcerātur. Tumor is magis quàm inflammatio nigricat, sed ita ut tantam caliditatem nō experiatur. Venæ quæ in ambitu sunt intumescūt, intenduntur q; cancri animantis pedum, ut diximus, modo. Quoniam

Cancer qd. Causa. Signa.

uerò

uerò à profundo inutilis sanguinis multitudo attrahitur, ideo uaricosæ uenæ redduntur. Color cãcri cinericeus, ad purpurã uergens, subliuidus: ac spectantibus quidẽ mollis apparet, tangentibus uerò durißimus. Pungẽtes etiã dolores ac latè diffusos infert. At si exulceretur, iugiter erodit, & profundũ suffodit, nec sisti potest, saniemq; emittit quocũq; ferarũ ueneno nequiorẽ, copia & odore abominandã. Hoc malũ per sui initia, priusquã in mẽbro figatur, curari potest. Sed ubi in molem satis insignẽ attollitur, insanabile efficitur, nemoq; illud sine manus opere curabit. Idipsum autẽ accidit propter succi craßiciẽ, qui nec repelli, nec discuti potest, nec totius corporis purgationi cedit. Mitiora etiã remedia cõtemnit, uehemẽtioribus uerò irritatur excandescitq;. Inchoãtes itaq; cãcros prohibere ne augescant, id quod principio fit cõmoda uictus ratione, in qua uitanda sunt omnia melancholicũ succum generãtia, ut sunt carnes bubulæ, ceruinæ, leporinæ, salsæ, fabæ, lentes, caseus, & eiusmodi, quæ in cap. De melancholia sunt commemorata. Vtendum uerò uberrimè ptisanæ cremore, malua, atriplice, beta, & huiusmodi elixis, piscibus saxatilibus, auibus uniuersis, præter eas quæ in aquis uersantur: carnibus gallinæ, hœdi, luteis oui, et similibus cõcoctu facilibus, & sanguinẽ bonum procreantibus. Bibendum uinum tenue, album, nec ualdè antiquũ. Interea etiã tẽporis humorẽ unde malum natum est, ilico euacuare oportet. Vacuatio autem primùm tentanda est sanguinis. Quare, modò ætas & uirtus permiserint, uena incidenda in cubito media. Mox purgatione utendũ, per initia quidẽ ex simplicioribus petita, cuiusmodi est epithymũ pondo ʒ 4. in sero lactis mulsáue exhibitum. Deinde uerò cõpositorum aliquo, quæ in cap. De melancholia recẽsuimus. Vtendũ etiã ante purgationẽ, in ijs potißimũ qui à crebra potionum sumptione non abhorrẽt, de-

Curatio. Victus ratio. Venæ sectio. Purgatio.

cocto præparãte, quod in eodẽ loco cõmemorauimus. Si hæmorrhoïdes in uiris quibus emanare consueuerunt suppressæ sunt, recludãtur. In mulieribus autẽ menses euocare oportet.

Localia. Post hæc humorẽ qui in partẽ decubuit repellere, uel discutere oportet. In hunc autẽ usum cõuenientißimus est succus solani, linteo duplici in eo tincto impositus. Extrinsecus lana molliuscula & ipsa succo illo imbuta circundatur, cura adhibita, ne hæc siccescat, succo continenter superinfuso. Quòd si noluerit ægrotãs medicamẽto adeò humido illiniri, cùm præsertim domũ exit ad cõsueta negotia peragẽda, hoc

Vnguentũ. unguento erit utendum, quod habet: Olei rosacei ℥ 2. succi è fructu solani hortẽsis expreßi ℥ 1. ß. cerusæ lotæ, plũbi usti et loti, utriusq; ℈ 2. lithargyri ʒ ß. thuris ʒ 1. pompholygis ʒ ß. ceræ albæ q. s. fingatur unguentũ, quo locus patiens quotidie illinatur. Licebit interdũ adijcere lemniũ sigillũ, & bolũ armeniã, & succũ semperuiui, uel uuæ acerbæ in plumbeo mortario cũ plumbeo pistillo usq; ad glutinis cõsistẽtiã subacta. Nec parũ prodest cancri usti cinis cũ cadmia lota inspersus, uel in cerato illitus. Panis etiã cum symphito apponẽdus, ita quantitatẽ moderando ne aggrauet. Folia quoq; altheæ elixa per se, aut cum pane cõmixta illinẽda. Itẽ rosæ, melilotũ, papaueris semẽ cum passo trita & paululũ decocta, ac subinde cum luteis ouorũ subacta applicanda. Porrò aßiduè etiã hoc malo correptis danda sunt medicamenta quæ uenenatis

Cancri vlcerati curatio. aduersantur, ut est theriaca & antidotũ mithridaticum. Vlceratis cancris, cùm constet illos medicamentis & manuum tractatione exacui & irritari, placidißima medicamẽta sunt imponenda, quale est hoc unguẽtum quod habet: Olei rosa-

Vnguẽtũ. cei ℥ 3. adipis porcini ℥ 1. lithargyri ℥ ß. uitellos oui assos quinq; num. ceræ albæ qđ satis, fiat unguentũ. Quòd si ulcus dolore uacauerit, adijcito etiã iridis, myrrhæ, aristolochiæ, singul. ʒ 1. Hoc itaq; unguento cancer illinendus. Commenda-

tur etiā ſuccus ſolani & plantaginis admixto puluere auripigmenti, ſi ijs locus patiens illinatur, & linteum in ijs madefactum ſuperponatur. Cæterùm ſi quando cancrum per chirurgiā curare audebis, cœpiſſe quidē à uacuando per purgationē melancholico humore oportebit. Vbi uerò totum quod uitiatum eſt, prorſus excideris, ſic ut nulla ſuperſit radix, ſines effluere ſanguinē, nec properè eum inhibebis: imò premendo potius uicinas partes, exprimes ex his craßiorem ſanguinem: mox alijs ulceribus ſimiliter curabis. Canceri per chirurgiā ablatio.

De elephantia. Cap. XVI.

Ἐλέφας καὶ ἐλεφαντίασις uniuerſi corporis cancer eſt. Sic uocatū malū hoc, quod corio elephātis cutis in eo perſimilis uideatur. Nā maculis quibuſdā ad atrū colorē uergentibus inficitur, inæqualiterq́; aſpera, craſſa, & ueluti ſquamis fœda, liuēs, ferinaq́; redditur. Vnde ſatis liquet, elephātiaſim à lepra Arabum nihil differre, ut demōſtrauimus lib. 1. Parad. ca. 16. Dicitur etiā Satyriaſis, Gal. lib. De cauſis morb. cap. 5. teſte quod facie, qui ſic laborant, ſatyris ſimiles ſint, ut infrà dicemus. Quin & alacritas uehemēs ad coïtum ipſis adeſt. quēadmodū de ſatyris fertur, quod ſcilicet ſemine abundēt, largior ſiquidē ipſius generatio in ſeminarijs uaſis ob materiæ craßitiē accidit. Vocatur etiā Leontiaſis, quòd frons ægrorū cū quodā tumore laxior reddatur, ad ſimilitudinē pellis flexilis ſuperciliorū leonis. Eſt autē graue malū et prope ex eorū numero quæ incurabilia exiſtūt. Et graue quidem eſt ipſi ægro, intolerabile autē cōſpiciētibus utpote qui ipſum omnino auerſantur, adeò ut pleriq; ex neceſſarijs & domeſticis ægri, ipſius cōuerſationē deuitēt. Et ſanè malū eſt cū ipſis cōuerſari: inquinatur enim aër quē inſpirādo attrahimus, ex ulcerū fœtore, & ex uitiata ſpiritus exhalatione. Origo mali eſt ex atra bile, quæ ex craſſo et fœculēto ſanguine, aut flaua bile nimiū uſta, pcreatur, aut pituita ſalſa. Qua

Elephātia. Elephātiaſis à lepra Arabū nihil differt. Satyriaſis. Elephātici cur ad venerem alacriores. Leōtiaſis. Cauſæ.

re hoc ipso magis corripiuntur, qui ex praua uictus ratione crassum & uiscosum ac melancholiũ sanguinẽ aceruãt. Consequitur eos qui obnoxij futuri sunt huic malo segnicies, spiratio tarda, spirãdi difficultas, motus difficilis, aßidua cõstrictio alui, urinarũ ueluti sũt iumẽtorũ lotia excretio, respiratio grauis & fœtida, ructus cõtinui, qui etiã ipsis ægris aliquid molestiæ addũt, appetitus nõ obtusi, impetus in uenerẽ intensus. Iam uerò ubi ad cutẽ progreßũ fuerit malũ, primũ malæ craßiores fiunt, & mentũ dilatatur, deinde rubescunt, non florido sed liuido colore. Capilli etiã capitis magna ex parte rari fiũt, piliq; superciliorum decidũt. Nasus fit simus, aures extenuatæ, labra craßa, uox rauca, & sub lingua uenulæ uaricosæ fiunt, nigrescuntq; : quod signum est etiã uiscera ipsa in simili cõstitutione esse, eiusmodi planè qualis in porcis quibusdã circa interna uidetur, quæ grandinis nomine insignitur. Quandoq; uerò & per omne corpus eminentiæ apparent, & præsertim iuxta summã frontẽ ac mentum. Corpus præterea ipsorum magnũ esse uidetur, & cuiusdam intolerabilis grauitatis eis sensus adest. Pusillanimes fiũt ad omnia. Quidẽ porrò ex eis ad modũ eorũ qui strãgulantur, maximè circa somnos afficiuntur. Quanquã uerò malũ hoc ferè incurabile sit, tamẽ humanum est, ut ait Aëtius, & plenum beneuolẽtiæ signum, in extremis etiã malis usq; ad experimentũ procedere, ad difficultatẽ eorũ cõpescendã. Principio itaq; uictus ratio eiusmodi præscribenda. A somno mẽbra eorum plurimũ et leniter manibus cõtrectari debẽt. Deinde curandum ut aluus excremẽta deponat. Post hæc deambulent, aut gestationibus cõmittantur, & clamore exerceantur, aut frictionibus alijs'ue generibus exercitationum utantur. Sudore subinde, quẽ illinc cõtraxerunt, absterso, adipe ursino aut uulpino illinantur: qui si non adsint, caprino aut taurino, aut pro ijs aliquis ex uolucrũ genere, aut butyrũ re-

Signa.

Victus ratio.

ceus sumatur. Pauxillo temporis interposito cum fœnogræci aut ptisanæ succo, qui parũ ammoniaci cum aceto liquefacti admixtũ habeat, perfundãtur, atq; ita lauacro utãtur. Nociuũ enim est malo, si quis nõ lauet. Cõmoda sunt etiã arida fomenta, & post sufficientẽ ex dictorũ usu exudationẽ, natationes in mari, aut sulphurulẽtis & aluminosis aquis. Fomenta uerò parabũtur ex fumaria, origano, scabiosa, oxylapatho, chamæmelo, meliloto, mentastro, & similibus. A' balneo detersi, ad acrimoniæ & mordacitatis curationẽ ex oleo myrteo, rosaceo, aut mastichino cũ aceto et uino cõquassatis illinantur. Aut decocto aliquo eorum quæ adstringũt, plantaginis scilicet, aut betæ, aut helxines, perfundantur. Optimũ est & butyrum recẽs illitũ. Post lotionẽ & extersionẽ per tenera linteola ad horæ dimidium quiescãt: deinde aqua tepida hausta spõtè uomãt, digitis in os, aut pinnis demißis. Postea modico interuallo tẽporis interposito, uinũ absinthites, aut ex origano cõfectũ bibãt, nõ infrà heminæ mensurã, & paulò pòst cibus eis apponatur. Cibus autem erit panis hordeaceus, aut triticeus recẽs. Inter olera beta, lactuca, malua, lapathum, sisarũ, porrũ, braßica binis aquis edulcata, & capparis. Rectè etiã ipsis datur ptisana, oua sorbilia, alica lota, lac cũ melle. Carnibus auicularũ montanarũ utantur, & hœdorũ, gallinarũ, caporũ, & ijs similib. Piscibus molli carne præditis. Ex fructibus cõueniũt ficus & uuæ arefactæ, pyrũ coctũ in aqua mulsa. A' reliquis fructibus omnino abstineãt. Bis cibũ capere præstat, q̃ semel se replere. Prãdiũ simplicißimè paretur: cœna magis uaria sit. Potus sit uinũ tenue, albũ & aquosũ. Aut aqua in qua parũ cinnamomi decoctũ sit. Vino forti & uinoso, perinde atq; uenere, per totũ morbi curriculũ abstineãt. Sõnus porrò diurnus nociuus, nocturnus aptißimus. Post longũ à cœna interstitiũ, deambulatio lenta, ac sensim facta cõmoda est, ut cibi eo melius descendant. Quod ad

Balneum.

Cibi.

Deambulatio

Curatio.

curandi rationem attinet, protinus inter initia sanguis mitti debet, & magis uere, in quo potißimum hoc malũ nascitur, & intenditur. Reuiuiscit enim inde aliquo modo insitus ca-
Venæ sectio. lor, & sensibiliter corpus ipsum alleuatur. Auferendus autẽ particulatim ex utroq; cubito, ac incidẽda interna aut media quæ in cubitis existit uena. Habẽdus etiã modus est in euacuãdo, in multo enim prauo ac uitiato sanguine parum quiddam
Purgatio. boni sanguinis inest. Post sanguinis detractionẽ, nouem decem'ue diebus interpositis aluus infernè subducatur. Quibus uerò medicamẽtis purgandũ sit corpus, in cap. De melãcholia, & alijs quibusdã, ubi de uitijs cutis egimus, dictũ est. Post dies autẽ aliquot sero lactis utendũ, ex eoq; non minus tribus acetabulis, neq; ultra quinq; accipiendũ, Aëtio & Paulo testibus. Admiscendũ est illi aliquid scãmoniæ, epithymi, uel senæ: ita ut hæc ipsa cũ modico sero ieiunis præbeamus, atq; deinde ipsum serũ paulatim exhibeamus. Hac purgatione frequẽter utendum est. Omnino nanq; conandum est, ut omnem corporis habitũ ab hoc malo occupatũ liquefaciamus, aliũq; quendã ueluti ex integro regeneremus. Idipsum uerò fiet, si per interualla opportunè purgationes adhibeantur, & cibi
Vomitus. apponãtur qui facilè cõcoqui & distribui poßint. Deinceps uomitus citetur à cibo, aut ieiunis à radiculis. Postea ad ueratrum perueniendũ. Post hæc autẽ uiriũ refocillatrice uictus ratione utendũ est, ac medicamentis quæ summã cutẽ desiccant adstringantq;. Leues igitur cucurbitulæ ori uentriculi, & hypochondrijs utrinq; affigentur. Et primo quidẽ auxiliorũ circuitu hoc modo perfecto, rursus ad principiũ reflectendum est. Et uenæ quidem sectio uitetur, ut quæ plus noxæ quàm præsidij esset allatura. Ab hiera uerò principiũ purgãdi sumatur: & reliqua deinceps ordine faciẽda, uelut prædictũ est, ter & quater in anno codẽ ductu repetito. Malignũ enim & difficulter cedens malum est, quapropter plurima

cura opus est, ne in peius euadat. Cæterùm theriaca ex uipe- Theriaca.
ris Andromachi mirificè prodest, & quasi cōpendiū totius
curationis est, si post purgationes per modica interualla præ
beatur, & ea cutis etiā oblinēda. Mirabile quoq; elephantiæ Viperarū esus.
remediū uiperarum esus existit, ut testatur Galenus lib. 2. ad
Glau. cap. penult. Eas autē hoc modo apparatas edere opor- Viperar preparati
tet. Primùm quidē capite amputato, & cauda usq; ad digitos
quatuor, & detracta pelle, & omnibus interaneis exēptis,
corpus ipsarū aqua bis aut ter lotū, in olla instar anguillarū
coquitur, aqua quidē sufficiente affusa, & oleo modico cum
porrò & anetho. Liquet autē, quòd carnes sint decoquendæ
donec molles reddantur. Post sufficientē cocturā, iusculū mo
derato sale cōdiatur, atq; ita ægro in sole desidenti exhibea-
tur, capite tamē probè uelato. Neq; uerò semel tantū aut bis
uiperas edere satis est, sed sæpè id fiat, quum extra periculū
sit, & insuper cōmoditatem afferat. Sint autē uiperæ recens
captæ, & ex humectioribus locis accipiātur. Nam quæ iuxta
mare, aliaq; salsa loca degunt, uehemēter siticulosæ existunt.
Viperarū autē esum mirificè cōferre elephantia correptis,
multis historijs lib. 11. De simp. med. fac. cap. 2. Gale. cōpro-
bat. Porrò extrinsecus, in balneo potissimum, medicamenta Extrinsecus quę ad
quæ extergūt & repurgāt sunt adhibenda, ut est nitrū, sul- mouenda.
phur uiuum, pumex, testa sepiæ, nigella, rumex acutus, quæ
interdū arida affricari possunt. Aut trita cum aceto, aut ro-
saceo oleo, aut mastichino corpori illinēda sunt. Prosunt etiā
ea medicamenta quæ suprà in cap. De impetigine dicta sunt.
Præterea tuberosi tumores efferati & inflāmati in facie, illi
nantur cū succis plātaginis, polygoni, portulacæ, lylycio, hy-
pocisthide aloë, & similib. Si aūt nō fuerint inflāmati, utēdū
est ijs remedijs, quæ suprà De impetigine et scabie dicta sunt.

FINIS.